





THEOLOGIA DOGMATICO-SPECULATIVA

IN
PRÆLECTIONIBUS PUBLICIS
TRADITA
A

P. JOSEPHO MONSCHEIN, S. J.
SS. THEOLOGIÆ, ET SS. CANONUM
DOCTORE p. t. UNIVERSITATIS
DILINGANÆ
CANCELLARIO.



TRACTATUS VII.
DE SACRAMENTIS IN GENERE, ET ALIQUIBUS IN SPECIE.



CUM FACULTATE SUPERIORUM.



AUGUSTÆ VINDEL. & FRIBURGI BRISGOIÆ,
Impensis FRATRUM IGNATII & ANT. WAGNER,
Bibliopolarum, anno 1769.

REVERENDISSIMO
AC
SERENISSIMO DOMINO
DOMINO
JOSEPHO
S. R. I. PRINCIPI,
EPISCOPO AUGUSTANO,
LANDGRAVIO HASSIÆ
A DARMSTADT,
PRINCIPI HIRSCHFELDENSI,
COMITI
CATIMELIBOGI, DIEZ, ZIEGENHEIMB, NIDDA',
SCHAUMBURG, ISENBURG, ET BIDINGEN,
ABBATI INFULATO
S. HELENÆ DE FÖLDWAR IN HUNGARIA,
EQUITI S. HUBERTI &c. &c.

DOMINO DOMINO

CLEMENTISSIMO



INDEX MATERIARUM,

In hoc opuſculo contentarum, ex quibus illæ, quæ ſtellula notatæ ſunt, ex præſcripto diſcutiuntur, reliquæ brevius exponuntur.

PARS I.

De Sacramentis in genere. fol.

DISPUTATIO I.

De eſſentia, Exiſtentia, & Auctore Sacramentorum novæ Legis.

*Quis

DISPUTATIO II.

De Efficacia, & Effectu Sacramentorum novæ Legis.

DISPUTATIO III.

De Ministro Sacramentorum novæ Legis, & qualitatibus in illo requisitis.

DISPUTATIO IV.

De intentione Miniſtri.

DISPUTATIO V.

De Subjecto Sacramentorum novæ Legis.

PARS II.

De quibusdam Sacramentis in ſpecie.

DISPUTATIO I.

De Sacramento Baptiſmi.

DISPUTATIO II.

De Sacramento Confirmationis.

DISPUTATIO III.

De Eſſentia Sacramenti Eucbariſtiæ.

Quid

DISPUTATIO IV.

De materia remota Euchariſtiæ.

DISPUTATIO V.

De Forma, Miniſtro, Subjecto, & Effectibus Euchariſtiæ.

DISPUTATIO VI.

De necessitate Eucharistiæ.

DISPUTATIO VII.

De SS. Missæ Sacrificio.

TRACTA-



TRACTATUS VII.

DE SACRAMENTIS IN GENERE, ET ALIQUIBUS IN SPECIE.

Quoniam juxta effatum S. Augustini lib. 19. contra Faustum cap. 11 : *In nullum nomen Religionis seu verum seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquorum signaculorum, aut sacramentorum visibilium consortio colligentur*; sanctissima Ecclesiæ nostræ Sacramenta sunt characteristica quædam Religionis symbola, quibus communis societatis vinculum inter fideles fovetur ac conservatur. Sunt insuper præcipua salutis media, *per quæ omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur*, ut ait Concilium Tridentinum sess. 7. in proœm. Unde non solum utile, sed ad plenam, solidamque institutionem theologicam etiam necessarium est, ut de augustissimis his mysteriis agatur, & in hoc quidem tractatu prima parte exsplicabo ea, quæ omnibus Sacramentis communia sunt, altera vero parte addam quædam de Baptismo, Confirmatione & Sacrosancta Eucharistia in specie, reliquorum discussione in tractatum octavum relata.

PARS I.

De Sacramentis in genere.

1 Vox Sacramentum varias habet ſignificationes. Apud Scriptores profanos ſignificat 1. Pecuniam ſeu pignus quoddam apud Pontifices in loco ſacro depoſitum ea lege, ut qui cauſa cecidiſſet, in pœnam injuſtæ litigationis pignus perderet, qui autem viciſſet ſuum recuperaret, ut habet Varro lib. 4 de lingua latina. 2. Apud Ciceronem, aliosque ſæpe uſurpatur pro juramento, eoquod juramentum ſtat per rem ſacram, invocato videlicet DEO in teſtem veritatis aut promiſſionis. Hinc notæ illæ phraſes Sacramento ſe obſtringere, Sacramento contendere &c. Qui modus loquendi poſtea etiam ad ſacros Canones translatus eſt, ubi juramenta paſſim Sacramenta appellantur.

2 Apud Scriptores ſacros & Eccleſiaſticos Sacramentum, uti etiam vox græca Myſterium accipitur 1 pro re ſacra occulta & latente, in quo ſenſu omnia Religionis noſtræ dogmata Sacramentum vocari poſſunt, ſicut 1 ad Timoth. 3. v. 16 Incarnatio verbi Divini dicitur: *Magnum pietatis Sacramentum.* 2. Pro ſigno externo rei ſacræ & occultæ. Sic Apocal. 1 v. 20 ſeptem ſtellæ vocantur Sacramentum ſeu ſignum ſeptem Angelorum, id eſt, Epiſcoporum. 3. Pro ceremonia, qua homines ſacris initiantur, & ad cultum Divinum ſuo modo conſecrantur. *Inde Sacramenta manarunt, quibus credentes initiantur*, inquit S. Auguſtinus lib. 15 de civit. Dei, cap. 26. & S. Ambroſius integrum librum ſcripſit de illis, qui myſteriis initiantur.

3 Diſplicuit quidem nomen Sacramenti olim Luthero, Calvino aliisque novatoribus, ea potiſſimum de

de causa, quod in Scripturis non exstaret. Verum cum Sacramentum sit vocabulum latinum, inepte in primigenio Scripturæ textu Hebraico vel Græco quæritur. Interim juxta usum Ecclesiæ idem significat, quod apud Græcos Mysterium, & in eodem sensu jam fuit usurpatum ab antiquissimis Patribus Tertulliano lib. de præscript. c. 40 Cypriano epist. 63 &c. apud Suarez 3 part. tom. 3 in præfat. Hinc falso scribit Kemnitius, Augustinum ferme primum fuisse, qui Sacramentum pro signo rei sacræ & occultæ usurparit. Quodsi etiam hæc vox in ea significatione, quam illi tribuimus, in sacris litteris non haberetur, religiose tamen esset retinenda, utpote antiquissimo Ecclesiæ usu approbata, non minus, quam alia ejusmodi nomina, quæ ad res melius exsplicandas exhibita fuerunt, quamvis in Scripturis non legantur, uti sunt Incarnatio, Unigenitus, Consubstantialis &c.

Porro in ordine ad Sacramenta varii status na- 4
turæ humanæ distingui possunt. Primus fuit status naturæ integræ, in quo fuerunt Adamus & Eva ante lapsum in peccatum. Post hunc incepit status legis naturæ, in quo fideles paucis solum principiis fidei supernaturalis, & nullis ferme legibus regebantur, nisi quas ratio naturalis in cordibus hominum scripserat. Duravit status hic usque ad Moysem, imo extra populum Hebræum usque ad Christum, dum interim apud Hebræos fuit status legis scriptæ, quæ præter legem naturalem plurima præcepta tum ceremonialia, tum judicialia complectebatur, jubente DEO a Moyse promulgata. Ultimus denique est status legis novæ, sive Evangelicæ, quæ ob longe majorem gratiarum ubertatem merito vocatur lex gratiæ, a Christo Domino omnium gratiarum fonte mundo data. Hic status præcipue considerandus est. Porro in hac parte disputabitur 1. De Essentia, Existentia & Auctore Sacramentorum novæ legis. 2. De illorum Ef-

ficacia & Effectu. 3. De eorundem Ministro, ejusque Fide ac probitate. 4. De intentione Ministri. 5. De subjecto suscipiente Sacramentum.

DISPUTATIO I.

De Essentia, Existentia, & Auctore Sacramentorum novæ legis.

5 Sacramentum late acceptum, prout omnibus naturæ humanæ statibus convenit, definiri potest, quod sit signum sensibile ex Divina institutione significans gratiam, & suo usu suscipientem DEO consecrans, modo Ecclesiæ & statui, ad quem pertinet, proportionato. Quod nullum ejusmodi Sacramentum fuerit datum in statu naturæ integræ, facile conveniunt Theologi cum S. Thoma in 3 part. q. 61 a. 2 in corp. tum quia DEUS prævidit statum hunc brevissimo tempore duraturum, tum quia neque in Scriptura, neque in Patribus habetur sufficiens fundamentum, pro hoc tempore Sacramentum aliquod adstruendi; nam licet matrimonium Adami & Evæ ab Apostolo ad Ephes. 5 v. 32 vocetur Sacramentum, in quantum fuit signum conjunctionis Christi cum Ecclesia, non tamen erat ceremonia sacra, qua primi illi conjuges ex institutione DEI sanctificarentur, & ad cultum DEI deputarentur.

6 In statu naturæ communior, præsertim antiquorum, tanquam Sacramentum agnoscit remedium illud, quod a DEO ad delendum peccatum originale pro parvulis utriusque sexus, usum rationis nondum habentibus, institutum fuit. Remedium hoc juxta ipsos consistebat partim ac præcipue in fide saltem implicita in Christum mediatorem, a parentibus aut cognatis aliisque elicita, & parvulis appli-

applicata: partim in ritu quodam externo, quo fides illa manifeſtabatur, & parvulus ad cultum DEI initiabatur. Qualis porro hic ritus externus fuerit, non definiunt, neque a Scriptura aut Patribus aliquis determinatus aſſignatur; hinc videtur ſuffeciſſe quælibet actio proteſtativa fidei: e. g. oblatio parvuli, deprecatio externa pro ipſo &c. Fides quoque interna non debuit neceſſario eſſe charitate formata; alias remedium legis naturæ nimis difficile fuiſſet; hinc neque in miniſtro ſacramentorum legis novæ ad illorum valorem ſtatus gratiæ requiritur.

Ratio dictorum eſt 1. Quia DEUS omnes ho 7
mines ſerio, & quantum eſt in ſe, vult ſalvos fieri: ergo omnibus prævidit de mediis ad ſalutem neceſſariis: ergo etiam pro parvulis inſtituit aliquod remedium ad delendum peccatum originale, ut docet Innocentius III Cap. Majores 3. de Baptiſmo. 2. Quod remedium parvulorum importaverit fidem in Chriſtum mediatorem, tradant SS. Patres Auguſtinus lib. 2 de Nuptiis cap. 11. Gregorius Magnus lib. 4 Moral. cap. 3. Venerab. Beda lib. in Lucam cap. 8, aliique apud Tournelium de Sacrament. in gener. q. 2 a. 3, qui in hanc rem etiam citat illud Act. 4 v. 12: *Non eſt aliud ſub cælo datum nomen, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* 3. Quod inſuper fuerit requiſitum ſignum externum proteſtativum fidei, colligitur ex S. Auguſtino, qui lib. 5 contra Julianum cap. 11 ita habet: *Nec ideo credendum eſt ante circumciſionem famulos DEI, quandoquidem eis inerat mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento ejus opitulatos fuiſſe parvulis ſuis; quamvis quid illud eſſet, aliqua neceſſaria cauſa Scriptura ſacra latere voluit:* atqui Sacramentum debet eſſe ſignum ſenſibile, ſine quo, ut idem S. Doctor docet, nulla poteſt dari Religio.

8 Sacramenta legis ſcriptæ ad quatuor claſſes reduci poſſunt. In prima eſt circumciſio, quæ licet pro familia Abrahæ jam fuerit inſtituta in lege naturæ; quia tamen ſub Moyſe fuit confirmata, & legi inſerta, imo janua & profeſſio legis, inter Sacramenta legis Moſaicæ numerari ſolet. In ſecunda claſſe ſunt illæ ceremoniæ, quarum uſu populus promovebatur in ſanctitate legali, uti eſus agni paſchalis. In tertia ritus, qui adhibebantur in conſecratione Sacerdotum, ac Levitarum. In quarta purificationes irregularitatum, & macularum legalium. Quippe omnes iſtæ ceremoniæ non ſolum legalem & externam quandam ſanctitatem conferebant, vi cujus ſuſcipientes apti fiebant ad cultum DEO juxta legis illius normam exhibendum; ſed etiam gratiam internam per Chriſtum dandam præfigurabant; nam ut Apoſtolus 1 ad Cor. 10 v. 11 ait: *Omnia in figuris contingebant illis.* Sic circumciſio præfigurabat Baptiſmum, eſus agni paſchalis S. Euchariſtiam, conſecrationes Sacerdotum, & Levitarum Sacramentum Ordinis, purificationes Sacramentum pœnitentiæ.

9 Interim nec remedium legis naturæ, nec Sacramenta legis ſcriptæ cauſarunt gratiam phyſice aut moraliter ex opere operato; cum nullum habeatur ſufficiens fundamentum tantam virtutem illis adſtruendi, quin a S. Paulo ad Galat. 4. v. 9 vocantur: *Infirma & egena elementa*, & ad Coloſſ. 2 v. 17: *Umbra futurorum.* Nominatim de circumciſione ad Galat. 6 v. 15 ait: *Neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed nova creatura.* De remedio quoque legis naturæ P tres paſſim docent, parvulos ſola parentum fide ſalvatos eſſe, quia videlicet eorum juſtificatio potiſſimum a fide, non a ſigno exteriore proveniebat. Hinc Eugenius IV in decreto, quod in Synodo Florentina pro Armenorum inſtructione factum eſt, ita loquitur: *Novæ legis Sacramenta multum differunt a Sacramentis anti-*

quæ

quæ legis; illa enim non cauſabant gratiam, ſed ſolum per paſſionem Chriſti dandam præfigurabant; hæc vero noſtra, & continent gratiam, & ipſam digne ſuſcipientibus conferunt.

Quare licet per remedium legis naturæ & circumciſionem, prout erat proteſtatio fidei in verum DEUM & Chriſtum venturum, ex promiſſione Divina infallibiliter fuerit collata gratia ſanctificans; ipſa tamen circumciſio & ritus externus ſecundum ſe ſpectatus erat pura conditio ſine qua non, ſeu purus terminus, quem voluntas DEI reſpiciebat, quin ab illo moveretur. Sed juſtificatio parvulis conferebatur ex opere operantis, & per modum ſuffragii ob actum fidei, actum externum & circumciſionem efficaciter imperantem, ita ut tota vis ab actu interno dependeret, ferme ſicut tota vis merendi eleemoſynæ dependet ab actu interno illam imperante, cum quo unum idemque meritum conſtituit. Quodſi circumciſio alicui parvulo collata fuiſſet absque fide interna, illa quidem fuiſſet valida in ordine ad implendum præceptum, non autem fructuoſa in ordine ad delendum peccatum originale; hinc ut in tali caſu peccatum remitteretur, non quidem debuiſſet iterari circumciſio, attamen poſtea adhiberi remedium legis naturæ, ſicut debuit applicari fœminis, imo & maſculis, quando periculum fuit, ne ante diem octavum morerentur. 10

Ita modum, quo remedium legis naturæ, & circumciſio juſtificabat, explicant Pallavicinus, Ulloa, aliique Recentiores, quia hac ratione optime conciliantur Patres, qui in iſta materia videntur ſibi adverſari. Nam Auguſtino antiquiores circumciſionem paſſim deprimunt, eamque ajunt ſolum inſtitutam fuiſſe ad conſignandum populum electum, quin gratiam ſanctificantem contulerit, in quo etiam conſonat S. Paulus & Eugenius IV. Econtra S. Auguſtinus Patresque illo juniores 11

 Grego-

Gregorius Magnus, Bernardus, Rupertus &c. apud Suarez in 3 part. tom. 3 q. 62 sect. 2, remedium legis naturæ & mysterium circumcisionis attollunt, illisque vim justificandi tribuunt, ut contra Pelagianos ostendant, peccatum originale in omnes parvulos propagatum esse; atqui huic apparenti contrarietati optime subvenit data exsplicatio; dum enim negat circumcisionem, aliasque externas protestationes fidei secundum se spectatas, gratiam sanctificantem contulisse ex opere operato, satisfacit Patribus Augustino antiquioribus; dum vero asserit, remedium legis naturæ, & circumcisionem, prout erat protestatio fidei, contulisse gratiam ex opere operantis, satisfacit S. Augustino, & Patribus illo junioribus.

QUÆSTIO I.

In quo consistat essentia metaphysica Sacramentorum novæ legis?

12 Sacramenta novæ legis juxta Socinianos nihil aliud sunt, quam nudum & simplex signum, quo Christianus a Judæo vel Gentili distinguitur. Juxta Anabaptistas sunt quædam allegoriæ seu signa vitæ spiritualis, morum, atque bonorum operum, quatenus per illa admonemur, ut nos in bonis operibus exerceamus. Juxta Zwinglium lib. de vera & falsa Religione sunt quædam initiatio & oppignoratio, qua homines Christo se obligant, atque ejus militiæ nomen dant. Istæ definitiones ab ipsis Lutheranis & Calvinistis reprobantur, eoquod ipsimet agnoscant Sacramenta non tantum esse otiosas quasdam distinctionis notas, oppignorationes aut monita ad vitam Christiane instituendam, sed etiam instituta fuisse ad obsignandas & confirmandas in nobis Divinæ gratiæ promissiones.

Hinc

Hinc Sacramenta definiunt, quod sint signa seu 13
sigilla divinitus instituta ad obsignandas in nobis, & confirmandas Divinæ gratiæ promissiones, ad sustinendam fidei nostræ imbecillitatem, & excitandam in DEUM pietatem. Ita quoad substantiam Lutherus lib. de Captiv. Babil. cap. ult. & Calvinus lib. 4 Inst. cap. 14. Neque ista definitio, prout præcise verba sonant, videtur habere sensum a Catholico dogmate admodum alienum. At si cum toto contextu & serie doctrinæ inspiciatur, multiplex error latet; præterquam enim, quod juxta Novatores gratia nihil sit intrinsecum homini, sed tantum extrinseca non imputatio peccati, Sacramenta juxta ipsos tantum sunt signa gratiæ respectu electorum, imo etiam respectu istorum nullam aliam habent vim, quam ut objective moveant, & excitent fidem, non vero ut efficienter gratiam conferant, per quod tamen Sacramenta novæ legis essentialiter differunt a Sacramentis antiquis, ut patet ex Concilio Florentino cit. num. 9, & Disp. 2 ex instituto ostendetur.

Auctores catholici varias quidem definitiones 14
Sacramentorum novæ legis tradunt, quæ tamen omnes quoad substantiam conveniunt cum illa, quæ habetur in Catechismo Romano de Sacram. in gener. cap. 1 num. 3, auctoritate Pii V edito, quod videlicet Sacramentum novæ legis sit invisibilis gratiæ signum visibile ad nostram sanctificationem institutum. Dicitur 1. Signum seu res, quæ præter speciem, quam sensibus ingerit, aliquid aliud facit in cognitionem venire, ut signum definitur a S. Augustino de doctr. Christian. cap. 1. Quod autem signum ita exsplicatum sit de ratione Sacramenti, patet tum ex Concilio Tridentino sess. 13 cap. 3, ubi ait: Eucharistiæ esse commune hoc cum cæteris Sacramentis, quod sit symbolum seu signum rei sacræ: tum ex SS. Patribus, qui cum S. Dionysio cap. 1. Ecclesiast. Hierarch. & S. Augustino

lib. de catechizandis rudibus cap. 26 Sacramenta passim vocant symbola, signacula &c. Imo ipsa Scriptura ad Rom. 6 v. 4 & 5 Baptismum dicit signum sepulturæ & resurrectionis, & 1 ad Cor. 11 v. 26. Eucharistiam signum passionis & mortis Christi.

15 Dicitur 2 Signum visibile, id est sensibile; nam terminus visibilis juxta usitatum loquendi modum ad omnia sensibilia, & visus ipse ad omnem sensum transfertur. Sic dicimus, vide, quomodo luceat, oleat, sapiat, quam sit durum, quam bene sonet &c. ut advertit S. Augustinus lib 10 confess. cap. 35. porro quod Sacramenta saltem secundum unam partem debeant esse sensibilia, probatur ex eo, quia sunt instituta pro hominibus tanquam præcipui ritus ac ceremoniæ, quibus populus Christianus in unam Ecclesiam conjungi, & ab aliis sectis discerni valeat. Hinc Concilium Tridentinum sess. 13 cap. 3 Sacramenta expresse vocat: *Invisibilis gratiæ formam invisibilem*; SS Patres vero nominatim Dionysius & Augustinus locis supra citatis dicunt, Sacramenta esse vestigia quædam & manuductiones ad spiritualia & invisibilia. Dixi secundum unam partem, ut enim totum aliquod e. g homo dicatur sensibilis, sufficit, si una pars sensibilis sit.

16 Dicitur 3. Signum invisibilis gratiæ, quod prædicatum ex consensu omnium Catholicorum ad cujusvis Sacramenti rationem ita requiritur, ut ne quidem veteris legis Sacramenta hac prærogativa fuerint destituta, quemadmodum num. 9 ex instructione ad Armenos didicimus. Sunt quidem Sacramenta legis novæ etiam signum passionis Christi tanquam auctoris gratiæ, item signum prognosticum gloriæ, quæ est finis gratiæ: at ipsius gratiæ sunt signum demonstrativum, utpote quam præcipue & ita significant, ut illam etiam præsentem causent. Ex quibus ulterius patet, quod sint signa sacra tum ex parte sui, quatenus sunt ritus

&

& ceremoniæ quædam ad cultum Divinum relatæ; tum ex parte rei significatæ, nempe gratiæ sanctificantis; tum denique ex parte institutoris, qui fuit Christus, utpote sanctissimus.

Dicitur 4. Signum institutum ad nostram san- 17
ctificationem, nempe non solum externam & legalem, sed internam & perfectam, quæ fit per gratiam sanctificantem; hic enim, ut supra notavi, est præcipuus finis Sacramentorum novæ legis, ut in suscipiente rite disposito ipso suo usu & infallibiliter, & ex opere operato causent gratiam habitualem, qua constituimur filii & amici DEI. Porro institutio Sacramentorum juxta communem omnium ferme Doctorum sensum debet esse a DEO vel a Christo, & quidem facta lege publica & stabili, ita, ut non solum in uno casu, & alicui personæ particulari, sed sæpius ac diutius in commodum totius communitatis administrari possint. Ratio primi est, quia nulla res naturalis & sensibilis ex natura sua potest significare, multo minus infallibiliter causare gratiam, adeoque Sacramenta sunt signa ad placitum, ex sola voluntate auctoris gratiæ dependentia. Ratio secundi est, quia Sacramenta sunt præcipui ritus Ecclesiæ christianæ: ergo debent esse stabilia, sicut Ecclesia stabilis est.

Addunt multi ad essentiam Sacramenti novæ 18
legis etiam pertinere, ut sit signum symbolicum, quia Tridentinum Sess. 13 cap. 3 ait, omnibus Sacramentis esse commune, quod sint symbolum rei sacræ. Hinc ajunt, per signum sensibile non debere intelligi signum ad placitum qualecunque, sed perfectum, habens quamdam analogiam & similitudinem cum re repræsentata, idque ulterius probant inductione. Nam externa corporis ablutio in Baptismo symbolice refert interiorem animæ ablutionem a peccatis. In confirmatione unctio chrismatis, quæ alioquin adhibetur ad roborandum corpus, similitudinem habet cum gratia confortante ad defen-

den-

dendam fidem. Euchariſtia ſeu Chriſtus ſub ſpecie panis & vini ſymbolum eſt ſpecialis animæ refectionis. Pœnitentia tanquam proceſſus judiciarius apte exprimit internam abſolutionem a peccatis. Extrema unctio ad modum illius, qua athletæ ad luctam, & agonem ſe parabant, denotat gratiam roborantem in ultimo agone adverſus impugnationes dæmonis. Ordo per ceremonias, quales in conceſſione alicujus poteſtatis adhiberi ſolent, ſignificat gratiam exercendi ordinis miniſteria. Matrimonium gratiam, qua animi conjugum inter ſe conjunguntur in ordine ad ferenda matrimonii onera & prolem chriſtiane educandam.

Objectiones.

19 Obj. 1. Sacramentum eſt ens per accidens aggregatum ex materia & forma, ex rebus & ſignificatione: ergo non poteſt una definitione definiri, ſed ſicut continet plura entia, ſic debet habere plures definitiones. Confir. Proprietates, quas Sacramentis tribuimus, ſunt gratis conſictæ. Cur enim DEUS ad ſignificandam & cauſandam gratiam non potuiſſet inſtituere ſignum aliquod ſpirituale e. g. meditationem internam, idque pro una tantum, aut altera vice, ſicut Chriſtus unicum ſacrificium in cruce obtulit? Reſp. Diſt. Ant. eſt ens per accidens aggregatum in conſideratione phyſica, Conc. Ant. in conſideratione morali & theologica, Neg. Ant. & Conſ. Quis enim negat unica definitione definiri poſſe Eccleſiam, regnum, civitatem, ædificium, aliaque ejusmodi tota moralia? Ad confir. Neg. Ant. Licet DEUS abſolute loquendo forte potuiſſet inſtituere Sacramenta ſpiritualia ſine lege ſtabili, id tamen in hac providentia non fecit, ut probatum eſt. Sacrificium quod attinet, illud ipſum, quod Chriſtus in cruce obtulit, quotidie

tidie adhuc immolatur. Dein totus finis ſacrificii, videlicet cultus DEI & proteſtatio ſupremi dominii obtineri potuit per unicam oblationem, non item finis Sacramentorum, conſiſtens in communi utilitate & ſanctificatione fidelium, per unicam ſuſceptionem obtineri poteſt.

Obj. 2. Ipſi Catholici circa eſſentiam ſacramentorum non conveniunt. Sic Okamus negat, 20
quod Sacramentum eſſentialiter debeat eſſe viſibile, Arriaga & Ulloa, quod debeat eſſe ſtabile, alii, quod debeat eſſe ſignum ſymbolicum: ergo &c. Confir. Etſi omnes calami uſuales defacto ſint albi, albedo idcirco non eſt de eſſentia calami: ergo a pari. Reſp. Diſt. Ant. non conveniunt circa eſſentiam Sacramentorum, ſi hæc præciſe ſpectentur ſecundum ſe, Conc. Ant. ſi ſpectentur, prout defacto ſunt inſtituta, & vox Sacramenti ab Eccleſia, Patribus & Communi Theologorum accipitur, Neg. Ant. & Conſ. Imprimis omnes Catholici fatentur, quod Sacramenta novæ legis debeant eſſe ſigna inviſibilis gratiæ ad noſtram ſanctificationem inſtituta. Dein Eccleſia, Patres & Scholaſtici per vocem Sacramentum non volunt denotare ſigna qualiacunque, ſed quibus fideles modo humano & connaturali coadunantur in unam Religionem, & inter ſe communicant; hoc autem fieri non poſſet, niſi Sacramenta eſſent viſibilia & ſtabilia: utrum vero etiam debeant eſſe ſigna ſymbolica, ad ſubſtantiam rei parum refert. Ad confir. Conc. Ant. Neg. Conſ. Eſſentia totius phyſici non dependet a libero arbitrio hominum, ſicut eſſentia totius moralis, quæ ex ipſa inſtitutione & communi vocabulorum uſu colligi debet.

Obj. 3. Sacramenta ſæpe ſuſcipiuntur cum 21
obice ſeu peccato mortali, quo caſu in ſuſcipiente non cauſant gratiam, præſertim ſi peccatum mortale in ipſa ſuſceptione Sacramenti committitur: ergo nequidem de eſſentia Sacramenti eſt, ut ſignifi-

cet,

cet, & causet gratiam. Confir. Sacramentum matrimonii potest constitui per consensum intrinsece peccaminosum: ergo non debet esse signum sacrum gratiæ sanctificantis. Resp. Conc. Ant. Dist. Conf. Ergo non est de essentia Sacramenti, ut significet, & causet gratiam in subjecto rite disposito, Neg. Conf. in subjecto habente obicem, Subdist. ut significet & causet gratiam in actu secundo, Conc. Conf. in actu primo, Neg Conf. Sacramenta per se semper virtutem habent significandi, & causandi gratiam, ut tamen actu illam causent, suscipiens debet rite esse dispositus, qualis non est, si ipsemet gratiæ ponit obicem. Ad confir. Dist. Ant. Sacramentum matrimonii potest constitui per consensum peccaminosum, qui talis est, Conc. Ant. per actum peccaminosum, qua talem, Neg. Ant. & sub eadem distinctione Conf. In tali casu Sacramentum matrimonii est quidem validum, sed gratiam tantum causat in actu primo, quia suscipitur illicite, & cum obice.

22 Cæterum ex dictis colliges, quod non sint Sacramenta 1. Baptismus S. Joannis, columba super caput Christi, cum baptizaretur, descendens, & linguæ igneæ die Pentecostes Apostolis illapsæ, quia nec erant signa stabilia, nec de se, & ex opere operato gratiam sanctificantem causarunt. 2. Sacrificium Missæ qua tale; licet enim in se complectatur S. Eucharistiam, tamen in consideratione Sacrificii non est institutum ad significandam, & causandám in nobis gratiam, sed immediate & primario ad contestandam nostram subjectionem erga DEUM tanquam supremum omnium Dominum. 3. Sacramentalia, per quæ intelliguntur sacræ ceremoniæ, potissimum illæ, quæ ad decentem & devotam Sacramentorum administrationem adhiberi solent. Quippe ritus isti plerique non a DEO, sed ab Ecclesia sunt instituti, & nullus illorum immediate, & ipso sui usu con-

confert gratiam. 4. Charitas DEI, contritio perfecta, aliaque ejusmodi opera bona, quia gratiam solum causant ex opere operantis per modum meriti.

Majus dubium est de verbis Christi ad Magdalenam: *Remittuntur tibi peccata tua*, Luc. 7 v 48, 23
item de illis, ubi insufflans in Apostolos dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata* &c. Joann. 20 v. 22. Priora aliqui reducunt ad Sacramentum pœnitentiæ: verum quia hoc probabilius primum fuit institutum post mortem Christi, verba hæc nondum fuerunt signum stabile, nec videntur fuisse signum practicum gratiæ, sed mere speculativum & declaratorium remissionis peccati. De posterioribus cum aliis docet Lugo, per hunc ritum completam fuisse ordinationem Apostolorum, quantum ad potestatem absolvendi a peccatis, quæ ipsis nondum fuerat collata, quando in ultima cœna acceperunt potestatem consecrandi Eucharistiam, & sacrificium offerendi. Quæ si ita se habeant, de quo suo loco videbimus, nihil obstat, quod Christus tunc aliam adhibuerit materiam ordinationis, quam nunc adhibet Ecclesia; hoc enim Christus pro plenitudine suæ potestatis facere potuit, & quia tam materia a Christo adhibita, quam ea, quam nunc adhibet Ecclesia, una cum adjunctis verbis est ceremonia expressiva potestatis per ordinem collatæ, hoc Sacramentum quoad substantiam etiam satis videtur fuisse stabile.

De Martyrio docent quidem Suarius, Valentia, 24
Bellarminus, aliique plurimi Auctores, quod ad justificationem & remissionem peccatorum sufficiat, modo sit conjunctum cum aliqua attritione, quæ juxta Tridentinum Sess. 14 cap. 4 in adultis semper, etiam dum suscipiunt baptismum, requiritur. Ratio est, quia SS. Patres justificationem non minus adscribunt martyrio quam Baptismo aquæ. Sic S Cyprianus Epist. 73 ait: *Nunquid potest vis baptismi esse major, aut potior*

quam

quam confeſſio, ut quis coram hominibus Chriſtum confiteatur, & ſuo ſanguine baptizetur. S. Auguſtinus lib. 13 de civit. DEI cap 7: *Quicunque enim non ſuſcepto regenerationis lavacro pro Chriſti confeſſione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum ſi abluerentur ſacro fonte baptismatis. Qui enim dixit: niſi quis renatus fuerit ex aqua, non minus generaliter dixit: qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo,* Matth. 10 v. 32. Conſonat illud Marc. 8 v. 35: *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam.* Hinc Martyrium vocari ſolet baptismus ſanguinis, & etiam parvulis uſu rationis adhuc deſtitutis ad æternam ſalutem proficuum eſt.

25 His tamen non morantibus omnes fatentur, martyrium non eſſe Sacramentum, quia a DEO non eſt inſtitutum tanquam ſignum gratiæ; alias licite, imo & religioſe adminiſtrari poſſet, & homines in odium fidei occidi; in hac enim occiſione formaliter martyrium conſiſtit. Accedit, quod non cauſet gratiam ex opere operato proprie tali, ſed tantum ſit aliqua conditio ſine qua non, & purus terminus promiſſionis Divinæ, ferme ſicut num. 10 dixi de remedio legis naturæ & circumciſione. Aliud exemplum eſt in Rege, filiam ſuam promittente in ſponſam belliduci, ſi referat victoriam, quo caſu victoria eſt quidem conditio ſine qua non, neque tamen ideo eſt inſtituta a rege in ſignum futuræ deſponſationis, nec illam cauſat ex opere operato & ex natura ſua, ſed mere per accidens ex libera Regis promiſſione. Porro quando Apoſtolus 1 ad Cor. 13 v. 1 & ſeq. ſcribit, cætera opera ipſumque martyrium ſine charitate nihil prodeſſe, loquitur de charitate habituali, ſine qua nec baptismus prodeſſet, non quia illam ſicut alia opera meritoria neceſſario præſupponit, ſed quia illam cum gratia ſanctificante confert.

QUÆSTIO II.

An & quot dentur Sacramenta novæ legis?

Ex antiquis quidam auctore Petro Anachoreta 26
Syro omnia Sacramenta e medio tollere conati ſunt, quos Epiphanius Hæreſ. 40 Archonticos, Theodoretus lib. 1 de hæreticis fabulis Aſcodritos appellat. Alii admiſſis reliquis negabant unum vel alterum, Baptismum Manichæi & Seleuciani, Confirmationem & Pœnitentiam Novatiani, Euchariſtiam Bogomiles & Petro-Bruſiani, Extremam unctionem Albigenſes & Flagellantes, Ordinem Taudemitæ, Matrimonium Encratitæ & Manichæi: ex recentioribus Calvinus ſolum admiſit Baptismum, Euchariſtiam & Ordinem, Zwinglius Baptismum, Euchariſtiam, & Matrimonium, Lutherus in libro de Captivit. Babilon. modo tantum unum, modo duo, modo tria, modo omnia ſeptem Sacramenta adſtruit, quem ſeptenarium etiam alii quidam Lutherani in conciliabulo Lipſienſi ſunt profeſſi, propterea dicti Lutherani molles, & politici. Cæteri plerumque cum Confeſſione Auguſtana tantum adſtruunt tria, nempe Baptismum, Euchariſtiam & Pœnitentiam.

Dicendum. Dantur in nova lege aliqua Sa- 27
cramenta, eaque nec plura nec pauciora quam ſeptem. Concluſio quoad utramque partem eſt clare definita in Concilio Tridentino Seſſ. 7 Can. 1 de Sacramentis in genere, ubi ita habet: *Siquis dixerit Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia a Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, aut eſſe plura vel pauciora, quam ſeptem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, aut etiam ali-*

quod horum ſeptem non eſſe vere & proprie Sacramentum; anathema ſit. Eundem Sacramentorum numerum Eugenius IV adſtruit in Inſtructione ad Armenos, qui exemplo Græcorum Unionem cum Eccleſia Romana flagitabant, & cum Græcis & Latinis unanimiter in ſeptenarium Sacramentorum conſenſerunt. Quia nihilominus Novatores recentiorum Conciliorum auctoritatem pertinaciter reſpuunt, juverit dogma Catholicum, licet ex dictis jam extra omne dubium poſitum, adhuc pluribus confirmare.

28 Probatur itaque Concluſio ulterius 1. Juxta principium a S. Auguſtino lib. 4 de Baptiſ. cap. 24 traditum, quod univerſa tenet Eccleſia, nec a Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi Auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur, præſertim ſi ad fidem ſpectet, ut ad illam ſpectant Sacramenta, tanquam ritus præcipui Religionis; atqui univerſa Eccleſia ſemper tenuit dari ſeptem Sacramenta, neque hæc doctrina primum a Conciliis inſtituta eſt: ergo rectiſſime creditur Auctoritate Apoſtolica tradita. Major eſt certa, alias tota Eccleſia poſſet errare in fide. Minor patet ex antiquiſſimis Euchologiis & Ritualibus tam Græcorum quam Latinorum, in quibus de ſeptem Sacramentis plena & diffuſa fit mentio, præſcribitur miniſter, & omnes ritus pro eorum adminiſtratione accurate notantur. Hinc cum Hugo Victorinus & Magiſter Sententiarum ſæculo XII ſeptenarium numerum aperte traderent, & ſingula Sacramenta enumerarent, nemo in tota Eccleſia ſe illis oppoſuit usque ad tempora Lutheri. Neque ex antiquioribus Conciliis, Patribus aut Scriptoribus poteſt aliquis oſtendi, qui hanc doctrinam tanquam novam aut erroneam reprehenderit, cum tamen poſt Apoſtolorum tempora nullus exſtiterit error, de quo nequeat oſtendi, quo tempore & loco, quo auctore cœperit, & quos habuerit oppugnatores.

Pro-

Probatur 2 auctoritate Patrum, quos circa Baptismum & Euchariſtiam ipſi Novatores nobis haud gravate concedunt. Itaque Confirmationem ſeu Unctionem & impoſitionem manus expreſſe vocat Sacramentum S. Cyprianus lib. 2 Epiſt. 1 de Baptis. Tertullianus lib. de reſurrect. carnis cap. 8 illam ponit in eodem ordine cum Euchariſtia, Dionyſius Areopagita lib. de Eccleſiaſtica Hierarch. cap. 2 teſtatur, illam jam fuiſſe uſurpatam tempore Apoſtolorum. Pœnitentiam S. Ambroſ. lib. 1 de pœnit. cap. 7 comparat cum Baptismo & utrumque vocat Myſterium. Eandem comparationem facit S. Cyrillus lib. 12 in Joann. cap. 56. Extremam Unctionem jam ſuo tempore in remiſſionem peccatorum adhibitam fuiſſe tradit Origenes Homil. 2 in Levit. Ejusdem tanquam Sacramenti diſertis verbis meminit Innocentius I Epiſt. 1 ad Decentium cap. 8, Alcuinus lib. de Divin. Offic. cap. de Infirmis. Ordinem expreſſe inter Sacramenta numerat S. Leo Epiſt. 81 ad Dioſcorum, & S. Dionoyſius Areopag. de Eccleſ. Hierarch. cap. 5 oſtendit, per illam gratiam conferri. Matrimonium S. Joan. Chryſoſtomus Homil. 20 in Epiſt. ad Epheſ. vocat magnum Myſterium. S. Ambroſius lib 1 de Abraham cap. 7 Sacramentum cæleſte. Verum quia plura ejusmodi Patrum teſtimonia afferre nimis longum foret, 29

Audiamus adhuc unicum S. Auguſtinum, qui ſolus omnia ſeptem Sacramenta aperte tradidit. Imprimis lib. 5 de Baptiſ. cap 20 contra Donatiſt. ita ſcribit: *Si adhuc valet, quod dictum eſt in Evangelio: DEUS peccatorem non audit. ut per peccatorem Sacramenta non celebrentur, quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel ſuper aquam Baptismi, vel ſuper Oleum, vel ſuper Euchariſtiam, vel ſuper capita eorum, quibus manus imponitur, quæ omnia fiunt per homicidas in ipſa intus Eccleſia.* Quibus verbis S. Doctor expreſſe inter Sacramenta numerat Baptismum, 30

Oleum, quo denotari solebat extrema Unctio, Eucharistiam, & manus impositionem, per quam vel Sacramentum Ordinis, vel Confirmationis intelligi potest; utrumque enim alibi expresse adstruit; primum quidem lib. contra Petilian. cap. 104, ubi ait: *Sacramentum chrismatis in genere visibilium signaculorum sanctum esse, sicut ipse Baptismus.* Alterum lib. 1 de Baptis. cap. 1, ubi ait, illos, qui prius, quam recederent ab Ecclesia, ordinati sunt, non amplius ordinari, *Quia Ordinationis suæ Sacramentum tamen gerunt.* Porro reconciliationem seu pœnitentiam disertis verbis Sacramentum appellat in Ps. 146. Matrimonium vero lib. 1 de Nupt. cap. 10, & lib. 9 de Genes. cap. 7, ubi ait: Matrimonii triplex bonum, proles, fides, Sacramentum.

Objectiones.

31 Obj. 1. Scriptura nullibi dicit esse septem Sacramenta, neque illis, quæ nos assignamus, nomen Sacramenti tribuit: ergo. Confir. Ex Scriptura non constat, quisnam ritus externus, & quænam verba debeant adhiberi, imo defacto Ecclesia adhibet longe alios ritus, quam ab Apostolis fuerunt adhibiti. Resp. Neg. Ant. & Cons. Quamvis Scriptura numerum Sacramentorum non tradat explicite, neque singulis expresse apponat nomen Sacramenti; quæstione tamen sequente ostendetur, quod septenarium Sacramentorum doceat implicite & æquivalenter, quatenus tradit septem signa visibilia a Christo esse instituta cum promissione gratiæ, in qua juxta ipsos hæreticos ratio Sacramenti consistit. Dein multa ex traditione tenemur credere, quæ in Scriptura non sunt expressa præsertim clare. Sic Scriptura nullibi dicit esse duo vel tria Sacramenta, nec nomen Sacramenti expresse tribuit Baptismo & Eucharistiæ, & tamen ipsi Adversarii credunt, utrumque jam fuisse Sacramentum, antequam Scriptura novæ legis existeret. Ad confir. sub data distinctione Neg. Ant. de ritibus &

ver-

verbis quoad substantiam consideratis, quæ Ecclesia nunquam mutavit, ut ex dicendis patebit.

Dices. Juxta Scripturam Joan. 19 v. 34 ex latere Christi fluxit sanguis & aqua, id est, Baptismus & Eucharistia, ut hunc locum interpretantur SS. Chrysostomus, Cyrillus, Theophilactus, aliique Patres, præsertim Græci: ergo juxta Scripturam tantum dantur duo Sacramenta. Conf. Apoc. 17 v. 7 Angelus Sacramentum vocat illam bestiam, quæ septem habebat capita: ergo numerus septenarius Sacramentorum pertinet ad Antichristum, qui per illam bestiam designabatur, ut blasphemat Kemnitius. Resp. Trans. Ant. Neg. Conf. Ex eo, quod ex latere Christi fluxerint duo Sacramenta, non sequitur, quod non dentur plura, cum nec Scriptura id afferat, neque per istam figuram excludantur. Porro locus S. Joannis a Patribus apud Bellarm. lib. 2 de Sacram. in genere cap. 27 varie exponitur. S. Hieronymus sanguinem & aquam dicit duo esse Baptismata sanguinis, & aquæ. S. Ambrosius, Augustinus, Leo &c. per sanguinem intelligunt redemptionis pretium, per aquam Baptismum, ut sensus sit, quod ex latere Christi profluxerit baptismus non tantum inefficax, qualis erat Baptismus Joannis, sed efficax, qui pretium suum, ac vim mundandi haberet ex sanguine Christi. Ad conf. Si in Apocalypsi per septem capita bestiæ intelligerentur septem Sacramenta juxta Kemnitium, etiam Baptismus & Eucharistia inter illa numerari deberent. At Scriptura tantum in numero singulari ipsam bestiam Sacramentum, seu Mysterium, vocat, per septem capita autem denotantur septem reges, ut ipse sacer textus interpretatur. 32

Dices 2. Neque ex Scriptura, neque ex Patribus satis constat, quid sit Sacramentum: ergo non potest dogmatice statui, quot sint. Conf. Non est certum inter Catholicos, quænam sit materia & forma Sacramentorum, ut patet ex variis opinio- 33

nibus ſcholaſticorum e. g. de materia & forma matrimonii: ergo. Reſp. Diſt. Ant. Non certo conſtat, quid ſit Sacramentum, id eſt, definitio Sacramenti in Scriptura & Patribus non eſt ad apicem & omnes voculas expreſſa, Conc. Ant. Ipſa ratio Sacramenti novæ legis non eſt ſufficienter declarata, Neg. Ant. & Conſ. Concilium Florentinum & Tridentinum, ſatis explicant effectus & proprietates Sacramentorum, & ex communi ſenſu ac perpetua traditione Eccleſiæ certo novimus, ad rationem Sacramenti novæ legis requiri, ut ſit ſignum ſacrum conferens gratiam; cum igitur juxta Scripturam & Patres tantum dentur ſeptem ejusmodi ſigna, optime ac dogmatice concludimus ſeptem dari Sacramenta novæ legis, nec plura nec pauciora. Ad Conf. Trans. Ant. Neg. Cons. Iſtæ duæ veritates e. g. Matrimonium eſt Sacramentum: & hoc vel illud eſt materia aut forma Matrimonii, ſunt valde diverſæ; ergo de prima certo poteſt conſtare, quin etiam altera ſit certa, neque hæc notitia populo chriſtiano eſt neceſſaria, ſed modo ſciat ad valide contrahendum matrimonium requiri conſenſum mutuum legitimarum perſonarum præſente parocho & duobus vel tribus teſtibus, totus finis hujus Sacramenti poteſt obtineri.

34 Obj. 2. Nullus SS. Patrum Auguſtino antiquiorum tradidit ſeptem Sacramenta: ergo ſeptenarius Sacramentorum non eſt traditio Patrum, ſed Scholaſticorum commentum. Conf. S. Juſtinus Apolog. 2 tantum meminit Baptismi & Euchariſtiæ. Irenæus Baptismi, Euchariſtiæ & Pœnitentiæ. Tertullianus Baptismi, Chrismatis, Euchariſtiæ & manuum impoſitionis; ergo. Reſp. Patres etiam nullibi tradunt Sacramenta tantum eſſe duo, vel tria, aut pauciora quam ſeptem. In forma Diſt. Ant. non tradunt ſeptem Sacramenta numerum hunc expreſſe, & arithmetice definiendo, Conc. Ant. adſtruendo res numeratas, quibus re-

vera

vera numerus ſeptennarius completur, Subdiſt. Patres ſeorſim ſpectati, Conc. Ant. ſimul ſumpti, Neg. Ant. & Conſ. Quando Patres ſcripſerunt de Sacramentis, non voluerunt omnia explicare, ſed tantum illa, quæ vel ab hæreticis tunc impugnabantur, vel ad ſcopum, quem ſibi præfixerant, ſpecialiter pertinebant. Interim ſi omnes ſimul ſumantur, nullum eſt, quod ab illis non fuit traditum, ut patet ex probatione ſecunda. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Nullus iſtorum Patrum ex profeſſo diſputavit de omnibus Sacramentis, ſed ſeorſim pro opportunitate meminerunt modo hujus, modo illius, quin reliqua negaverint, ut loc. cit. oſtendit Bellarm.

Dices 1. Neque Patres, qui ex profeſſo de 35 univerſis Sacramentis novæ legis egerunt, ſeptem adſtruunt. Sic S. Dionyſius Areopag. lib. de Eccleſ. Hierarch nullum verbum habet de extrema Unctione & Matrimonio. S. Cyrillus Hieroſolym. in ſuis catecheſibus ſolum loquitur de Baptismo, Chrismate & Euchariſtia, uti etiam S. Ambroſius, qui tamen duo grandia volumina de Sacramentis ſcripſit, & lib. 6 cap. 2 ita concludit: *Accepiſti de Sacramentis pleniſſime, cognoviſti omnia.* Reſp. Neg. Ant. & ſuppoſitum, quod nominati Patres de omnibus Sacramentis ex profeſſo agere voluerint, ſed S. Dionyſius ſolum egit de ſacris ſeu hierarchicis illis functionibus, quæ cum aliqua conſecratione fidelium exercentur, qualis non ſit in extrema Unctione & Matrimonio. SS. Cyrillus & Ambroſius ſolum voluerunt explicare Sacramenta Neophitorum, quibus tunc uno eodemque tempore conferri ſolebant Baptismus, Confirmatio & Euchariſtia, ut ipſe Ambroſius fatetur; unde non voluit dicere abſolute, quod explicaverit pleniſſime omnia Sacramenta, ſed reſtrictim & relate ad Neophitos, ſeu omnia, de quibus Neophitos edoceri oporte-

 bat.

bat, ut patet ex titulo voluminis secundi: *De his, qui mysteriis initiantur*.

36 Dices 2. Est incredibile, quod Patres, si septem Sacramenta agnovissent, nunquam illorum numerum apertius tradidissent, cum res sit maximi momenti, nec ulla probabilis causa afferri possit, cur id non fecerint: ergo. Resp. Dist. Ant. Quod illorum numerum nunquam apertius tradidissent verbo, Conc. Ant. scripto, Neg. Ant. Hoc enim neque necessarium, neque consultum erat: non necessarium, quia quæ in omnium veluti oculis posita, ipsaque praxi & usu quotidiano trita sunt, etsi litteris non consignentur, vix unquam oblivioni tradi possunt, cum viva quadam ac spirante traditione quasi per manus ad posteros transmittantur; non consultum, ne sacrosancta Religionis Mysteria impiorum ludibrio ac profanationi exponerentur. Inde in evulgandis fidei dogmatis tanta circumspectione usi sunt, ut teste S. Augustino lib. de catech. rudibus etiam ideo fuerint nuncupata mysteria, id est, secreta & occulta, quæ nefas esset in publicum efferre, sed solis initiandis essent communicanda. Religiosi hujus silentii testes sunt S. Basilius lib. de Spiritu Sancto cap. 27, S Ambrosius lib. de his, qui mysteriis initiantur cap. ult. Innocentius 1 Epist. Decret. 1 cap. 3, & quotquot ferme ex veteribus de Religione scripserunt, imo S. Chrysostomus adhuc sub finem sæculi IV hac silentii lege se adstrictum censuit, ut indicat Homil. 40 in Epist. 1 ad Cor.

37 Obj. 3. SS. Patres longe plura numerant Sacramenta, quam septem. Sic Alexander I Epist. 1 Sacramentum vocat aquam benedictam, S. Augustinus lib. 19 cont. Faustum cap. 14. & lib. 4 de Symb. cap. 1 signum crucis, ceremonias ante Baptismum adhiberi solitas, Exorcismos &c. S. Dionysius, Diodorus Studita, aliique Græci professionem religiosam Sacramentis adnumerant; ergo. Resp. Dist. Ant. Plu-

ra

ra numerant Sacramenta proprie ac ſtricte talia, Neg. ant. late talia, conc. ant. & neg. conſ. In ſenſu latiore quælibet ceremonia ſacra vocatur Sacramentum; hinc quod dentur ſeptem Sacramenta ſtricte talia non ſolum inferimus ex nomine Sacramenti, ſed quia juxta traditionem a Chriſto ſunt inſtituta cum promiſſione gratiæ, & a Patribus veris Sacramentis adnumerantur. At vero de aqua benedicta, ſigno Crucis &c. non conſtat, quod ſint inſtituta a Chriſto, multo minus, quod habeant annexam promiſſionem gratiæ; nam etiam catechumenis necdum baptizatis impenduntur, qui nullius Sacramenti proprie talis capaces ſunt. Porro Eccleſia græca etiam poſt factum ſchisma ſemper ſtetit pro ſeptenario Sacramentorum, ut conſtat ex cenſura Jeremiæ Patriarchæ Conſtantinopolitani, quæ Auguſtanam Confeſſionem perſtrinxit, & ex Concilio trium Patriarcharum contra Cyrillum Conſtantinopolitanum anno 1638 Conſtantinopoli habito. Quodſi pauci quidam aliter ſenſiſſent, privata eorum opinio contra univerſalem Eccleſiæ fidem nihil valeret.

Dices 1. Juxta ipſos Catholicos Euchariſtia eſt 38
integrum Sacramentum ſub ſpecie panis, & integrum ſub ſpecie vini. Pœnitentia alia eſt ſecreta, alia publica, de qua frequens fit mentio in antiqua Eccleſia. Baptismus triplex diſtinguitur fluminis, flaminis & ſanguinis: ergo. Reſp. Diſt. ant. quoad 1 membrum. Euchariſtia ſub qualibet ſpecie ſeorſim ſumpta eſt integrum Sacramentum integritate rei contentæ, in quantum ſub qualibet ſpecie totus Chriſtus continetur, Conc. ant. integritate ſigni, quaſi quælibet ſpecies totam illius ſignificationem exprimat, Neg. ant. Nam Sacramentum Euchariſtiæ ſignificat convivium ſpirituale, quod juxta analogiam cum convivio corporali conſiſtit in cibo & potu. Ad 2. Dico, vel Pœnitentiam publicam non fuiſſe Sacramentum, vel

tantum diversum quoad modum & disciplinam, ut in Tractatu de Pœnitentia exsplicatur. Ad 3. Solus Baptismus fluminis est Sacramentum; hinc solum ideo dicuntur dari tria baptismata, quia homines via triplici salvari possunt, nempe vel per Baptismum, vel Martyrium, vel per charitatem & contritionem perfectam cum voto lavacri conjunctam.

39 Dices 2. Saltem extrema Unctio & Ordo est Sacramentum multiplex. Nam extrema Unctio fit in diversis sensuum organis; Ordo autem in Episcopatum, Presbyteratum, Diaconatum, Subdiaconatum, & quatuor Minores distinguitur, quibus alii addunt primam Tonsuram, dum econtra alii negant quatuor Minores & Subdiaconatum Sacramentum esse. Resp. Omnes Unctiones, quæ in diversis corporis partibus cum forma conveniente adhibentur, revera tantum unum esse Sacramentum, quia omnes ex Christi institutione ad eundem finem, eundem effectum, eandemque gratiam obtinendam ordinantur; hinc juxta communem Theologorum urgente necessitate per unicam Unctionem & formæ enunciationem potest perfici. Simili modo omnes ordines tendunt ad eundem finem, & unum totum potentiale constituunt; finis enim est consecrare idoneum ministrum sacrificii & Sacramentorum, præcipue Eucharistiæ & Pœnitentiæ, qualis est presbyter, ut adeo omnes ordines inferiores ad presbyteratum referantur, Episcopatus vero sit ultimum illius complementum. Porro an Subdiaconatus, Ordines Minores & prima Tonsura sint Sacramentum, ad controversias scholasticas pertinet.

40 Obj. 4. Lotioni pedum, quam Joan. 13 Christus instituit, & Ecclesiæ observandam reliquit, conveniunt omnia ad Sacramentum proprie dictum requisita: ergo. Ant. prob. Hæc lotio est 1 ritus externus. 2. A Christo præceptus & institutus,

v. 14: *Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius pedes lavare; exemplum enim dedi vobis &c.* 3. Habet annexam promissionem gratiæ: *Si non lavero te, non habebis partem mecum,* v. 8. Resp. Neg. ant. ad prob. conc. ant. quoad 1 membrum. Neg. quoad 2, & 3. Prima verba Christi non debent accipi ad litteram de externa & materiali lotione pedum, sed mystice de humilitate & charitate, quarum singulare exemplum nobis dedit pedes discipulorum lavando: per verba reliqua Christus Petro non fuit damnationem comminatus absolute, quasi lotioni pedum in se fuerit alligata gratia & salus Petri, sed conditionate, & propter inobedientiam, qua hoc supplicio se dignum fecisset, si magistro suo diutius pertinaciter restitisset. Ita utrumque hunc locum apud Bellarm. lib. 2 de Sacram. in genere cap. 24 exsplicant S. Chrysostomus, Cyrillus & Basilius lib. 1 de Baptis. cap. 2. Ratio ulterior est, quia lotio pedum nunquam fuit recepta in tota Ecclesia, nequidem in Romana: hanc autem primis etiam sæculis institutionem & mandatum Christi ignorasse aut contempsisse, nec heterodoxus dixerit.

Dices 1. Quando Christus Joan. 3 v. 5 dixit: *Nisi* 48
quis renatus fuerit &c. absolute præcepit Baptismum: ergo quando dixit: *Si non lavero te* &c. absolute præcepit lotionem pedum. Conf. S. Cyprianus lib. de cardinal. Christi operibus. Serm. de lot. pedum ait: Lotionem pedum esse ultimam lavacri speciem, quotidianis expiationibus commodatam, & hujus mysterii inevitabilem esse necessitatem. Resp. conc. ant. neg. conf. Illa locutio, *Nisi quis renatus fuerit* &c. est absoluta & universalis, nullaque conditione restringitur: altera, *Si non lavero te* &c. est singularis & conditionata, quia fuit directa ad solum Petrum, cui comminatio facta est in pœnam inobedientiæ. Ad conf. Liber allegatus non est S. Cypriani, sed ab Arnaldo Bonæ vallis in Gallia sæ-

culo

culo XII Abbate ſcriptus, qui tamen aliud videtur non velle, quam quod externa lotio pedum, a Chriſto facta, fuerit ſignum ablutionis internæ & ſpiritualis, qua tum peccata venialia per opera humilitatis, tum peccata gravia poſt baptismum commiſſa per Sacramentum pœnitentiæ elui debent. *Propter hoc*, ait, *pedes lavas diſcipulis, quia poſt baptiſmum, quem ſui reverentia non patitur iterari, aliud lavacrum procuraſti*, nempe pœnitentiam, cujus ablutio pedum a Chriſto facta figura quædam fuit.

42 Dices 2. S. Ambroſius lib. 3 de Sacram. cap. 1 lotionem pedum vocat *Myſterium, quod antiqui ſerpentis venena diluat, & majorem ſanctificationem conferat*. Et lib. de Myſteriis cap. 6 inquit: *Igitur planta ejus* (Petri) *abluitur, ut hæreditaria peccata tollantur*. Reſp. Quando S. Ambroſius lotionem pedum vocat Myſterium ſeu Sacramentum, id accipit in ſenſu latiore pro ceremonia ſacra, quæ ad exemplum Chriſti laudabiliter exercetur. Sanctificationem illi tribuit, non quod ipſo ſui uſu ſanctificet, ſed quia in nobis excitat charitatem & humilitatem, & ſic ex opere operantis ſuo modo tollit peccata venialia, ad quæ per continuam concupiſcentiam hæreditariam ſollicitamur; ita enim peccata hæreditaria ipſemet interpretatur in Pſalm. 48 n. 9. Interim quod S. Doctor lotionem pedum non agnoverit pro vero Sacramento, clare patet ex ſermone de ablutione pedum, ubi ita loquitur: *Conſuetudo, quæ rectius non ſervatur in Romana Eccleſia de non lavandis pedibus, in Mediolanenſi Eccleſia de ipſis lavandis etiam recte cuſtoditur tum propter exemplum Chriſti & Petri, tum ut gratiam virtute humilitatis, & Chriſti imitationis obtineat.*

43 Dices 3. S. Bernardus ſerm. in cœna Domini lotionem pedum non ſolum vocat Sacramentum, ſed etiam comparat cum Baptiſmo & Euchariſtia: *De tribus Sacramentis Baptiſmo, Euchariſtia & lotione pedum*

pedum dicendum erit. 2. Dicit illam ſicut omnia alia Sacramenta fuiſſe inſtitutam: *Ut inviſibilis gratia ſigno aliquo viſibili præſtaretur.* 3. Quod non ſit facta pro ſolo exemplo, ſed quod ſit neceſſaria ad ſalutem, & *Ut de remiſſione quotidianorum* (peccatorum) *minime dubitaremus.* Reſp. Ne S. Bernardus omnibus Scriptoribus coætaneis, & communi doctrinæ Eccleſiæ contradixiſſe dicatur, benignius exponendus eſt, quod videlicet nomen Sacramenti accipiat latius, & inter lotionem pedum, & Baptismum ac Euchariſtiam tantum inſtituat paritatem inadæquatam in hoc, quod ſit ceremonia ſacra, & myſtica præparatio ad Euchariſtiam, ſummam Chriſti charitatem & humilitatem ſignificans. 2. Quod ſit inſtituta in ſignum viſibile gratiæ, at non conferendæ per ipſam pedum lotionem, ſed per rem ſignificatam, nempe per charitatem & humilitatem. 3. Quod ſit Myſterium rei ad ſalutem neceſſariæ, non quaſi ipſa ex ſe poſſit ſalutem operari, ſed ex parte rei ſignificatæ, quatenus ſine humilitate & charitate nemini aditus in cælum patere poteſt.

QUÆSTIO III.

Quænam ſint Sacramenta novæ legis?

Reſolutio hujus quæſtionis manifeſte patet ex iis, quibus exiſtentiam & ſeptenarium numerum Sacramentorum hucusque probavimus; nam eadem Eccleſiæ & Patrum traditio, quæ docet ſeptem dari Sacramenta, etiam docet, quænam illa ſint. Quia nihilominus Sectarii ad Scripturam ſemper provocant, juverit ipſis oſtendere, quod in hac materia neutiquam ſufficienti ex ſacris litteris fun- 44

damento

damento destituamur. Equidem non dico, singula Sacramenta in novo testamento ita revelata esse, ut in solo verbo scripto omnino clare contineantur, aut inde evidenti consequentia deduci queant; si tamen verba Scripturæ accipiantur juxta mentem Patrum, & receptum Ecclesiæ sensum, nullum amplius de illis dubium manere potest. Neque contra hoc conqueri possunt adversarii, quia æque parum valent ostendere sua Sacramenta, nisi textibus sacris accedat expositionis auctoritas; quomodo enim alias evincent Baptismo magis annexam esse promissionem gratiæ, quam pedum lotioni? unde sciunt ad valorem Baptismi requiri expressam invocationem trium personarum Divinarum, cum in actis legatur, quod Apostoli baptizaverint in nomine Jesu Christi &c.

45 Dicendum. Sacramenta novæ legis sunt illa ipsa septem, quæ quæst. præced. num. 27 ex Concilio Tridentino recitavimus. Quippe juxta S. Scripturam hæc sola ex institutione Christi sibi annexam habent promissionem gratiæ. Probatur de singulis. Baptismi ritus indicatur ad Ephes. 5 v. 26. *Dilexit Ecclesiam, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ & verbo vitæ.* Mandatum Joan. 3 v. 5. *Nisi quis renatus fuerit* &c. Et Matth. ult. v. 19. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos* &c. Promissio gratiæ ad Tit. 3. v. 5. *Salvos nos fecit per lavacrum.* Et Marc. 16 v. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Confirmationis ritus habetur Act. 8 v. 17. *Tunc imponebant manus super illos.* Promissio gratiæ ibi refertur his verbis: *Accipiebant Spiritum sanctum.* Item Act 19 v. 6. *Cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos.* Ex quibus etiam colligitur institutio, quia Apostoli nunquam ita confidenter ad communicandam gratiam Spiritus Sancti hoc ritu fuissent usi, nisi a Christo fuisset institutus.

Ritus Euchariſtiæ exprimitur Matth. 26 v. 26. 46
Accepit JEſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis &c. Inſtitutio ac mandatum Luc. 22 v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem.* Et Joan. 6 v. 54. *Niſi manducaveritis carnem filii hominis* &c. Ubi v. ſeq. etiam datur promiſſio gratiæ: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.* Pœnitentiæ ritus conſiſtens in abſolutione judiciali deſcribitur Joann. 20 v. 22. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittentur eis.* His ipſis indicatur promiſſio gratiæ, per quam peccata remittuntur. Inſtitutio autem per verba immediate præcedentia: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Extremæ Unctionis ritum docet nos S. Jocobus c. 5 v. 14. *Orent ſuper eum, ungentes eum in nomine Domini.* Item promiſſionem: *Et ſi in peccatis fuerit, remittentur ei.* Ex quibus clare infertur etiam inſtitutio; neque enim Apoſtolus ſine inſtitutione Chriſti peccata remittere potuiſſet, nec tantum effectum auſus fuiſſet promittere, niſi id a Domino accepiſſet.

Sacramenti Ordinis ritus externus videlicet ma- 47
nus impoſitio & promiſſio gratiæ legitur 1 ad Timoth. 4 v. 14. *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum presbyterii.* Et 2 ad Timoth. 1 v. 6. *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam DEI, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* Inſtitutio habetur ad Epheſ 4 v. 11, ubi dicitur: *Ipſe dedit quosdam quidem Apoſtolos, alios Evangeliſtas, alios paſtores & doctores.* Neque Apoſtolus absque inſtitutione Chriſti ſcire potuiſſet, Timotheo per impoſitionem manuum gratiam datam fuiſſe. Ritus Matrimonii nempe contractus inter perſonas habiles, viſibili ſigno expreſſus exponitur ab Apoſtolo ad Epheſ. 5 v. 32, ubi Matrimonium vocat: *Magnum Sacramentum in Chriſto & Eccleſia.* Ejus Inſtitutio habetur Matth. 19 v. 6 in illis verbis: *Quod ergo DEUS*

conjunxit, homo non separet. Promissio gratiæ rursus ex cap. 5 ad Ephes. colligitur; nam ibi v. 28 hortatur Apostolus viros, ut diligant uxores, sicut Christus Ecclesiam, ut videlicet non solum sint conjuncti carnaliter, sed etiam spiritualiter per gratiam & charitatem, & sic significatio matrimonii sit perfecta.

48 Cæterum ratio a priori, quare Christus hæc septem Sacramenta, & non alia instituerit, est ipsum beneplacitum Christi, quasdam tamen congruentias assignat S. Thomas 3 part. q. 75, quarum non est postrema, quæ ab analogia vitæ spiritualis cum corporea ducitur. Nempe in vita corporea ex parte singulorum hominum per se requiritur generatio, augmentatio, nutritio, per accidens medicina contra morbos, & remedium contra reliquias morbi, ut perfecte iterum convalescat æger. Ex parte vero reipublicæ imprimis requiruntur parentes, qui hominum genus, & vitam propagent, dein etiam Principes & Magistratus, qui rempublicam gubernent. Simili modo in vita spirituali respectu singulorum. 1. Regeneratio fit per Baptismum. 2. Augmentatio per Confirmationem. 3. Nutritio per Eucharistiam. 4. Remedium contra morbos animæ habetur per Pœnitentiam. 5. Et contra reliquias peccatorum per Extremam Unctionem. 6. Ex parte reipublicæ datur Matrimonium, quo homines propagentur ad cultum DEI. 7. Et Ordo sacer, quo regantur & gubernentur.

Objectiones.

49 Obj 1. Impositio manus tantum fuit quædam oblatio, qua baptizati commendabantur DEO: ergo Confirmatio non est Sacramentum. Conf. Quando in Scriptura dicitur, quod per impositionem ma-

nuum fuerit datus Spiritus Sanctus, non intelligitur gratia sanctificans, sed donum prophetiæ, linguarum, curationum, aliæque gratiæ gratis datæ; nam Samaritani, de quibus Act. 8 v. 17 sermo est, Spiritum Sanctum jam acceperant per Baptismum; Act. 19 v. 6 autem asseritur, quod confirmati a S. Paulo *loquebantur linguis, & prophetabant*, sicut etiam Apostoli die Pentecostes tantum dono linguarum & miraculorum repleti sunt. Resp. Neg. ant. Quia Scriptura Act. 8 & 19 clare testatur, quod per impositionem manuum fuerit collatus Spiritus Sanctus. Ad conf. iterum Nego Ant. Quamvis enim Samaritani per Baptismum jam acceperint gratiam regenerantem, nondum tamen habuerunt gratiam roborantem & confortantem in fide. Neque gratiæ gratis datæ unquam in Scriptura Spiritus Sanctus simpliciter vocantur, sed potius erant effectus quidam secundarius, quem quidam Confirmati a S. Paulo, & Apostoli die Pentecostes una cum Spiritu Sancto acceperunt, attamen hic effectus non conferebatur omnibus, ut indicat Apostolus 1 ad Cor. 12 v 30 dicens: *Nunquid omnes habent gratiam curationum? nunquid omnes linguis loquuntur?*

Dices 1. Post tempora Apostolorum Confirmatio non amplius operatur illa miracula & effectus visibiles: ergo Apostoli ex privilegio speciali per eam potuerunt conferre Spiritum Sanctum. Conf. Impositio manuum, quæ postea in Ecclesia fuit adhibita, tantum est ceremonia Baptismi, habens eundem effectum cum Baptismo; hinc in Euchologiis Græcorum ponitur in Ordine Baptismatis, & qui non fuerant chrismati, ab illis non admittebantur ad sacram mensam. Imo etiam Valfridus, Rabanus, aliique Scriptores sæculi IX Unctionem, quam Sacerdos adhibet in Baptismo, confundunt cum ea, quam Episcopus facit in confirmatione, 50

& iſtam per illam ſuppleri poſſe affirmant. Reſp. Conc. ant. neg. conſ. Sicut fideles non amplius tot operantur miracula, ut olim, quin ideo fides ſit inanis aut otioſa, ita quamvis ejusmodi effectus ſecundarii Confirmationis, utpote non amplius neceſſarii, ceſſaverint, manet tamen ſemper adhuc effectus primarius, qui eſt augere gratiam ſanctificantem & homines conſortare in fide, ad quem conferendum Apoſtoli nullibi leguntur accepiſſe ſpeciale privilegium, quod non ad legitimos illorum ſucceſſores tranſiret. Ad Conf. neg. ant. equidem priſcis temporibus Baptismus, Confirmatio & Euchariſtia ordinarie ſimul conferebantur; conſtat nihilominus, Confirmationem ſæpius ſeparatim a Baptismo etiam per Apoſtolos adminiſtratam fuiſſe, & SS. Patres illam expreſſe a Baptismo diſtinguunt, omnesque effectus Sacramenti eidem tribuunt, ut demonſtrat Auctor Rei Sacrament. lib. 3 cap. 3. Quare Græci ſolum ideo Confirmationem in ſuis Euchologiis cum Baptismo conjunxerunt, quia ordinarie ſimul conferebantur, ob cujus conſuetudinis neglectum a ſacra menſa nondum chriſmatos removebant. At Scriptores ſæculi IX, quamvis putaverint Unctionem Confirmatoriam aliquo modo per Baptismalem ſuppleri poſſe, tamen utramque multipliciter diſtinguunt, ut ex ipſo Valfrido & Rabano oſtendit Tournel. quæſt. 1. de Sacrament. Confirm.

51 Dies 2. Certum eſt in primitiva Eccleſia, & ab Apoſtolis impoſitionem manuum ſæpe fuiſſe adhibitam ſine collatione Spiritus Sancti; hinc de Sacramento Confirmationis nulla fit mentio apud antiquiſſimos Patres Clement. Juſtin. Athenag. Tatian. &c. illudque etiam nunc incognitum eſt multis Eccleſiis Æthiopiæ, Armeniæ, Chaldeæ: ergo. Confir. S. Auguſtinus lib. 3 de Baptis. cap. 16 ait, manuum impoſitionem tantum eſſe orationem, & ideo

ideo posse repeti, ex quo loco Gratianus Can. Arianos 73 caus. 1 q. 1 colligit, manus impositionem non esse Sacramentum. Resp. Conc. ant. dist. conf ergo non omnis manus impositio est Sacramentum, Conc. conf. nulla, Neg. conf. Variæ impositiones manuum in Ecclesia fuerunt usurpatæ. Aliquæ adhibebantur ad curandos morbos juxta illud Marc. ult. v. 18: *Super ægros manus imponent, & bene habebant.* Aliis hæretici & peccatores rursus reconciliabantur Ecclesiæ. Aliæ ordinabantur ad conferendam quandam sanctitatem externam; nos autem illam duntaxat dicimus Sacramentum proprie tale, quæ in ordine ad dandum Spiritum Sanctum cum debito ritu & forma usurpatur. Neque ad confirmandam alicujus dogmatis veritatem necesse est, ut omnes Scriptores cujuslibet ætatis de illo mentionem faciant: sufficit igitur, quod de Sacramento Confirmationis meminerint Tertull. Cyprian. Optat. Cyrill. Hierosol. multaque Concilia apud Auctorem Rei Sacram. loc. cit. idemque agnosci ab Ecclesiis Æthiopica, Armenica &c. probat Tournelius de Sacram. Confirm. q. 1 a. 2; quamquam ex illis Ecclesiis particularibus & schismaticis nihil contra veritatem Catholicam inferri posset. Ad Conf. S. Augustinus ibi loquitur de impositione manuum reconciliatoria, quam Gratianus bene dicit non esse Sacramentum. Interim manifestum est a S. Augustino, Confirmationem inter vera Sacramenta non uno in loco numerari.

Obj. 2. Extremæ Unctionis solum fit mentio in 52
Epistola Jacobi, quæ non est canonica, & loquitur de qualibet infirmitate, cum Extrema Unctio solum conferatur iis, qui in proximo mortis periculo constituti sunt: ergo. Conf. S Jacobus tantum loquitur de gratia curationum, de qua est sermo Marc. 6 v. 13; nam expresse ait: *Oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus.*

Resp. Transf. ant. neg. conf. Tum quia certum est, Christum multa dixisse, quæ non sunt scripta: tum quia Epistolam Jacobi ut canonicam agnoverunt antiquissimi Patres & Concilia, quibus si hæretici fidem denegant, ne quidem existentiam Scripturæ probare poterunt. Porro de quanam infirmitate S. Jacobus locutus sit, optime declarat perpetua praxis Ecclesiæ, juxta quam licet infirmitas debeat esse gravis, non tamen æger jam debet esse in extremis, aut sensibus destitutus, ut patet ex Ritualibus & Catechismo Romano part. 1 cap. 6 n. 9. Ad Conf. neg ant. Sanitas corporis est quidem effectus aliquis secundarius Extremæ Unctionis, principalis autem illius effectus est gratia sanctificans cum auxiliis actualibus ad superandas dæmonis tentationes, quem S. Jacobus cap. 5 v. 15 expressit his verbis: *Et si in peccatis fuerit, remittentur ei.* Porro unctio, qua Apostoli Marci 6 usi sunt, tantum fuit figura illius, de qua S. Jacobus loquitur, ut docet Tridentinum sess. 14. cap. 1.

53 Dices 1. Extrema Unctio non habet effectum infallibilem; nam post tempora Apostolorum vix ullus per illam sanatus est, idque non vi Sacramenti, sed medicinæ, aut naturæ. Conf. Ceremonia Unctionis absque dono curationis originem habet ab hæreticis, & ethnicis; nam ethnici consueverunt ungere mortuos, & unctione per modum Sacramenti primi usi sunt Valentiniani. Resp. Neg. ant. Quamvis sanitas corporis Extremæ Unctioni tantum sit promissa conditionate, si nempe infirmo expediat ad salutem æternam, quod non semper contingit; absolute tamen illi promissa est sanitas animæ seu gratiæ sanctificans, quæ semper infirmo expedit, & non ponenti obicem infallibiliter confertur. Imo sine temeritate dici nequit, per Extremam Unctionem nullum amplius sanari, cum Concilium Florentinum & Tri-

Tridentinum diſerte aſſerant, ſanitatem in hoc Sacramento promitti conditionate, ſi expediat. Ad Conf. Unctio moribundorum apud Catholicos eſt longe diverſa ab unctione ethnicorum & hæreticorum; illi enim ungebant jam mortuos: Valentiniani vero miſcebant aquam cum oleo, & terribilibus verbis Hebraicis vel potius barbaris utebantur, quos proin inſectatus eſt S. Auguſtinus Hæreſ. 16, & Epiphanius Hæreſ. 36.

Dices 2. Etiam noſter ritus eſt valde diverſus 54
ab illo, quem præſcribit Apoſtolus; nam ille requirit plures Sacerdotes, fidem in illo, qui ad infirmum inducitur, totumque effectum unctionis adſcribit orationi fidei: nos tantum requirimus unum Sacerdotem, effectum adſcribimus Sacramento, idque etiam ab hæreticis valide adminiſtrari dicimus. Conf. In primis ſæculis nullum invenitur exemplum Extremæ Unctionis, & ne quidem illi, qui mortem & facta poſtrema piorum hominum deſcripſerunt, unctionis mentionem faciunt: ergo. Reſp. Neg. Ant Quando Apoſtolus docet ritum Extremæ Unctionis juxta familiarem Scripturæ morem numerum pluralem Presbyterorum ponit pro ſingulari, & effectum adſcribit unctioni & orationi ſimul, quam vocat orationem fidei, non quod fides in miniſtro requiratur, ſed quia eſt fidei myſterium pro omnibus fidelibus inſtitutum. Ad Conf. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Quod Unctio Extrema primis ſæculis fuerit in uſu, teſtatur Origenes Homil. 2 in Levit. Innocentius I Epiſt. 1 ad Decent. cap. 2. Chryſoſtomus lib. 3 de Sacerdot. &c. apud Bellarm. de extrem. unct. cap. 4. Cumque res fuerit omnium experimento nota, mirum non eſt, quod ab illis, qui aliorum mortem deſcripſerunt, non fuerit litteris conſignata, ſicut non meminerunt ſumptionis S. Euchariſtiæ, quæ tamen certo in uſu fuit. Præterea aliqui, uti

Constantinus Magnus mox post Bapsismum mortui sunt, adeoque Unctione non indigebant, alii ut Paulus eremita, Simon Stylita, Joann. Chrysostomus subitanea morte sublati. Dein cum Extrema Unctio sit ultimum complementum pœnitentiæ, omnes illi implicite intelliguntur uncti, qui in pœnitentia obiisse referuntur.

55 Obj. 3. Impositio manuum, cujus S. Paulus ad Timotheum 1 v. 6 meminit, fuit tantum quædam ceremonia communis ab Apostolis frequenter, & in variis occasionibus usurpata; neque enim Christus ullibi præcepit, ut ministri Ecclesiæ certo ritu ordinarentur, nec ipsemet manus impositione usus est, quando Apostolos ordinavit, & S. GregoriusNyss. apudTournel. de Sacram.Ord.q.1.art.2. refert, Gregorium Thaumat. tridui itinere dissitum a Phædimo in Neocæsariensem Episcopum ordinatum fuisse. Conf. Ordinatio Timothei facta est per impositionem manuum presbyterii; atqui Sacramentum Ordinis a solis Episcopis potest conferri: ergo. Resp. Neg. Ant. quia impositioni manuum Timotheo factæ annexa fuerat promissio gratiæ. Quamvis igitur hic ritus nec in ordinatione Apostolorum a Christo fuerit observatus, nec in Scriptura claris verbis præceptus, illum nihilominus a Christo saltem quoad substantiam institutum fuisse, colligitur ex perpetua praxi Ecclesiæ & Patrum traditione, ut videre est in antiquissimis Conciliis Nicæno I. Can. 9. Antiocheno cap. 17. Ancyrano Can. 10. Carthaginensi IV cap. 23 & 24. S. Gregorius Nyssen. solum narrat Phœdimum suis monitis & precibus induxisse Gregorium Thaumat. ut in sui consecrationem consentiret: *Acceptatis tamen, atque peractis, quæ fieri solent, legitimis, & solemnibus.* Ad Conf. cum S. Chrysostomo Hom. 13 in Epist. ad Tim. dico, nomine presbyterii intelligi Episcopos, ut legitur

gitur in antiquis verſionibus, & patet ex eo, quia Paulus ait: *Per impoſitionem manuum mearum.*

Dices. Gratia, quam Timotheus per impoſi- 56
tionem manuum accepit, non erat ſanctificans, ſed gratis data; quippe in græco textu non vocatur χαρις, ſed χαρισμα, qua voce gratiæ gratis datæ deſignantur; & ipſe Apoſtolus ait, gratiam illam fuiſſe datam *per Prophetiam*, ſeu ut multi exponunt, in Prophetiam. Hinc S. Hieronymus in cap. 4 ad Timotheum, & S. Chryſoſtomus Homil. 13 locum S. Pauli de gratiis gratis datis interpretantur. Reſp. Neg. Ant. Vocem χαρις & χαρισμα idem ſignificare & omnium gratiarum genera comprehendere docent omnia Græcorum lexica, & Apoſtolus ipſe 1 ad Cor. 12 v. 31, ubi enumeratis variis gratiis inquit: *Æmulamini autem charismata meliora*, imo ad Rom. 5 v. 15 ipſam gratiam ſanctificantem χαρισμα vocat: *Non ſicut delictum, ita & donum*. Græce χαρισμα. Neque tamen nego, cum gratia ſanctificante Timotheo etiam donum prophetiæ collatum fuiſſe, quamquam multi exiſtiment, ſenſum textus 14. 1 ad Timoth. 4 eſſe: Noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi ſecundum prophetias præcedentes juxta revelationem factam, ut te Epiſcopum conſecrarem. Porro quando S. Hieronymus & Chryſoſtomus hunc locum exponunt de gratiis gratis datis, non excludunt gratiam ſanctificantem, ſed de illis loquuntur, quia primis illis temporibus in ordinatione ſæpe conferebantur, & erant effectus notiores.

Obj. 4. Ex una parte Matrimonium etiam apud 57
infideles eſt bonum & ſanctum: ex altera parte jam in ſtatu innocentiæ ſignificabat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia, & de illo jam verificabatur: *Quod DEUS conjunxit, homo non ſeparet*, Matth. 19 v. 6. Hinc S. Leo Epiſt. 92 ad Ruſticum ſcribit: *Nuptias ab initio ſic conſtitutas, ut in ſe haberent Sacramentum Chriſti & Eccleſiæ*: ergo Matrimonium

non est Sacramentum novæ legis. Conf. Apostolus ad Ephes. 5 v. 32 non dicit Matrimonium, sed conjunctionem Christi cum Ecclesia esse magnum Sacramentum: ergo. Resp. Trans. Ant. Neg. Conf. Matrimonium est quidem etiam apud infideles bonum & honestum, non tamen, ut sæpe docet S. Augustinus, est Sacramentum, sicut non fuit verum Sacramentum matrimonium Adami & Evæ; quamvis enim aliquo modo significaverit conjunctionem Christi cum Ecclesia, ideo non contulit veram sanctitatem, nec de illo loquitur Apostolus ad Ephes. ut patet ex illis verbis præcedentibus: *Relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ.* Quæ sunt generalia, & ad tempus futurum referuntur; hinc Apostolus non dicit: hoc *fuit*, sed hoc *est* magnum Sacramentum, nempe non ab initio mundi, sed a prima sui institutione, ut vult S. Leo. Ad Conf. Neg. Ant. Contrarium patet ex pronomine demonstrativo *hoc*, quod necessario referri debet ad verba præcedentia: *Erunt duo in carne una*, scilicet indissolubiliter, & relicto patre & matre, ut hunc locum exponunt SS. Ambros. Hieron. Chrysost. apud Bellarm. de Matrim. c. 2.

58 Dices 1. Ex eo, quod Matrimonium significet conjunctionem Christi cum Ecclesia, & Apostolus conjugibus commendet mutuam dilectionem, neutiquam sequitur, quod Matrimonio sit promissa gratia; nam Apostolus etiam commendat virginitatem, & Christus omnes homines hortatur, ut se invicem diligant, sicut dilexit nos: ergo. Conf. Multi christiani conjuges pejus vivunt, quam ethnici, & Siricius Papa Epist. ad Himerium Taraconensem Matrimonium vituperat. Resp. Neg. Ant. Matrimonium non significat qualemcunque conjunctionem Christi cum Ecclesia, sed spiritualem & perfectam: Apostolus quoque conjuges non tantum sim-

ſimpliciter hortatur ad dilectionem, ſed quia Matrimonium eſt magnum Sacramentum in Chriſto & Eccleſia, quod nec de virginitate, nec de dilectione proximi legitur, quæ inſuper non ſunt cæremoniæ ſacræ & viſibiles. Ad Conf. Sacramenta, dum ſuſcipienti gratiam conferunt, non reddunt illum impeccabilem; hinc multi poſt ſuſceptum Baptismum ſcelerate vivunt. Siricius Papa in cit. Epiſtola ſolum agit de monachis & monialibus, ſacrilegas nuptias contrahentibus, item de Sacerdotibus & Diaconis, quorum aliqui concubinas habebant, alii Matrimonio ante Sacerdotium contracto contra ordinationem Eccleſiæ adhuc utebantur.

Dices 2. Nullum Sacramentum opponitur alteri, ſed Matrimonium opponitur Sacerdotio: ergo. Conf. Patres & Concilia antiqua non tradiderunt, matrimonium eſſe Sacramentum, imo ex ipſis Doctoribus Catholicis aliqui id negarunt, quos citat, & ſequitur Durandus. Reſp. Conc. Maj. Diſt. Min. Matrimonium opponitur Sacerdotio per ſe & ratione ſui, Neg. Min. Ob impedimenta Matrimonio annexa, Conc. Min. & Neg. Cons. Quia matrimonio plurimæ ſunt annexæ curæ ſæculares, & illius uſus multum a rebus Divinis avocat, merito Sacerdotibus continentia præſcribitur; interim etiam conjugati conſentiente uxore, & continentiam perpetuam profitente ad Sacerdotium poſſunt promoveri, adeoque Matrimonium eidem non opponitur per ſe, & ratione ſui. Ad Conf. Quod Patres antiqui Matrimonium agnoverint tanquam verum Sacramentum, patet ex num. 29. Concilia vetera id expreſſe non declararunt, quia nemo de hac re ambigebat. Si quidam Doctores Catholici poſtea aliter ſcripſerunt, illorum erronea opinio non poteſt præjudicare communiſſimæ aliorum doctrinæ & Eccleſiaſticæ traditioni.

59

tioni. Durandus initio quidem docuit, Matrimonium non esse Sacramentum, sed propterea male apud Catholicos audiebat; ideo in posteriori editione sententiam suam correxit. Cæterum quæ contra Sacramentum pœnitentiæ objici solent, ex instituto discutientur in Tract. VIII. Baptismum vero & Eucharistiam ipsi Novatores, contra quos hic agimus, tanquam Sacramenta proprie talia agnoscunt.

QUÆSTIO IV.

An & ex quibus partibus constent Sacramenta novæ legis?

60 Sacramentum accipi potest vel formaliter, vel objective & materialiter. Formaliter acceptum præter ritum externum dicit institutionem seu voluntatem efficacem, ut ejusmodi ritus significet, & causet gratiam. Materialiter acceptum est ipse ritus externus ex institutione gratiam significans & causans. In hoc ritu illud, quod gratiam obscurius, magisque confuse significat, habet se per modum materiæ, sive dein sit substantia quædam, uti aqua in Baptismo: seu quædam actio ministrantis aut suscipientis Sacramentum, uti ablutio in baptizante, confessio & satisfactio in pœnitente. Quod autem materiam seu rem Sacramenti magis restringit, ac determinat ad gratiam clarius significandam, se habet per modum formæ, & consistit in verbis vel proprie, & formaliter, vel saltem æquivalenter talibus. Porro materia Sacramenti dividitur in proximam & remotam. Proxima plerumque consistit in ipsa actione Ministri vel suscipientis, ex qua Sacramentum conficitur: remota est illud

illud objectum, circa quod actio ministri versatur & exercetur.

Sic in Baptismo materia remota est aqua, pro- 61
xima ablutio, forma sunt verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* In Confirmatione materia remota est manus Episcopi cum Chrismate consecrato, proxima manus impositio seu inunctio, forma: *Signo te signo crucis & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris &c.* In Eucharistia materia remota est panis & vinum, proxima Corpus & Sanguis Christi cum speciebus panis & vini, forma sunt verba consecrationis. In pœnitentia materia remota sunt peccata post Baptismum commissa, proxima dolor, propositum, Confessio & Satisfactio pœnitentis, forma: *Ego te absolvo &c.* In Extrema Unctione materia remota est oleum benedictum, proxima Unctio, forma: *Per istam sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi DEUS, quidquid e. g. per visum deliquisti, in nomine Patris &c.* In Ordine materia remota sunt manus Episcopi, proxima earum impositio, forma sunt verba, quibus potestas cuilibet Ordini conveniens confertur. In Matrimonio materia remota sunt corpora conjugum ad contrahendum habilia, proxima internus utriusque conjugis consensus, forma externa consensus manifestatio. Scio quosdam circa hæc aliter sentire, sed dictorum rationem reddam, quando singula Sacramenta in specie explicabo. Interea juxta communem

Notandum 1. Quod omnia Sacramenta novæ 62
legis constent rebus & verbis saltem æquivalenter talibus. Prob. Tum ex Decreto Eugenii IV ad Armen. in quo de Sacramentis novæ legis dicitur, quod omnia tribus perficiantur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia; tum ex con-

tinuo

tinuo usu & praxi Ecclesiæ, quæ in omnium Sacramentorum administratione rebus & verbis utitur, quorum alterutrum si deficiat, nullum Sacramentum fieri censetur. Hinc Dominic. Soto in 4 dist. 1 q. 1 a. 6 non dubitavit dicere, hanc assertionem pertinere ad fidem, nec sine manifesta hæresi negari posse. Dixi tamen: & verbis saltem æquivalenter talibus. Nam licet juxta doctrinam Ecclesiæ ad omnia alia Sacramenta requirantur verba formaliter talia, ad Matrimonium tamen sufficit quodcunque signum mutuam consensionem externe significans, quia Christus matrimonium ita ad dignitatem Sacramenti elevavit, ut noluerit immutare naturam contractus; atqui ad validum contractum sufficit quodcunque signum contrahentium consensum exprimens; hinc Eugenius decret. cit. ait, Matrimonium effici mutuo contrahentium consensu regulariter expresso per verba de præsenti.

63 Notandum 2. Quod res in Sacramentis se habeant per modum materiæ, verba autem per modum formæ, non quod sint materia & forma stricte, & in sensu physico, sed moraliter, & per quamdam cum totis physicis analogiam. Prob. Illud in omni composito est forma, quod alterum magis perficit, ac determinat ad certam speciem; quod autem perficitur ac determinatur, est materia: atqui verba magis determinant res ad rationem Sacramenti, seu signi significantis gratiam; verba enim inter omnia signa principatum obtinent, & habent vim significandi longe clariorem, magisque distinctam, quam alia signa, quorum significatio plerumque est ænigmatica, & obscura, ut advertit S. Augustinus lib. 2 de doctr. christ. cap. 3. Equidem primus, qui Sacramenta per materiam & formam exsplicavit, forte fuit Guilielmus Antissiodorensis sub initium Sæculi XIII: at ab eo tempore methodus ista summo consensu

fuit

fuit recepta, & tandem publico Ecclesiæ usu consecrata, ut patet ex numero superiore.

Notandum 3. Quod res & verba sint partes 64
constitutivæ Sacramentorum novæ legis. Prob. In omni composito tam physico, quam artificioso, & morali materia & forma sunt partes constitutivæ; atqui res & verba sunt materia & forma Sacramentorum: ergo sunt illarum partes constitutivæ, ita, ut utrisque vis significandi & causandi gratiam conveniat indivisibiliter, eoquod institutio Christi non sit magis pro una quam pro altera parte, & Patres & Concilia de utraque æqualiter loquantur. Sunt tamen hæc potissimum intelligenda de materia proxima; nam quod peccata sint pars Sacramenti pœnitentiæ, & corpora conjugum matrimonii, mihi quidem absurdum videtur, panem quoque & vinum, quæ per consecrationem destruuntur, inter partes Eucharistiæ numerare difficile est. In reliquis Sacramentis facilius admitti posset, quod etiam ex materia remota intrinsecè componantur juxta illud S. Augustini Tract. 80 in Joann. *Accedit verbum ad elementum (in baptismo) & fit Sacramentum.*

Notandum 4. Præter materiam & formam ad 65
Sacramentum etiam requiri quamdam unionem moralem, vi cujus utraque in unum compositum suo modo adunetur. Quippe ut materia & forma fiant unum, in omni composito debent invicem uniri; cum autem Sacramentum tantum sit compositum morale, ad illud sufficit unio moralis, consistens in tali coexistentia aut propinquitate materiæ & formæ, qualis juxta æstimationem prudentum, & præcipue juxta sensum Ecclesiæ, spectata natura cujusque Sacramenti ad faciendum unum morale sufficit. Sic quia matrimonium institutum est ad modum contractus legitimi, qui etiam per procuratorem & litteras celebrari potest, id per se lo-

loquendo etiam ſufficit ad Sacramentum Matrimonii. Similiter quia prolatio ſententiæ judicialis fieri poteſt poſt aliquod tempus, etiam abſolutio ſacramentalis poſt aliquod tempus valide adminiſtratur. In reliquis Sacramentis major requiritur propinquitas; Suarius tamen nimis ſcrupuloſam judicat ſententiam illorum, qui exigunt, ut materia proxima e. g. ablutio & forma ſaltem ſecundum aliquam ſui partem coexiſtant phyſice, quamquam in praxi ad ipſos ſcrupulos vitandos expediat procurare tantam conjunctionem materiæ & formæ, quanta moraliter haberi poteſt.

66 Notandum 5. Sacramentum formaliter acceptum præter dicta ulterius involvere inſtitutionem. Sicut enim in compoſito artificiali e. g. in ſtatua argentea præter formam argenti datur forma artificialis ſtatuæ; ita e. g. in Sacramento Baptismi præter materiam & formam conſiſtentem in ablutione & verbis, datur inſuper alia compoſitio ex rebus & verbis tanquam materia, & ex inſtitutione Chriſti tanquam forma. Ratio eſt, quia complexum ex rebus & verbis in Sacramentis eſt ſignum ad placitum, inſtitutum ad ſignificandam gratiam; atqui in omni ſigno ad placitum ſignificatio in actu primo ſive inſtitutio eſt forma illud conſtituens in eſſe ſigni. Sic hedera conſtat ex ſua materia & forma, quatenus autem conſideratur in ratione ſigni inſtituti ad ſignificandum vinum vendibile, totum illud complexum ex materia & forma hederæ dicitur materia reſpectu voluntatis humanæ, hederam pro ſigno vini vendibilis inſtituentis.

Objectiones.

67 Obj. 1. Matrimonium perficitur ſolis verbis, & ſola abſolutio totum effectum Sacramenti pœnitentiæ ſignificat: ergo non omnia Sacramenta conſtant rebus. Conf. Si actus pœnitentis eſſent

pars

pars Sacramenti pœnitentiæ, pœnitens æque eſſet illius miniſter quam Sacerdos; hoc eſt falſum: ergo. Reſp. Neg. Ant. Nam ad matrimonium etiam requiritur conſenſus internus, ad Sacramentum pœnitentiæ vero actus pœnitentis, Contritio, Confeſſio &c. hinc ſola abſolutio ſignificat quidem effectum pœnitentiæ grammaticaliter, & ex inſtitutione humana, non vero ſacramentaliter & ex inſtitutione Divina, ſine qua nullo modo cauſat gratiam. Ad Conf. Neg. Maj. Ut quis dicatur miniſter Sacramenti, non debet tantum ponere quamcunque aut plures illius partes, ſed debet illas ponere nomine & auctoritate Chriſti ita, ut eas ad eſſe ſacramentale elevet, & ad ſignificandam & cauſandam gratiam aſſumat, quod in Sacramento pœnitentiæ facit ſolus Sacerdos, dum ex poteſtate ordinis & jurisdictionis verba abſolutionis profert.

Dices I. Sacramenta antiquæ legis non neceſ- 68
ſario conſtabant verbis: ergo neque Sacramenta
novæ legis. Ant. aſſerit Bellarm. lib. I de Sacr.
cap. 18, & colligitur ex eo, quod in Scriptura,
ubi agitur de circumciſione, eſu agni paſchalis, ordinatione Sacerdotum &c. nullibi certorum verborum fiat mentio; hinc Zacharias licet mutus officio Sacerdotis fungi potuit. Conf. Sacramentum Euchariſtiæ eſt permanens: ergo non poteſt conſtare verbis tranſeuntibus. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Diſparitas habetur ex voluntate Chriſti, qui pro Sacramentis novæ legis verba neceſſario requiſivit, ut nos docet Scriptura & Eccleſia. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Ut Euchariſtia ſit Sacramentum permanens, ſufficit, ſi verba conſecrationis maneant moraliter quoad ſuum effectum, & ſic una cum corpore & ſanguine Chriſti ſuo tempore gratiam cauſent. Sic in templo dicitur manere aqua benedicta, licet phyſice non

maneat

maneat benedictio, quæ tamen hoc concretum aqua benedicta intrinsece cónstituit. Quando autem dicimus Sacramentum Eucharistiæ asservari in sacrario, deferri ad ægros, a fidelibus adorari, sensus tantum est, quod asserventur & ad ægros deferantur species, & a fidelibus adoretur corpus & sanguis Christi sub speciebus latentis.

69 Dices 2. Ad completam significationem Sacramentalem e. g. ad significandam remissionem peccati originalis per Baptismum tam res quam verba sunt indifferentia : ergo in ratione talis signi verba non minus debent determinari a rebus, quam res a verbis: ergo saltem non est ratio, cur potius verba dicantur forma, res vero materia, quam vicissim. Conf. verba absolutionis possunt indifferenter pronunciari, & ad significationem sacramentalem determinari debent per intentionem ministri: ergo. Resp. Transf. Ant. Dist. Consf. ergo verba non minus debent determinari, id est, se solis non habent completam significationem sacramentalem, sed hæc partialiter debet compleri per rem, Conc. Consf. non habent significationem magis claram & distinctam quam res, Neg. Consf. cum ulteriore sequela. Ad Conf. Transf. Ant. Dist. Consf. ergo non sunt forma, si non pronuntientur debito modo, Conc. Consf. si debito modo pronunciantur, Neg. Consf. Propterea tamen vis significativa sacramentalis non est ab intentione ministri, sed ab institutione Christi, quæ intentionem ministri solum respicit tanquam aliquam conditionem.

70 Obj. 2. Quando Concilium Florentinum in decret. ad Armen. dicit, quod res & verba sint materia & forma Sacramentorum, ferme solum assignat materiam remotam, quæ juxta multos non est illorum pars: ergo res & verba non constituunt intrinsece Sacramentum; potest enim esse

aliquid

aliquid materia alterius, quin illud intrinſece conſtituat, ut lignum reſpectu ignis. Conf. Concilium Tridentinum ſeſſ. 14 cap. 3 actus pœnitentis ſolum vocat quaſi materiam pœnitentiæ; abſolutio vero ne quidem eſt actus pœnitentis: ergo. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Concilium Florentinum potiſſimum loquitur de materia remota, tum quia de hac potiſſimum fuit controverſia, tum quia ex illa facile poteſt colligi proxima, quæ per ipſas etiam formas ſatis indicatur. Licet autem aliquid poſſit fieri ex materia, quæ ſaltem adæquate non ſit illius pars, nihil tamen ex materia poteſt conſtitui, quin ſit illius pars. Ad Conf. Tridentinum actus pœnitentis vocat quaſi materiam tantum ideo, quia non ſunt materia phyſica, aut talis, quæ extrinſece exhibetur, ut aqua in Baptismo. Porro cum pœnitentia ſit a Chriſto inſtituta per modum judicii, ad quod etiam requiritur ſententia abſolutoria, abſolutio eſt pars Sacramenti pœnitentiæ, licet non ſit actus pœnitentis.

Dices. Verba conſecratoria juxta Florentinum 71
loc. cit. perficiunt Euchariſtiam: ergo ſunt tantum illius cauſa, alias una pars efficeret alteram, cum qua totum conſtitueret. Conf. SS. Patres Euchariſtiam paſſim vocant corpus, & ſanguinem Chriſti: ergo. Reſp. Diſt. Ant. Verba juxta Florentinum perficiunt Euchariſtiam intrinſece, Conc. Ant. mere extrinſece, Subdiſt. Euchariſtiam denominative, & ſecundum unam partem acceptam, Conc. Ant. Quiddidative, & ſecundum omnes partes acceptam, Neg Ant. & Conſ. Concilium Florentinum non ait, Euchariſtiam a verbis effici, ſed perfici, quod etiam convenit cauſæ intrinſecæ formali; poteſt nihilominus dici, quod verba efficiant Euchariſtiam denominative ſumptam, nempe corpus & ſanguinem Chriſti prout ſpeciebus conſecratis ſubſtant, neque novum eſt, quod una pars totius efficiat

 alteram:

alteram; ſic qui videt, ſimul eſt cauſa & pars hujus concreti videns. Ad Conf. Patres illi loquebantur de Euchariſtia denominative ſumpta, de reali videlicet præſentia Chriſti Domini, de qua tunc erat controverſia cum hæreticis, quos impugnabant.

72 Obj. 3. Ut conficiatur Sacramentum, adhuc multa alia requiruntur, uti ſtatus viæ, intentio ſuſcipientis, poteſtas in miniſtro, & intentio Sacramentum conferendi &c. ergo hæc omnia ſunt partes Sacramenti, quia vel unico ex his deficiente Sacramentum non ponitur. Conf. Juxta Concilium Florentinum in Decret. ad Armen. Sacramentum æque perficitur perſona, & intentione miniſtri, quam rebus & verbis: ergo. Reſp Diſt. Ant. multa alia requiruntur tanquam conditiones, Conc. Ant. tanquam conſtitutiva intrinſeca, Neg. Ant. & Conſ. cum addita ratione. Quando Chriſtus Sacramenta inſtituit, ſolam materiam & formam voluit eſſe ſignum gratiæ, reliqua autem præciſe reſpexit tanquam aliquos terminos & conditiones, ſine quibus noluit, ut materia & forma habeat vim ſignificandi & cauſandi gratiam. Unde uno ex his deficiente deficit Sacramentum quidem, ſed tantum mediate & conſecutive: quatenus ſimul deficit inſtitutio Chriſti. Ad Conf. Diſt. Ant. Sacramentum æque perficitur perſona & intentione miniſtri, non tamen eodem modo, ſicut rebus & verbis, Conc. Ant. & eodem modo, Neg. Ant. & Conſ. Florentinum tantum de rebus & verbis dicit, quod ſint materia & forma, quibus una cum inſtitione Chriſti in recto affirmatis totum Sacramentum affirmatur.

QUÆ-

QUÆSTIO. V.

An & quomodo Christus instituerit Sacramenta novæ legis?

Quod omnia Sacramenta novæ legis a Christo fuerint instituta, est definitum in Concilio Tridentino sess. 6 can. 1, ubi anathematizat illos, qui dixerint: *Sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Christo JESU Domino nostro instituta.* Neque quoad hoc videntur contrarii novatores, qui non alio prætextu duo tantum vel tria Sacramenta admittunt, quam quod contendant, non plura a Christo instituta fuisse. Quæstio igitur solum potest esse de modo, an videlicet Christus omnia Sacramenta instituerit immediate, an vero aliqua mediantibus Apostolis vel Ecclesia; nam aliqui ex veteribus, uti Magister sententiarum, Hugo Vict. S. Bonavent. &c. videntur docuisse, Apostolos pro concessa sibi a Christo potestate instituisse quædam, maxime Confirmationem & Extremam Unctionem. Quin Alexander Alensis part. 4 Summæ q. 24 fabulatur, Confirmationem primum institutam fuisse anno post Christum 845 a Concilio Meldensi, cujus tamen unicus canon superest apud Gratianum dist. 4 de Consecr. in quo solum statuitur, ut Episcopi Sacramentum confirmationis jejuni administrent. 73

Verum post Concilium Tridentinum nullum Theologorum scies, qui institutionem alicujus Sacramenti Apostolis aut Ecclesiæ adscribere ausus fuisset. Imo Bellarm. Vasq. Isambertus, aliique permulti existimant, contrarium esse de fide, eoquod, ut Bellarminus ratiocinatur, canon Tridentini relatus inutilis foret, nisi mens Concilii fuisset statuere, Christum immediate per se omnia Sacramen- 74

ta instituisse, cum nemo antea dubitaverit, quin saltem mediate ab eo instituta fuerint. Alii autem ut Dominic. Sotus, Estius, Tournelius &c. licet existiment, certum esse, quod Christus omnia Sacramenta immediate instituerit, non tamen audent hæreseos condemnare, qui hoc negaret, quia Tridentinum can. cit. vocem immediate expresse non addit, & novatores saltem negarunt, omnia Sacramenta, quæ Ecclesia catholica agnoscit, a Christo instituta fuisse; contra hos igitur Tridentinum utilissime statuit, Christum omnia septem instituisse, sive dein immediate sive mediate, quod Scholasticis discutiendum reliquisse videtur.

75 Dicendum: Omnia Sacramenta novæ legis fuerunt instituta a Christo, & quidem immediate. Prob. 1. Ecclesia & SS. Patres simpliciter dicunt Christum instituisse omnia Sacramenta; atqui hic modus loquendi juxta idioma ecclesiasticum denotat institutionem immediatam: ergo. Major quoad Ecclesiam patet tum ex Tridentino supra cit. tum ex professione fidei a Pio IV præscripta, quæ inter alia ita habet: *Profiteor quoque septem vere ac proprie dicta Sacramenta novæ legis, a JESU Christo Domino nostro instituta.* De SS. Patribus quoque dubium esse non potest. Sic S. Ambrosius lib. 4 de Sacram. cap. 4 inquit: Auctor Sacramentorum quis est, nisi Dominus JESUS. S. Augustinus Epist. 118 ad Januar. de eodem Christo Domino dicit: *Sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis societatem novi populi colligavit.* Prob. itaque Minor; quia alias eodem jure simpliciter dici posset, a Christo instituta fuisse omnia sacramentalia, omnesque ceremonias, ac præcepta ecclesiastica, cum ea Apostoli & Ecclesia non aliter quam auctoritate a Christo accepta instituerint, ac præscripserint.

Pro-

Probatur Conclusio 2. Ex una parte Sacramenta 76
sunt solemnes protestationes fidei, & fundamenta, ac præcipua Mysteria Religionis, habentia annexam infallibilem promissionem gratiæ: ergo per se loquendo a nullo alio potuerunt institui, quam ab auctore gratiæ & fundatore fidei nostræ, ut fatentur ipsi novatores: ex altera parte potestatem instituendi Sacramenta Apostolis aut Ecclesiæ nunquam communicavit; alias certo tanti beneficii in Evangelio vel suis Epistolis meminissent. Imo S. Paulus 1 ad Cor. 4 satis clare indicat, Apostolos solum fuisse ministros & dispensatores, non autem institutores Sacramentorum: *Sic nos*, ait v. 1 de omnibus Apostolis, *existimet homo, ut ministros Christi & Mysteriorum DEI.* Idem de Ecclesia docet Tridentinum sess. 21 cap. 2, ubi ait: *Sacra Synodus declarat, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva eorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum & locorum varietate magis expedire judicaret.*

Objectiones.

Obj. 1. Ex una parte potuit Christus Apostolis 77
& Ecclesiæ relinquere potestatem instituendi Sacramenta: ex altera parte voluit; nam Joann. 20 v. 21 ad Apostolos dixit: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos:* ergo sicut a Christo, sic ab Apostolis aliqua Sacramenta sunt instituta. Conf. In Scriptura nullibi legitur, quod Christus præceperit, ut in confectione Sacramentorum adhibeantur verba aliqua: ergo. Resp. Trans. Ant quoad 1 membrum. Neg. quoad 2dum. In textu addito non significatur æqualitas, sed tantum similitudo aliqua; alias sicut

Christus, ita etiam Apostoli fuissent missi tanquam caput Ecclesiæ & Salvatores mundi. Ratio ulterior est, quia Christus noluit dare æqualem potestatem servis cum illa, quam ipse accepit, tanquam filius DEI; alias tot essent Baptismata, quot servi, ut inquit S. Augustinus Tract. 4 in Joann. Ad Conf. Dist. Ant. In Scriptura hoc nullibi legitur omnino clare & explicite, Conc. Ant. implicite, & prout illam declarat Ecclesia, perpetuaque traditio, Neg. Ant. & Conf. Quod Christus pro singulis Sacramentis instituerit aliquem ritum externum, ostendimus quæst. 3, quam institutionem Ecclesia semper ita intellexit, ut etiam verba ad essentiam Sacramentorum necessaria esse judicaverit.

78 Dices. Scriptura nunquam dicit, quod Christus instituerit Sacramentum Confirmationis & Extremæ Unctionis, multo minus constat de tempore institutionis: ergo. Conf. Extrema Unctio fuit instituta a S. Jacobo, dum cap. 5 v. 14 scripsit, *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros* &c. ergo. Resp. Transf. Ant. Neg. Conf. Scriptura saltem docet, hæc Sacramenta dari, traditio autem, auctoritas, & ipsa ratio probat, omnia Sacramenta a Christo JESU instituta; quamquam quo tempore instituta fuerint, de singulis non certo constet. Interim S. Lucas Act. 1 v. 3 testatur, Christum post resurrectionem per 40 dies discipulis apparuisse, & cum eis locutum esse de regno DEI, id est, de Ecclesia ædificanda & administranda; cum igitur ad ædificationem & administrationem Ecclesiæ vel maxime pertineant Sacramenta, omnino credibile est, Christum hoc tempore instituisse, & discipulos docuisse illa, quorum institutio in Scriptura alibi non exprimitur. *Magna in his diebus a Christo confirmata sunt Sacramenta, magna revelata Mysteria*, inquit S. Leo serm.

ferm. de Afcenf. Domini. Ad Conf. Neg. Ant. Extrema Unctio a S. Jacobo fuit quidem promulgata, a Chrifto autem inftituta, contrarium afferenti Tridentinum dicit anathema feff. 24 can. 1 de Extrem. Unction.

Obj. 2. Auctoritas Patrum. S. Cyprianus Serm. 79
de ablut. pedum ait: *Ipfe fummus Sacerdos fui Sacramenti eft inftitutor, & auctor, in cæteris homines Spiritum Sanctum habuere Doctorem.* S. Dionyfius lib. de Cæleft Hierarch. cap. 1: *Primi Sacerdotalis muneris duces vifibilibus fignis cæleftia figna tenuerunt, & partim fcriptis, partim non fcriptis inftitutionibus nobis tradiderunt.* S. Auguftinus lib 3 de doctr. chriftian. cap. 9. *Quædam pauca* (novæ legis Sacramenta) *pro multis* (Sacramentis veteris legis) *ipfe Dominus, & Apoftolica tradidit difciplina.* Refp. ad 1. Quod auctor fermonis de ablut. ped. non fit S. Pater, fed Arnoldus Carnotenfis, jam alibi advertimus. Fors per to *cæteris* tantum intellexit ceremonias in confectione & adminiftratione Euchariftiæ adhiberi folitas; alias juxta ipfum Chriftus ne quidem Baptismum inftituiffet. Ad 2. S. Dionyfius folum docet, quod Apoftoli tenuerint Sacramenta, eaque confecerint, ac modum conficiendi partim fcripto partim per traditionem nobis reliquerint. Ad 3. S. Auguftinus pariter tantum vult, quod Apoftoli Sacramenta a Chrifto inftituta promulgaverint, & magis exfplicaverint; quippe vox *difciplina* non fignificat inftitutionem, fed magifterium docentis & exfplicantis.

Dices. S. Auguftinus poftquam Epiftol 118 ad 80
Januar. fcripfit, quod Chriftus pauciffimis Sacramentis focietatem novi populi colligaverit, ftatim fubdit: *Sicut eft Baptismus Trinitatis nomine confecratus; communicatio corporis & fanguinis ipfius, & fi quid aliud in Scripturis canonicis commendatur.* Dein pergit: *Illa autem, quæ non fcripta, fed tradita cufto-*

 dimus,

dimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, datur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel a plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri, sicuti quod Domini passio, & resurrectio &c. anniversaria solemnitate celebrentur. Resp. S. Augustinus Baptismum & Eucharistiam hic ponit pro exemplis, verba autem: *si quid aliud &c.* non sunt dubitantis, sed affirmantis, quasi diceret: & quidquid aliud in Scripturis canonicis commendatur. Quodsi etiam dubitasset, an cætera Sacramenta in Scriptura contineantur, non ideo etiam dubitasset de Divina illorum institutione, cum multis in locis apertissime affirmet, traditionem Apostolicam non minus esse certam fidei regulam, quam verbum scriptum. In verbis posterioribus denique agit de aliis ritibus sacris, ut patet ex additis exemplis, quæ utique Sacramenta non sunt.

81 Imo S. Doctor in toto hoc discursu nomen Sacramenti accipit in sensu latiore, prout etiam complectitur omnes ritus sacros. Nam 1 cum Januarius quæstionem proposuisset, an feria quinta majoris hebdomadæ juxta morem quarundam Ecclesiarum bis offerendum sit sacrificium, primo mane, dein rursus post cœnam, eoquod scriptum sit: *Similiter postquam cœnatum est, accipiens calicem* &c. S. Augustinus cap. 5 respondet: Si id divinæ Scripturæ præciperet auctoritas, non foret dubitandum, quin ita facere deberemus, ut legimus, nunc autem non quomodo faciendum, sed quomodo Sacramentum intelligendum sit, disputamus, id est, an ritus bis sacrificandi per illa verba: *Similiter postquam cœnatum est* &c. sit præceptus? lib. 2 Retract. cap. 20 recenset synopsim hujus epistolæ & sequentis, quam pariter ad Januarium dedit, & fatetur, quod multa contineat de Sacramentis disputata, quæ sive universaliter

sive

five partialiter obfervat Ecclefia. Ubi manifeftum eft, quod per Sacramenta intelligat etiam ritus quosdam facros a Sacramentis proprie talibus diftinctos; Sacramenta enim proprie dicta Ecclefia in omnibus locis æqualiter obfervat.

Obj. 3. Sacramenta fæpe conferuntur cum mala 82
intentione & peccato, imo Matrimonium poteft intrinfece conftitui per confenfum peccaminofum; fed Chriftus non potuit pro figno facro inftituere actionem moraliter malam & peccaminofam: ergo. Conf. Chriftus abfolute vult, ut non ponatur talis actio: ergo. Refp. Conc. Maj. Dift. Min. Chriftus non poteft pro figno facro inftituere actionem malam per fe, & qua talem, Conc. Min. Actionem malam per accidens, & quæ eft talis, Neg. Min. & Cons. Intentio mala miniftri non conftituit intrinfece alia Sacramenta; quando autem Matrimonium fit per confenfum intrinfece peccaminofum, id eft, per accidens ex malitia contrahentium, quam Chriftus neutiquam intendit, fed rationem Sacramenti folum habet contractus peccaminofus, qui eft talis. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Quamvis Chriftus voluntate antecedente non intendat, imo pofitive nolit actionem peccaminofam, nihilominus ex hypothefi, quod aliunde a miniftro fit ponenda, poteft illam ordinare ad fignificandam & caufandam gratiam, quod in tali cafu ad inftitutionem fufficit.

Dices. Sacramentum debet effe actio morali 83
ter Chrifti; atqui nulla actio intrinfece mala poteft effe moraliter Chrifti: ergo. Conf. Actio intrinfece mala non poteft fimul effe bona: ergo. Refp. Conc. Maj. Neg. Min. Sicut actio procuratoris aut mandatarii non imputatur principali five mandanti, nifi in quantum hic per fuum mandatum aut confilium illam moraliter caufavit, & fe-

cundum ea prædicata, quæ illi fuerunt voluntaria: sic actiones Sacramentales solum sunt actiones moraliter Christi quoad speciem v. g. contractus, neutiquam vero quoad malitiam, quam nec mandat, nec vult, sed tantum permittit hoc vel simili modo tendendi: Volo serio, quantum est ex me, hanc actionem ministri de se bonam, cum autem is ex sua malitia illam velit ponere inhoneste, ex justa causa id permitto. Ad Conf. Dist. Ant. Actio ministri intrinsece mala non potest simul esse bona intrinsece & ex parte ministri, Conc. Ant. Bona extrinsece & respectu Christi, Neg. Ant. & Cons. Si Rex suo ministro ex bono fine præcipiat actionem honestam, hæc actio ratione bonæ intentionis respectu Regis est extrinsece bona, licet minister ex sua malitia illam ponat inhoneste.

84 Quæres: An Christus Sacramenta instituerit ut DEUS, an ut homo? Resp. 1. Circa institutionem Sacramenti triplicem potestatem considerari posse. Prima & principalis dicitur potestas auctoritatis, est independens ab omni alia potestate, & nulli creaturæ potest communicari. Altera eaque infima vocatur potestas puri ministerii, qualem habuisset pura creatura, si DEUS illi potestatem instituendi Sacramenta voluisset concedere, prout juxta S. Augustinum Tract. 5 in Joann. n. 7 potuisset. Ut enim quis instituat signum aliquod, non debet illud necessario statuere quasi primo, & independenter ab alia voluntate præcedente. Sic Ecclesia vere & proprie dicitur instituisse ceremonias sacramentales, variaque præcepta Ecclesiastica, etsi hæc non potuerit facere independenter a voluntate DEI & Christi. Tertia & inter priores velut media vocatur potestas excellentiæ, quæ quidem a voluntate & libera concessione DEI dependet, creaturæ tamen conceditur ob specieles quasdam prærogativas & singularem excellentiam.

Resp.

Resp. 2. Christum Sacramenta novæ legis in- 85
stituisse non tantum ut DEUM, sed etiam ut hominem, in quantum illa non solum promulgavit, velut Moyses Sacramenta antiquæ legis, sed ipsemet potestate excellentiæ & voluntate humana illorum materiam & formam determinavit, eisque vim significandi & causandi gratiam tribuit. Prob. 1. Quia Christus Sacramenta instituit per illam naturam, de qua Matth. ult. v. 18 dixit: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*; atqui potestas non est data Christo secundum naturam Divinam, quæ illam semper per essentiam habuit, adeoque non accepit tanquam præmium. 2. Quia Christus etiam ut homo fuit caput & auctor Ecclesiæ; ergo ad ipsum etiam ut hominem pertinebat suppeditare præcipua media Ecclesiæ stabiliendæ & conservandæ. 3. Quia hæc potestas naturæ humanæ Christi, tanquam instrumento Divinitati hypostatice unito non fuit improportionata, imo aliquo modo debita infinitis meritis, per quæ Christus de condigno nobis gratiam sanctificantem meruit. Neque tamen ideo voluntas humana Christi fuit causa prima gratiæ, tum quia etiam potestas excellentiæ dependet a DEO, tum quia DEUS est causa prima omnis actus boni.

QUÆSTIO VI.

An & quomodo Ecclesia possit mutare materiam & formam Sacramentorum?

Quæstioni huic ansam præbuerunt diversi ritus, 86
quos Ecclesia variis temporibus & locis in administratione Sacramentorum adhibuit, ex quo videtur sequi, quod vel Christus non omnium Sacra-

men-

mentorum materiam & formam determinaverit, vel quod Ecclesia materiam & formam a Christo institutam mutaverit. Jam vero omnium Sacramentorum materiam & formam a Christo aliquo modo determinatam esse, est certa Theologorum sententia. Patet tum ex Scriptura, quæ, ut q. 3 ostendi, pro omnibus Sacramentis ritum aliquem externum assignat, tum ex perpetua traditione Ecclesiæ, & Patrum doctrina, juxta quam Christus omnia Sacramenta novæ legis instituit, quod satis intelligi non posset, nisi saltem primarias illorum partes, materiam videlicet & formam aliquo modo determinasset. An vero singulas determinaverit in specie, vel aliquas tantum in genere, controvertunt auctores, & dependet ab iis opinionibus, quas quisque tenet circa essentiam materiæ & formæ Sacramentorum præsertim Confirmationis & Ordinis in specie.

87 Interim satis certum est, quod Christus non omnium Sacramentorum materiam & formam determinaverit eodem modo. Nam aliqua sunt determinata quoad speciem infimam, uti ablutio aquæ naturalis & invocatio SS. Trinitatis respectu Baptismi: alia quoad speciem subalternam vel genus proximum, ut respectu Eucharistiæ panis triticeus, & vinum de vite, sive dein panis ille sit azimus sive fermentatus, sive vinum sit Austriacum, sive Burgundicum, sive Acronianum, sive album, sive rubrum: alia denique juxta multos sunt determinata tantum quoad genus. Sane de plurium Sacramentorum forma nullam determinatam verborum phrasin a Christo præscriptam novimus, sed ex Divina institutione solum in genere requiritur e. g. in Extrema Unctione oratio, in pœnitentia verba remissiva peccati, in matrimonio signum expressivum mutui consensus. Voluit nempe Christus cum Apostolis agere, sicut solent

reges

reges cum miniſtris ſuis, quibus quidem, quid agendum ſit, præcipiunt, verba vero ipſa in negotio demandato uſurpanda non dictant.

Dicendum. Quamvis Eccleſia poſſit determi- 88
nare ritus quosdam accidentales Sacramentorum, nequit tamen illorum materiam & formam mutare quoad ſubſtantiam, & ſub ea ratione, ſub qua illos Chriſtus inſtituit, ac determinavit; ita decretum eſt a Concilio Tridentino Seſſ. 21 cap. 2, cujus verba num. 72 recitavi. Cum enim ibi expreſſe dicat, hanc poteſtatem in Eccleſia relictam fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione ea ſtatueret, vel mutaret, quæ expedire judicaret, *ſalva eorum ſubſtantia*, manifeſte ſupponit, certum quemdam ritum, certumque verborum ſenſum a Chriſto fuiſſe aſſignatum, circa quem Eccleſia nihil poſſit immutare. In eundem ſenſum poſtquam Apoſtolus 1 ad Cor. 11 varia circa Cœnam Domini declaravit, v. ult. addit: *Cætera, cum venero, diſponam*, nempe ea, quæ Chriſtus Apoſtolis diſponenda reliquit; nullibi autem legitur, quod Chriſtus ipſis dederit poteſtatem mutandi ipſam ſubſtantiam Sacramentorum. Conf. Sacramenta ex ſola inſtitutione Chriſti habent vim ſignificandi & cauſandi gratiam: ergo ut hanc virtutem retineant, debent manere materia & forma a Chriſto inſtituta. Si igitur ex praxi Eccleſiæ diſcimus, aliqua immutata fuiſſe, bene inferimus, illa ſub ea ratione, ſub qua ſunt mutata, a Chriſto non fuiſſe determinata.

Objectiones.

Obj. 1. Eccleſia multorum Sacramentorum 89
materiam & formam mutavit; nam 1. Antiquis temporibus ad exprimendam invocationem SS. Trinitatis Baptiſmus ordinarie fuit collatus per tri-

nam

nam immersionem, nunc confertur per unicam infusionem & aspersionem. 2. Apostoli baptizarunt invocato solo nomine Jesu. 3. & ad Sacramentum Confirmationis adhibuerunt solam manus impositionem, nunc adhibetur chrisma, cui Græci ultra 30 species aromatum admiscent. Resp. Dist. Ant. Mutavit materias & formas Sacramentorum materialiter, & accidentaliter, Conc. Ant. formaliter & substantialiter, Neg. Ant. Christus pro materia Baptismi tantum instituit ablutionem aquæ, quæ non minus per infusionem & aspersionem, quam per immersionem fieri potest; invocatio autem SS. Trinitatis satis exprimitur per formam. 2. Si Apostoli aliquando baptizarunt sine expressa invocatione SS. Trinitatis, quod infra negabimus, id fecerunt ex speciali privilegio. 3. Idem dicendum foret, si confirmationem contulissent per solam manus impositionem, vel certe plus non sequeretur, quam quod Christus pro hoc Sacramento tantum in genere determinaverit signum aliquod externum ad significandam confirmationem christiani in graria & fide opportunum, quin variorum aromatum mixtionem prohibuerit, quamquam Lugo lib. 1 moral. cap. 3 merito dubitet, utrum excessus Græcorum non sit nimius.

90 Dices 1. Christus pro materia Eucharistiæ instituit vinum de vite, nunc ex præcepto Ecclesiæ admiscetur aqua. 2. Antiquitus forma absolutionis fuit deprecatoria, nunc est indicativa. 3. Christus pro materia pœnitentiæ instituit confessionem dolorosam omnium peccatorum, & tamen Ecclesia aliqua peccata sibi reservat. Resp. ad 1. Admixtio modicæ aquæ non facit, quo minus maneat vinum de vite usuale, quale Christus requisivit. Ad 2. Si aliquando ab Ecclesia adhibita fuerunt verba deprecatoria, quod de Sacramento pœnitentiæ examinabitur, dicendum, illa ex

ipsis

ipſis circumſtantiis, & determinatione Eccleſiæ habuiſſe ſenſum indicativum, utpote prolata a judice ex poteſtate clavium. Ad 3. Cum pœnitentia inſtituta ſit per modum judicii, Sacerdos in confitentem debet habere competentem jurisdictionem, quam dum Eccleſia ipſi circa quædam peccata aufert, ſolum indirecte & materialiter facit, ut peccata illa reſpectu illius Sacerdotis non amplius ſint materia abſolutionis, in quantum non manent peccata hominis judici huic ſubjecti.

Obj. 2. Eccleſia mutavit ipſam ſubſtantiam 91
Sacramentorum. Prob. 1. Antiquitus ad Ordinem Epiſcopatus requirebantur tres Epiſcopi, nunc ſufficit unus ſaltem ex diſpenſatione Papæ. 2. Quando Chriſtus Apoſtolos in ultima Cœna ordinavit presbyteros, tradidit illis panem & vinum conſecratum, poſtea hic ordo per plura ſæcula per ſolam manuum impoſitionem collatus fuit. 3. Græci adhuc hodie per ſolam manus impoſitionem ordinant, Latini vero per traditionem certorum inſtrumentorum, formæ quoque utriusque Eccleſiæ diverſæ ſunt. Reſp. Neg. Ant. Ex probatione 1, de qua inter auctores controvertitur, ſolum ſequitur, quod numerus Epiſcoporum ad ordinationem neceſſarius a Chriſto non fuerit determinatus. Ex 2, quod Chriſtus ſit uſus plenitudine poteſtatis ſuæ; nam ipſi Apoſtoli Sacramentum Ordinis ſtatim per impoſitionem manuum adminiſtrarunt. Ex 3, de qua videbimus ſuo loco, rurſus ad ſummum infertur, quod pro materia & forma Ordinis a Chriſto tantum fuerit inſtitutum ſignum aliquod in genere, ſignificativum poteſtatis, quæ ordinando confertur, determinatio vero hujus ſigni relicta Eccleſiæ.

Dices. Si Eccleſia poſſet determinare materiam 92
& formam Sacramentorum, non tam a Chriſto quam ab Eccleſia eſſent inſtituta: ergo. Conf. Materia & forma ſunt partes eſſentiales Sacramen-

torum: ergo si Ecclesia illas potest determinare, potest mutare essentiam Sacramentorum. Resp. Neg. Ant. Instituere Sacramentum non tantum dicit elective determinare materiam & formam, sed illis tribuere virtutem significandi & causandi gratiam, quam signis ab Ecclesia materialiter determinatis solus Christus tribuit. Ad Conf. Dist. Ant. Materia & forma juxta voluntatem Christi ab Ecclesia determinatæ sunt partes essentiales Sacramentorum, Conc. Ant. aliter Neg & Cons. intellectam de mutatione formali & substantiali, quia non obstante mutatione, quam facit Ecclesia, semper manet signum sensibile illud, quod Christus ad significandam & causandam gratiam instituit.

93 Obj. 3. Christus pro materia & forma matrimonii instituit quemcunque contractum legitimum inter personas habiles, & tamen ex decreto Ecclesiæ non amplius valet matrimonium clandestinum in locis, ubi Concilium Tridentinum fuit promulgatum: ergo. Conf. Juxta nos Ecclesia posset iterum mutare materiam jam semel determinatam: ergo posset facere, ut a Christo non esset institutum, quod revera institutum erat. Resp. Conc. Ant. Neg. Cons. Christus ad Sacramentum matrimonii requisivit quidem contractum legitimum, & quemlibet voluit sufficere, unde Ecclesia nec facere potest, ut materia matrimonii sit alia, quam contractus legitimus, nec ut contractus legitimus non sufficiat; hoc enim esset formaliter mutare substantiam: attamen Ecclesiæ liberum est determinare conditiones ad legitimum contractum requisitas, inter quas cum modo respectu matrimonii sit assistentia Parochi & testium, Ecclesia mutavit quidem naturam contractus legitimi, sed non materiam a Christo institutam, sicut illam non mutaret respectu Eucharistiæ, qui corrumperet panem triticeum & vinum. Hinc ad Conf. Trans. Ant. sub data expli-

plicatione. Dist. Cons. ergo indirecte & materialiter posset facere ut a Christo &c. Conc. Cons. aliter Neg. Cons. Retorsio est in corruptione panis & vini.

Dices. Sacramenta sunt præcipua signa, ex 94
quibus veritas, antiquitas & uniformitas Ecclesiæ relucet: ergo ubique debent esse eadem; atqui juxta nos non essent: ergo. Conf. SS. Patres sæpe monent, in dubio circa ritus Sacramentorum recurrendum esse ad Ecclesias matrices sive Apostolicas, maxime Romanam; sed hoc nihil prodesset, si materia & forma non ubique essent eædem: ergo. Resp. Conc. Ant. Dist. Cons. Sacramenta ubique debent esse eadem formaliter & quo ad substantiam, Conc Cons. Materialiter, & quoad prædicata etiam accidentalia, Neg Cons. & sub eadem distinct. Min subsumpt. Sicut uniformitati, antiquitati &c. Ecclesiæ nihil obest, quod e. g. Baptismus possit conferri idiomate Latino, Gallico vel Germanico &c. ita eidem nihil præjudicat, si ob justas causas diversis in locis aut temporibus in illorum administratione adhibeat diversos ritus accidentales, modo semper & ubique observet institutionem Christi & rationem ab ipso determinatam. Ad Conf. Conc. Maj. Neg. Min. nam ex praxi istarum Ecclesiarum optime cognoscimus, qualis materia & forma a Christo & Ecclesia sit requisita.

Obj. 4. Juxta nostram doctrinam quilibet Sa 95
cerdos posset uti pane azimo aut fermentato. 2. Quilibet Episcopus in ordinatione adhibere ritum Græcum vel Latinum. 3. Imo quodcunque aliud signum satis significativum potestatis conferendæ. Resp. Dist. Ant. quoad 1 & 2 membrum. Quilibet Sacerdos & Episcopus posset hoc facere valide, Conc. Ant. licite, Neg. Ant. quoad ista membra, & simpliciter quoad tertium. Quia Christus voluit unam esse Ecclesiam & unam fidem Catholicam, pariter pro tota Ecclesia & singulis particu-

laribus eadem formaliter Sacramenta instituisse censendus est: quidquid ergo ex publica determinatione Ecclesiæ valet, in omnibus locis est validum. Cum autem nihilominus Ecclesia justis de causis alium ritum determinaverit pro Latinis, alium permiserit Græcis, utique in re tanti momenti non licet contra illius ordinationem & præceptum agere. Dixi, quidquid ex publica determinatione Ecclesiæ valet; Christus enim pro Sacramentis instituit signa publica, eorumque determinationem reliquit Ecclesiæ, non cuilibet privato; hinc si quis privata tantum auctoritate uteretur signo alio, ejusmodi usus esset invalidus.

QUÆSTIO VII.

An & quænam mutatio materiæ & formæ obsit valori Sacramentorum?

96 Forma Sacramentorum mutari potest 1. Additione aliorum verborum; ut: ego te baptizo in nomine Patris, qui te creavit. 2. Detractione aliqua verba consueta omittendo; ut: ego baptizo in nomine Patris. 3. Substitutione alterius idiomatis verborum aut signorum: ut ego te abluo in nomine Patris. 4. Depravatione seu corruptione alicujus syllabæ vel litteræ; ut: ego te babaptizo, vel bartizo. 5. Interpolatione seu interruptione; uti siquis post verba: ego te baptizo, aliquamdiu tussiat, vel aliquid impertinens interloquatur. 6. Transpositione; ut: te baptizo ego in nomine Filii, Patris &c. 7. Æquivocatione; ut siquis dicendo: hic est calix sanguinis mei, particulam hic acciperet adverbialiter.

97 Materia potest mutari vel mere physice, vel etiam moraliter; in præsenti autem potius ad speciem moralem & theologicam, quam ad physicam attendendum est. Sic materia valida baptismi est

aqua

aqua frigida, calida, transfuſa per venas metallicas, ſulphureas, ſalſas, collecta ex nivibus liquefactis, imbribus &c. quia omnia iſta juxta æſtimationem moralem ſunt aqua naturalis, quam Chriſtus ad Baptismum requiſivit; non item aqua per artem chymicam diſtillata, ſudans ex arboribus, collecta ex ſaliva, ſudore, lachrymis, licet forte a prioribus ſpecie phyſica non differant. Idem eſt de glacie & grandine, quia non ſunt proxime apta ad ablutionem. Viciſſim reſpectu Euchariſtiæ valet quodlibet vinum de vite, licet forte ab alio ſpecie diverſum, imo etiam congelatum; cum enim Euchariſtia jam detur ante uſum, non debet eſſe proxime potabile. At non valet vinum medicatum, contentum in uvis, acetum &c. quia juxta communem modum loquendi non ſunt vinum.

Dicendum 1. Quandocunque mutatio materiæ & formæ eſt theologice ſubſtantialis, obeſt valori Sacramentorum; non item ſi eſt tantum accidentalis. Prob. 1 pars. Quandocunque non ponitur tota ſubſtantia Sacramenti, Sacramentum eſt invalidum, utpote deſtitutum parte ad totum Sacramentum eſſentialiter requiſita; atqui ſi datur mutatio theologice ſubſtantialis, non ponitur tota ſubſtantia Sacramenti; quia non ponitur tota materia & forma a Chriſto inſtituta & ab Eccleſia determinata: ergo. Prob. 2 Pars. Si mutatio materiæ & formæ theologice eſt tantum accidentalis, manet tota ſubſtantia & eſſentia Sacramenti, prout a Chriſto inſtituta, & ab Eccleſia determinata eſt: ergo datur adhuc totum Sacramentum cum omnibus partibus eſſentialiter requiſitis: ergo valet, ſaltem niſi aliunde e. g. ex prava intentione miniſtri conditio eſſentialiter requiſita deficiat. 98

Dicendum 2. Mutatio materiæ tunc eſt theologice ſubſtantialis, ſi adhibetur res, quæ in æſtimatione morali non amplius continetur ſub ſignifi- 99

cato proprio illarum vocum, quibus materia a Christo instituta, & ab Ecclesia determinata est. Similiter mutatio formæ tunc est theologice substantialis, quando verba juxta æstimationem moralem non amplius faciunt sensum ex institutione Christi, & Ecclesiæ requisitum: secus tam mutatio materiæ quam formæ theologice est tantum accidentalis. Conclusio quoad omnia membra rursus est communis, & videtur patere ex terminis. Si enim res non amplius continetur sub significato proprio vocum, quibus materia aut forma a Christo fuit instituta, & ab Ecclesia determinata, non amplius datur materia & forma, quam Christus voluit esse partem, aut certe essentiale requisitum Sacramenti: ergo mutatio est theologice substantialis, secus vero tantum accidentalis.

Objectiones.

100 Obj. 1. Zacharias Papa can. retulerunt 86 de consecr. Dist. 4 tanquam validum approbavit Baptismum ab imperito quodam Sacerdote sub hac forma collatum: Ego te baptizo in nomine Patria, & Filia, & Spiritu Sancta; atqui hæc forma non habet sensum ex institutione Christi requisitum: ergo. Conf. Quia alias etiam valeret hæc forma: ego te baptizo in nomine Matris & Filii &c. Resp. Conc. Maj. Dist. Min. hæc forma non habet sensum requisitum, si præcise spectentur verba secundum se, Conc. Min. si spectentur una cum circumstantiis, in quibus fuerunt prolata, Neg. Min. Nam quid imperitus hic Sacerdos dicere velit, facile poterat intelligi tum ex ipso actu baptizandi, tum ex conjunctione verborum sequentium cum præcedentibus; non enim dicebat in nomine Patriæ &c. uti loqui ex grammaticæ regulis de-

debuerat, si formam immutare voluisset, sed in nomine Patria &c. quæ oratio cum nihil haberet præter absonam partium orationis compositionem, argumento erat, hunc hominem id ipsum dicere voluisse, quod alii, quando in nomine Patris &c. baptizant. Ad Conf. Neg. sequelam. Nam hæc verba in nomine Matris faciunt alium sensum; non item verba in nomine Patria &c.

Obj. 2. Si sensus a Christo institutus exacte 101 debet exprimi, apud Tunchinenses & Dalmatas non potest valide administrari Baptismus; nam Tunchinenses non habent vocem, quæ perfecte correspondeat voci latinæ Nomen, sed vox, qua utuntur, tantum significat appellationem vel famam, Dalmatæ vero loco vocabuli baptizo adhibent verbum Castkim, quod idem significat ac christizo sive christianum facio. Conf. Chinenses non possunt pronunciare simul duos consonantes sine interposita vocali, nec litteram R, sed ejus loco assumunt L hoc modo: ego te baptizo in nomine Patelis & Filii & Sepilitus S. Resp. Neg. Ant. Licet utraque hæc lingua in istis terminis aliquem defectum habuerit, hic tamen potuit suppleri, & termini debitam significationem adscititiam acquirere ex instructione aliorum, intentione & usu agentium ac approbatione Ecclesiæ. Ad Conf. Forma Chinensium ex ipsa accommodatione, usu & circumstantiis ad exprimendum debitum sensum determinatur.

Obj. 3. Christus instituit Sacramenta sub con- 102 ditione, si ponatur materia & forma ab ipso præscripta; atqui hoc non fit, si aliquod verbum mutatur, additur vel omittitur: ergo. Conf. Si sufficeret exprimere sensum Christi quoad substantiam, etiam valeret hæc forma: Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus S. & Beatissimæ Virginis. Resp. Dist. Maj. si ponatur materia & forma a Christo præscripta quoad substantiam, Conc.

Maj. quoad omnes minutias accidentales, Neg. Maj, & sic Dist.Min. Cons. Ad Conf. Utrum hæc forma sit valida, videtur dependere ab intentione ministri; si enim minister τὸ Nomine univoce, & eodem modo applicet tribus personis Divinis & Beatissimæ Virgini, baptismus est nullus : si vero τὸ Nomine accipiat æquivoce partim pro potestate & auctoritate remittendi peccata respectu trium personarum, partim pro sola deprecatione respectu Deiparæ, valet baptismus, quia servatur sensus a Christo intentus.

103 Obj. 4. Juxta communem valet hæc forma: Ego te baptizo hac aqua clara (quæ ponitur esse turbida) in nomine Patris &c. atqui hæc non exprimit sensum a Christo intentum; quia propositio est falsa non minus, quam illa Arianorum: Ego te baptizo in nomine Patris majoris, Filii minoris &c. Conf. Multæ formæ ab aliquibus censentur esse validæ, quæ aliis videntur non satis exprimere sensum debitum: ergo. Resp. Conc. Maj. Neg. Min. Licet enim tota propositio sit falsa, manet tamen verus sensus a Christo requisitus, & falsitas est tantum accidentalis; at forma Arianorum sensum a Christo intentum evertit quoad substantiam, cum neutiquam contineat invocationem SS. Trinitatis, quam ex fide discimus. Ad Conf. Quando Auctores de quibusdam formis controvertunt, ordinarie illorum valor est dubius, decisio autem ejusmodi dubiorum ad Sacramenta in specie & Theologiam moralem pertinet. Interea adhuc

104 Quæres 1. Quid in dubio de valore materiæ aut formæ agendum. Resp. 1. Si quis dubitat ante confectionem Sacramenti, debet adhibere certam, vel saltem, quantum hic & nunc potest, securissimam, ne Sacramentum cum magna irreverentia exponatur nullitati, & suscipiens sperato fructu privetur. 2. Qui statim in ipsa confectione dubitat, an materiam rite adhibuerit, aut formam quoad

quoad substantiam rite pronunciaverit, si prudens sit dubium, debet sub conditione repetere. Ubi tamen cavendum, ne dubiis nimis scrupulose indulgeatur, cum in ista re humano modo sit procedendum. 3. Si dubium prudens postea primum superveniat, consulendus est Episcopus, vel alius rei peritus, & siquidem dubium sit de Baptismo aut Ordine presbyteratus, Sacramentum sub conditione est reiterandum, quia ex valore Baptismi reliqua omnia, ex valore presbyteratus autem multa alia Sacramenta dependent. In reliquis plerumque potest confugi ad illud principium: In dubio standum est pro valore actus; præsertim si dubium non admodum sit grave, & dubitans alias anxietatibus obnoxius.

Quæres 2. Quomodo peccet, qui utitur ma- 105
teria aut forma dubia, vel circa illas aliquid immutat? Resp. 1. Qui adhibet materiam aut formam dubiam, peccat graviter, nisi urgeat necessitas, & certa haberi nequeat; imo etiam in casu necessitatis, quantum fieri potest, debet adhiberi id, quod est tutius & securius, ut patet ex propositione 1 damnata ab Innocent. XI. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem relicta tutiore.* 2. Qui materiam & formam immutat substantialiter, semper peccat graviter, quia irritum reddit Sacramentum. 3. Si mutatio est accidentalis, potest peccari graviter vel leviter: graviter si mutatio sit notabilis, ut si quis extra casum necessitatis ad Baptismum adhibeat aquam non benedictam, quia in re gravi agit contra præceptum Ecclesiæ. Si vero mutatio est omnino modica & parum notabilis, secluso contemptu, aut alia mala intentione, peccatum solum erit leve, ut siquis in forma Baptismi omittat particulam Amen; imo hæc particula in antiquioribus ritualibus non habetur.

DISPUTATIO II.

De Efficacia, & Effectu Sacramentorum novæ Legis.

106 Virtus & efficacia Sacramentorum non solum illorum dignitatem & præstantiam, sed ipsam essentiam plurimum manifestat, ac determinat, cum præcipuum Sacramentorum novæ legis prædicatum sit, quod sint signa practice causativa gratiæ sanctificantis, id quod moderni Sectarii vel maxime impugnant. Quamquam enim non inficientur, Sacramenta in negotio justificationis aliquam partem habere; alias illa in ordine ad hunc finem non adhiberent: nunquam tamen ipsis virtutem veram ac internam immediate sanctificandi concedunt, sed Sociniani ac Anabaptistæ contendunt, Sacramenta esse nuda signa seu sigilla Divinarum promissionum, Lutherani autem, & Calvinistæ ea quidem appellant instrumenta DEI, & organa gratiæ &c. verum per hos terminos nihil aliud volunt, quam quod Sacramenta habeant vim quamdam causativam gratiæ externam, objectivam ac dispositivam, in quantum per illorum administrationem in suscipiente excitatur fides promissionis & justitiæ Christi, quæ proin sola sit causa immediata justificationis, ut docet Luther. lib. de capt Bab. cap. de Baptism. & Calvin. lib. 4. Instit. cap. 14.

107 Hinc in administratione Sacramentorum triplicis generis verba distinguunt, promissoria nempe, concionatoria, ac consecratoria. Verba promissoria vocant, quæ promissiones Divinas continent, ut illa Joan. 3 v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* &c. & Joann 6 v. 54. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis* &c. verba con-

concionatoria vocant, quæ alta & intelligibili voce prolata fidem audientium movere & excitare possunt. Verba denique consecratoria juxta ipsos sunt, quæ rem ab usu profano & vulgari ad religiosum traducunt, & DEO sacram efficiunt, quod juxta doctrinam Ecclesiæ catholicæ non debent facere quomodocunque, sed ita, ut simul cum re habeant vim ac virtutem intrinsecam in subjecto rite disposito causandi tum gratiam justificantem, qui est effectus primarius, & communis omnibus Sacramentis, tum characterem aliquem, qui effectus aliquibus tantum Sacramentis proprius est.

QUÆSTIO I.

An verba Sacramentorum debeant esse concionatoria & promissoria? an consecratoria?

Quemadmodum Catholici facile admittunt, 108
Sacramenta esse sigilla quædam Divinæ promissionis apta ad excitandam in nobis pietatem & fidem, ita Lutherani & Calvinistæ cum suis antesignanis verba Sacramentorum sæpe vocant consecratoria, eorumque vim & efficaciam contra Socinianos & Anabaptistas ita extollunt, ut nobiscum sentire videantur. At si detracto verborum sono mens illorum penitius inspiciatur, plurimum discrepant; nam Catholici unanimiter docent, virtutem & efficaciam Sacramentorum haberi per verba consecratoria, quæ illorum formam constituunt; juxta Sectarios vero sola fides justificat. Hinc negant, effectum Sacramentorum aliter haberi posse, quam per verba promissionis & concionis, sive dein hæc ipsam essentiam Sacramenti constituant, ut aliqui

aliqui volunt, sive tantum sint conditio necessaria ad fructum Sacramenti percipiendum, ut loquuntur alii apud Bellarm. lib. 1 de Sacram. cap. 19. Interim tam Calvinistæ quam Lutherani in administratione Baptismi etiam adhibent verba consecrationis, hinc non rebaptizantur, qui ab illis ad Ecclesiam Catholicam redeunt.

109 Dicendum. Ad virtutem & effectum Sacramentorum neque requiruntur, neque sufficiunt verba promissoria & concionatoria, sed ea debent esse consecratoria. Prob. 1 Pars, quia neque ex Scriptura, neque aliunde potest probari necessitas verborum promissoriorum aut concionatoriorum; neque enim verba: Ego te baptizo in nomine Patris &c. Hoc est corpus meum &c. promissionem Divinam expresse continent; sed si Sacramenta immediate essent destinata ad Divinas promissiones in nobis obsignandas, potius deberent adhiberi ista: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* &c. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis* &c. Multo minus Scriptura, dum loquitur de Baptismo & Eucharistia, mentionem facit habendæ concionis, sed potius officium baptizandi & concionandi expresse distinguit, ut patet ex illo Apostoli 1 ad Cor. 1 v. 17; *Non misit me Christus Baptizare, sed Evangelizare.* Merito itaque Tridentinum sess. 7 can 5 & 6 anathema dixit asserentibus, Sacramenta novæ legis propter solam fidem nutriendam esse instituta, aut esse signa tantum externa propter fidem gratiæ aut justitiæ, & notæ quædam christianæ professionis, quibus apud homines fideles discernuntut ab infidelibus.

110 Probatur 2 Pars auctoritate Scripturæ & SS. Patrum, a quibus verba Sacramentorum non promissoria, aut concionatoria, sed consecratoria vocantur. Sic Apostolus 1 ad Cor. 10 v. 16 Eucharistiam vocat calicem benedictionis: *Calix benedictionis,*

ctionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & Actor 22 v. 16 Baptismus dicitur conferri invocato nomine Christi: *Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua, invocato nomine ipsius* (Christi); atqui verbum benedictionis & invocationis idem est, ac verbum consecrationis. S. Ambrosius lib. 4 de Sacram. cap. 4 expresse ait, *Per consecrationem de pane fieri carnem Christi*. S. Augustinus lib. 3 de Bapt. c. 10 *Baptismum Christi verbis Evangelicis consecrari*. Gregorius Nyss. orat. Catec. cap. 37, *DEI verbo sanctificari panem, & in corpus DEI verbi consecrari*. Hinc teste S. Augustino lib. cit. cap. 15 ab Ecclesia catholica Baptismus ab hæreticis collatus habebatur validus, modo collatus fuerit cum debita forma in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, etsi hæc verba ab hæreticis varie intelligebantur, & illi circa fidem orthodoxam turpiter errarent.

Probatur utraque pars simul ratione Theologica. Juxta ipsos Novatores valide baptizantur infantes & perpetuo amentes: ergo verba Baptismi (eadem est ratio de reliquis Sacramentis) non debent esse promissoria aut concionatoria, sed consecratoria; cum enim infantes & amentes ejusmodi verba non intelligant, nec prudenter ad ipsos possunt dirigi, nec ad eliciendam fidem ipsos excitare: ergo tantum consecratorie supra ipsam materiam proferuntur. Dicit quidem Calvinus, verba promissoria saltem prodesse circumstantibus. Verum Sacramenta non celebrantur propter circumstantes, sed propter utilitatem suscipientium, & facile fieri potest, ut præter baptizantem & baptizatum nemo sit præsens, neque plebeii linguam latinam, in qua baptismus confertur, intelligunt. Multo insulsius est, quod fingit Lutherus, nempe parvulos in Baptismo miraculose a 111

DEO

DEO illuminari, ut fidem justificantem, vel alium æquivalentem actum elicere valeant, cui putido figmento ipsi parvuli reclamant, qui si intelligerent, quid circa se ageretur, non ita manibus pedibusque reluctarentur, dum salutaris unda ipsis infunditur, ut advertit S. Augustinus Epistol. 57 ad Dardan.

Objectiones.

112 Obj. 1. Quando Christus Matth ult. v. 19 dixit: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti: docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis* Cum Baptismi celebratione conjunxit officium prædicandi; ergo voluit adhiberi verba concionatoria. Conf. Ipse Christus, dum in ultima cœna instituit Eucharistiam, sermonem habuit; ergo. Resp. Dist. Ant. Cum Baptismi celebratione conjunxit prædicandi officium tanquam partem & requisitum essentiale baptismi, Neg. Ant. tanquam præparationem Baptismo præmittendam, Conc. Ant. & eodem modo Neg. Cons. Christus in textu objecto potius distinguit prædicationem a Baptismo, & solum voluit præscribere ordinem, quem Apostoli debeant tenere in suo Apostolatu, ut nempe primo doceant mysteria fidei illos, qui doctrinæ sunt capaces, dein eosdem baptizarent, non quasi hæc instructio sit pars aut essentiale requisitum Baptismi, cum apud infantes locum non habeat; sed quia per illam adulti ad Baptismum debent præparari. Ad Conf. Sermo hic a Christo primum habitus est post cœnam & nihil ad institutionem Eucharistiæ pertinuit.

Dices

Dices 1. Christus concionem requisivit tanquam partem Baptismi; nam ad Ephes. 5. v. 25 & 26. dicitur: *Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit se ipsum pro ea, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ*; atqui hic per verbum vitæ nullum aliud potest intelligi, quam verbum prædicationis, de quo ad Apostolos dixerat: *Euntes docete omnes gentes.* Conf. S. Hieronymus commentar. in Epistol. ad Ephes. expresse docet, per verbum vitæ intelligi doctrinam: ergo. Resp. Neg. Ant. Verba Apostoli non referuntur ad illa: *Euntes docete*, sed ad sequentia: *Baptizantes eos in nomine Patris* &c. attendit enim S Paulus ad institutionem a Christo factam, & per lavacrum aquæ Baptismum, per verba vitæ invocationem SS. Trinitatis intelligi, ut hunc locum apud Bellarm. lib. 1 de Sacram. in gener. cap. 19, interpretantur S. Chrysost. Theophilact. aliique Patres excepto solo Hieronymo, qui tamen, ut ipse fatetur, non sensum litteralem, sed tropologicum secutus est, neque per lavacrum intellexit Baptismum, sed quamcunque purgationem, quæ per doctrinam fieri potest. Hinc ad Conf. Transf. Ant. Neg. Conf. 113

Dices 2 S. Petrus Epistol. 1 cap 3 comparat Baptismum Arcæ Noe, & v. 21 ait: *Vos similis formæ salvos facit Baptisma, non carnis depositio sordium, sed bonæ conscientiæ interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi*, quo loco, ut ex textu Græco colligitur, interrogatio idem significat ac stipulatio seu pactum cum DEO Conf. S. Petrus ait, Baptisma nos salvos facere *per resurrectionem Christi*: ergo per fidem in resurrectionem Christi. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. sensus Apostoli est: Baptisma salvos facit, quos abluit, non quidem mundando sordes corporis, quod solum poterant Baptismata Judæorum, sed mundando sordes animæ, quam mundationem exprimit per bonæ conscientiæ interrogationem seu stipulationem, quia qui 114

qui per gratiam baptismalem interius mundatur, ex pacto fœdere DEUM sibi veluti obstrictum habet, & vicissim DEO suum obsequium devovet. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. S. Petrus tantum vult, quod resurrectio Christi sit causa exemplaris nostræ resurrectionis a peccato; sane Arca Noe octo animas a diluvio salvavit non tantum per fidem, aut testificationem promissionum, sed eas vere in se continendo.

115 Obj. 2. S. Augustinus Tract. 80 in Joann. ad hæc verba Christi: *Jam vos mundi estis propter verbum, quod locutus sum vobis*, quærit: *Quare non ait mundi estis propter Baptismum, quo loti estis, sed ait propter verbum, quod locutus sum vobis, nisi quia & in aqua verbum mundat? detrahe verbum, & quid est aqua nisi aqua? accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum:* ergo. Conf. Verbum propter quod Apostoli sunt mundati, fuit verbum concionis, quam Christus antea habuerat: ergo. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. S. Doctor recte observat, Christum dixisse, vos mundi estis propter verbum, & non propter Baptismum, quia in omni mundatione vis mundandi oritur a verbo; si enim mundatio fit extra Sacramentum, debet adesse fides actualis; fides autem ex auditu: si vero fit in Sacramento, debet adesse verbum consecrationis, de quo respectu Baptismi clare loquitur Augustinus, tum quia agit de verbo, sine quo non valet Baptismus; *detrahe verbum, & quid est aqua nisi aqua?* tum quia loquitur de verbo, quod ad elementum accedit; Concio autem apud Sectarios Baptismum antecedit. Ad Conf. Transf. Ant. Neg Conf. quia, ut diximus, S. Doctor loquitur de omni verbo mundationis, & promiscue tam pro consecratorio, quam pro concionatorio testimonia Scripturæ adducit.

Dices

Dices 1 S. Augustinus loc. cit. ita pergit: *Unde* 116
ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo: non quia dicitur, sed quia creditur; nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens. Conf. Verbum, quod mundat in Baptismo, idem est, quod Christus locutus est Apostolis; atqui illud erat concionale; quando enim Christus habuit illum sermonem, non baptizavit. Resp. Dist. Ant. tanta virtus aquæ est a verbo, non quia dicitur, sed quia creditur actu & formaliter, Neg. Ant. quia creditur objective, Conc. Ant. S Doctor, ut ex contextu patet, solum docet, quod verbum vim mundandi in Baptismo non habeat ex solo materiali & sensibili sono, sed propter mysterium fidei, quod sua significatione exprimit; adeoque fidem, & verbum fidei, non accipit pro actu, quo credimus, sed pro re, quam credimus, ferme sicut actus externus subinde dicitur hæresis, quia est objectum infidelitatis internæ. Ad Conf Dist. Maj. est idem verbum, & eodem modo administratum, Neg. Maj. diverso modo administratum, Trans. Maj verbum, quod Christus locutus est Apostolis, & quod adhibetur in Baptismo, conveniunt quidem in hoc, quod utrumque mundaverit; at unum mundavit extra Sacramentum excitando fidem, alterum in Sacramento consecrando aquam.

Dices 2. S. Augustinus statim ita prosequitur: 117
Hoc est verbum fidei, quod prædicamus, ait Apostolus, quia si confessus fueris in ore tuo, quia Dominus est Jesus, & credideris in corde tuo &c. Atqui verbum, quod prædicarunt Apostoli, & de quo loquitur S. Paulus ad Rom. 10 v. 8 est concionale. Conf. In eodem loco ait: *Verbum fidei tantum valere, ut per ipsum credentem, & offerentem mundet infantem, etsi nondum valeat credere ad justitiam.* Resp. Conc. totum, quod S. Doctor in hoc textu

agat

agat de verbo concionali, ſed nego, quod illud ad Baptismum requirat; nam ut dixi, agit de omni verbo, per quod fit mundatio, dumque paulo poſt allegat textum S. Petri Epiſt. 1 cap. 3 v. 21: *Sic & vos Baptisma ſalvos facit,* clare ait: *quo ſine dubio, ut mundare poſſit, conſecratur Baptismus.* Neque tamen in verbis Auguſtini eſt æquivocatio, quia Characteres verbi conſecratorii & concionatorii ſatis diſtinguit. Ad Conf. dico hunc textum eſſe pro nobis, quia in illo aperte aſſeritur valor Baptismi infantum; quin actu poſſint credere, fidem autem miniſtri aut aliorum offerentium ad valorem non requiri, ſæpe inculcat S. Doctor, & patebit ex dicendis.

118 Obj 3. Omne Sacramentum eſt ſignum ſacrum, quod debet ducere in cognitionem alterius rei ſacræ; atqui hoc fieri nequit, niſi per verba concionatoria excitetur fides & fiducia in DEUM & Chriſtum. Hinc Apoſtoli Baptismo ſemper præmiſerunt prædicationem, idemque primitiva obſervavit Eccleſia. Conf Juxta S. Ambroſium lib. de Myſter cap. 3. *Aqua ſine prædicatione dominicæ crucis ad nullos uſus futuræ ſalutis eſt:* ergo. Reſp. Diſt. Maj. eſt ſignum ſacrum, quod debet ducere in cognitionem alterius ſemper actu, Neg. Maj. ſaltem potentia, Conc. Maj. & ſic Diſt. Min. Neg. Conſ. præſertim quia Sacramentum non tantum eſt ſignum ſpeculativum ſed practicum, operans id, quod ſignificat independenter a notitia rei ſignificatæ. Quare Apoſtoli & primitiva Eccleſia prædicationem Baptismo ſolum præmiſerunt tanquam præparationem, & quando non urgebat periculum mortis, aut alia neceſſitas. Ad Conf. S. Ambroſius loquitur de benedictione fontis baptismalis, cujus etiam meminit S. Cyprianus, non quod ſit de neceſſitate Sacramenti, ſed ut oſtendat Sacramenta habere

habere suam efficaciam ex passione Christi, qui in hac benedictione invocatur.

Dices. Ex una parte in omni Sacramento requiri- 119
tur verbum promissionis: ex altera parte, ubi est promissio, debet dari fides, qua promissio acceptetur: ergo. Conf. Sacramenta a SS. Patribus sæpe vocantur sigilla & pignora gratiæ: ergo verba Sacramentorum sunt promissoria, vel gratiam saltem præsupponunt; neque enim sigillà & pignora efficiunt id, quod signant, aut sigillant Resp. Dist. Ant. quoad 1 membrum, in omni Sacramento, id est, in institutione Sacramenti requiritur verbum promissionis, Conc. Ant. in ipso usu Sacramenti, Neg. Ant. quoad hoc membrum, & simpliciter quoad alterum. Cum Sacramenta sint signa efficacia gratiæ, utique promissio gratiæ in institutione a Christo ipsis debuit annecti; at ideo opus non est, ut hæc promissio in usu Sacramenti per actualem fidem acceptetur, neque Ecclesia, dum Sacramenta confert, utitur verbis promissoriis, sed simpliciter dicit: Ego te baptizo Hoc est corpus meum &c. Ad Conf. Dist. Ant. Sacramenta a SS. Patribus vocantur sigilla & pignora gratiæ practica, Conc. Ant. mere speculativa, Neg. Ant. & Conf. & sub eadem distinctione rationem consequenti additam.

Obj 4. Si infantes, quando baptizantur, non 120
credunt, illuditur Sacramento, & patrini loco illorum respondentes: Credo, mentiuntur. Hinc S Augustinus Serm. 14 de verb. Apost. ait: *absit, ut ego dicam non credentes infantes*. Conf. Concilium Neocæsariense can. 4 inquit, ideo fœtum in utero matris clausum non baptizari cum matre, *quia proprium uniuscujusque propositum in confessione ostendi debet*. Resp. Neg. Ant. Patrini, dum respondent: Credo, non volunt significare, quod infantes credant proprio actu, sed alieno, nempe *accommodat*

mater Ecclesia infantibus pedes aliorum, ut veniant, aliorum cor, ut credant, aliorum linguam, ut confiteantur, inquit S. Augustinus Serm. 10 de verb. Apost. Lib. 1 autem de peccat merit. cap. 20 expresse docet, *Infantes non habere fidem, quæ est in cognitione, non sensum fidei, non quod Paulus dicit: corde creditur ad justitiam.* Ad Conf. Canon Neocæsariensis duo statuit, infantem in utero matris non habere communem cum matre Baptismum, neque salvari per fidem matris. Prioris dat hanc rationem, quia mater cum fœtu hac in re nihil habet commune: posterioris dein istam, quia fides uniuscujusque debet esse propria.

QUÆSTIO II.

An Sacramenta novæ legis causent gratiam ex opere operato?

121 Gratia juxta Catholicos potest obtineri ex opere operantis, vel ex opere operato. Ex opere operantis confertur tunc, quando datur, ut præmium commensuratum nostro merito seu condigno seu congruo; ex opere operato autem, quando datur vi alicujus operis nobis applicati citra vel saltem ultra nostrum meritum. Sic infans in Baptismo accipit gratiam præcise ex vi Sacramenti, utpote omnis meriti incapax. Idem est de adulto, si accedat ad Baptismum cum fide, spe & contritione imperfecta; quamvis enim per hos actus ad gratiam se debeat disponere, quia tamen a peccatore eliciti, ne quidem de congruo gratiam merentur, non sunt causa gratiæ, neque Sacramento virtutem tribuunt, sed tantum removent obicem, quo efficacia Sacramenti impediretur. Quodsi homo con-

constitutus in gratia inter ferventes virtutum actus e. g. Eucharistiam sumat, confertur illi non solum gratia his actibus respondens, sed insuper alia vi Sacramenti non quidem citra, attamen ultra omne suum meritum.

Non solum huic doctrinæ Catholicæ, sed etiam 122
modo loquendi acriter se opponunt novatores, criminantes, opus operatum esse vocem novam a S. Thoma aut Innocentio III introductam contra leges Grammaticæ, juxta quos verbum Operor non dicitur passive. Sed quamquam hic modus loquendi sit novus quoad sonum verborum, optime tamen quoad sensum & substantiam convenit cum mente Ecclesiæ, & ab ipso Concilio Tridentino usurpata fuit: nec obstat, quod verbum deponens accipiatur passive; nam idipsum fecit Scriptura ad Hebr. 3 v. 16, ubi verbum promereor passive usurpatur: *Talibus enim hostiis promeretur Deus*, & S. Augustinus in Psalm. 138 maluit dicere ossum ossi quam os ossis, ut facilius intelligeretur. *Melius est*, inquit, *ut nos reprehendant Grammatici, quam ut non intelligant populi* Porro Sacramenta ex opere operato conferre gratiam clare docet contra Cresconium Donatistam Grammaticum; nam. c. 16 ita scribit: *Baptismus non eorum meritis, a quibus ministratur, nec eorum, quibus ministratur, constat, sed propria sanctitate & virtute propter eum, a quo institutus est, male utentibus ad perniciem, bene utentibus ad salutem.*

Dicendum. Omnia Sacramenta novæ legis in 123
subjecto rite disposito causant gratiam ex opere operato. Prob. 1 auctoritate Scripturæ, quæ vim sanctificandi ipsis Sacramentis tribuit, ut patet ex disp præced q. 3, ubi ostendi, omnibus Sacramentis novæ legis annexam esse promissionem gratiæ sanctificantis. Sic dum de Baptismo ad Tit. 3 v. 5 dicitur: *Salvos non fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti*, salus &

 justi-

justificatio immediate adscribitur Baptismo tanquam causæ instrumentali, sicut immediate adscribitur Spiritui Sancto tanquam causæ principali. Similiter vita æterna, quæ sine justificatione obtineri nequit, immediate tribuitur manducationi panis Eucharistici Joann. 6. v. 55: *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Hinc Tridentinum sess. 7 triplex anathema dicit can. 6 illi, *Qui dixerit Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre.* Can. 7: *Qui dixerit, non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper & omnibus, quantum est ex parte DEI, etiamsi rite ea suscipiant.* Can. 8: *Qui dixerit, per ipsa legis novæ Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem Divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere.*

124 Probatur 2 ex perpetua traditione Ecclesiæ, de qua nos certos reddunt Concilia & SS. Patres. Sic Concilium Constantinopolitanum I in Symbolo fidei confitetur *Unum Baptisma in remissionem peccatorum:* Milevitanum II cap. 2 ait, parvulos ideo in remissionem peccatorum baptizari, *ut in his regeratione mundetur, quod generatione contraxerunt.* Arausicanum II Can. 25, *quod per Baptismum accipiatur gratia.* Florentinum in Decreto pro Armenis, *quod Sacramenta novæ legis contineant gratiam, & digne suscipientibus conferant.* Testimonia SS. Patrum longo ordine recitat Bellarm lib. 2 de Sacram. cap 4 & 5. Licet autem Patres fere perpetuo loquantur de virtute & efficacia solius Baptismi, eadem tamen de cæteris Sacramentis est ratio, cum eodem modo a Christo sint instituta. Ita dudum sensit Tertullianus lib. de Resurrect. carnis cap. 8, ubi ait: *Caro abluitur, ut anima emaculetur, caro ungitur, ut anima consecretur, Caro signatur, ut anima*

anima muniatur, caro impositione manus adumbratur, ut anima Spiritu illuminetur, caro corpore Christi & sanguine vescitur, ut anima de DEO saginetur.

Probatur 3 ratione Theologica. Si Sacramenta non causarent gratiam ex opere operato, tunc ideo, quia totus effectus Sacramentorum deberet adscribi fidei; hoc falsum: ergo. Major est præcipuum fundamentum novatorum. Min. Prob. 1. Quia Baptismus confert gratiam parvulis, etsi minister sit hæreticus, infidelis, peccator sacrilegus, ut Disp. seq. probabitur. 2. Quia etiam respectu adultorum Scriptura non adstruit fidem tanquam effectum Sacramenti, sed tanquam dispositionem præviam: cum enim evnuchus Act 8 peteret baptismum, & v. 36 interrogaret: *Quid prohibet me baptizari?* respondit Philippus: *Si credis ex toto corde, licet.* 3. Quia tali modo nihil prodesset baptismus collatus in lingua peregrina, cum verba, quæ a baptizato non intelliguntur, nequeant illum ad fidem excitare. 4. Vicissim Sacramenta æque prodessent, sive exhiberentur scripta, sive ore pronunciarentur; nam utroque modo perinde fidem excitare possent. Cæterum ratio a priori nostræ conclusionis est, quia actiones Sacramentales sunt actiones moraliter Christi, in quantum minister illas ponit ut delegatus & ex imperio Christi, qui Sacramenta ad conferendam gratiam instituit. 125

Ex quibus vides, Novatores in justificatione parvulorum non posse confugere ad fidem parentum aut ejus Ecclesiæ, in qua Baptismus administratur; nam parvulus valide baptizatur, etsi parentes & minister sint infideles, & nullam nisi perversam fidem habeant. Hinc Lutherus ait, parvulos justificari in fide veræ Ecclesiæ, quæcunque illa sit. Sed huic figmento aperte repugnant Scriptura, Patres & Concilia, quæ justificationem ipsi baptismo adscribunt. Multo minus sustineri potest, 126

quod docet Calvinus, nempe baptismum parvulis ſaltem tunc prodeſſe, quando perveniunt ad uſum rationis, ſecus illum ad remiſſionem peccati originalis non eſſe neceſſarium, ſed eos, ſi moriantur ante uſum rationis, ſalvari, eo ipſo, quod pertineant ad fœdus novi teſtamenti. Nam contra eſt 1, quia Baptismus jam valet tunc, quando confertur, & univerſa Eccleſia ſemper docuit parvulos non baptizatos regnum DEI non conſequi juxta illud Joan. 3 v. 5: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Quæ verba clariora ſunt, quam ut ad figuratam locutionem detorqueri valeant.

Objectiones.

127 Obj. 1. Juxta S. Scripturam ſola fides juſtificat: ergo. Ant. Prob. ex Epiſtol. S. Pauli ad Rom. ubi cap. 1 v. 17 dicitur: *Juſtus ex fide vivit.* Cap. 3 v. 28: *Arbitramur, hominem juſtificari per fidem ſine operibus legis.* Cap. 4 v. 3: *Credidit Abraham Deo & reputatum eſt illi ad juſtitiam.* Reſp. Neg. Ant. Quamvis juxta Scripturam fides ad juſtificationem hominis adulti requiratur, hæc tamen nullibi adſcribitur ſoli fidei, imo teſte S. Jacobo cap. 2 v. 20: *Fides ſine operibus mortua eſt* Et v. 24: *Ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantum.* Ad Prob. dico, ſenſum litteralem primi textus non eſſe, quod homo fiat, aut reputetur juſtus ex fide, ut volunt Sectarii, ſed quod juſtus ex fide conſtanter exſpectet, quæ DEUS promiſit, neque frangatur, etſi promiſſiones differri videantur; hunc enim ſenſum genuinum eſſe, colligitur ex cap. 2 Habacuc, ex quo verba Apoſtoli deſumpta ſunt. In ſecundo & tertio textu contra Judæos, qui ex operibus legis ſe juſtificari gloriabantur, docet opera legis Moſaicæ non eſſe neceſſaria ad ſalutem

tem Christianis, & hunc in finem proponit exemplum Abrahæ, qui non ex circumcisione, sed ex fide viva, & charitate formata justificatus est.

Dices 1. Justificatio semper, & necessario est connexa cum fide: ergo fides non tantum est dispositio sed causa justificationis. Ant. Prob. S. Paulus ad Rom. 3 v. 22 ait: *Justitia DEI per fidem Christi JESU in omnes, & super omnes, qui credunt in eum.* Et Cap. 10 v 10: *Corde creditur ad justitiam.* Conf. Quando Scriptura adscribit justitiam fidei, nihil addit de Sacramentorum susceptione: ergo. Resp. Neg. Ant. Contrarium patet in parvulis, imo etiam in adultis, qui licet habeant fidem adhuc baptizari debent juxta illud Joann. 3. v. 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* &c. Textus ex S. Paulo allegati solum probant, quod fides justificet, quando cum illa concurrunt alia ad salutem requisita; alias pari jure dici posset, quod etiam spes aliaque opera bona se solis ac sine fide justificent, quia etiam istis in Scriptura salus & remissio peccatorum promittitur. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Quamvis in textibus objectis Scriptura nihil dicat de Sacramentis, tamen illorum necessitatem & efficaciam satis declarat in aliis locis; quod autem Apostolus sæpius fidem commendet, juxta Tridentinum Sess. 6 cap. 8 ratio est, quia fides est initium & radix omnis justificationis. 128

Dices 2. Christus Marc. ult. v. 16. dixit: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur* Ubi notandum, quod Christus non dixerit, qui non fuerit baptizatus, condemnabitur, sed qui non crediderit, nempe etsi fuerit baptizatus Conf. Fides saltem in casu necessitatis, quo baptismus non potest suscipi, se sola justificat: ergo. Resp. ex verbis Christi tantum sequi, quod ad justificationem adulti simul requiratur Baptismus, tanquam causa, & fides tan- 129

quam dispositio necessaria ad fructum Baptismi; sic enim utique condemnabitur, qui non crediderit, etsi fuerit baptizatus. Imo quia in casu necessitatis aliquis potest salvari sine Baptismo in re, non item sine fide actuali, fides adultis aliquo modo magis est necessaria, quam Baptismus, & ideo juxta S. Bernardum Epistol. 77 Christus potius dixit: *Qui non crediderit, condemnabitur*. Ad Conf. Dist. Ant fides mortua & sine Baptismo in voto se sola justificat, Neg. Ant. fides viva & charitate formata, ac cum voto Sacramenti conjuncta, Subdist justificat formaliter, Neg. Ant. dispositive, Conc. Ant. & Neg. Conf. nam etiam in tali casu justificatio charitati & voto Sacramenti tanquam causæ adscribi debet.

130 Obj. 2. Juxta SS. Patres Sacramenta tantum sunt sigilla, & signacula speculativa gratiæ; nam, ut S. Hieronymus in cap. 4 Isai. docet, *In Baptismo homo tantum aquam tribuit, DEUS autem Spiritum Sanctum, quo sordes abluuntur*. Tertullianus lib. de pœnit. cap. 6 Baptismum vocat *obsignationem fidei*. S. Bernardus Serm. de cœna Dom. ait: *Qua ratione investitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Episcopus per annulum, sic divisiones gratiarum diversis traditas esse Sacramentis*. Resp. Neg. Ant S. Hieronymus solum docet, quod homo sordes animæ nequeat abluere virtute naturali & propria auctoritate, quod non impedit, quo minus id possit potestate ministeriali & instrumentali a DEO accepta. Tertullianus Baptismum vocat obsignationem fidei, non quia excitat fidem justificantem, sed quia baptizatus per illum publice protestatur fidem suam, & Ecclesia illum baptizando pariter fidem suam publice profitetur. S. Bernardus non instituit comparationem Sacramentorum cum illis signis quoad efficaciam, sed quoad modum significandi, & diversitatem; nam eodem loco docet, Sacra-

menta

menta in nobis operari, ne consentiamus peccatis.

Dices 1. S. Augustinus lib 19 contra Faust 131
cap. 16 ait, Sacramenta nihil aliud esse, *nisi quædam quasi verba, sacrosancta quidem, verumtamen mutabilia, & temporalia* Lib. 15 de Trinit. cap. 26 negat, Apostolos dedisse Spiritum S. *Orabant*, inquit, *ut veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant*. Lib Quæst. vet. & nov. testament q. 59 aperte dicit: *Nec donum cœleste poterit consequi, qui se per aquam, non per fidem immutari credit*. Resp. S. Doctor libro contra Faustum, qui vetus testamentum damnabat, solum vult ostendere, quod Christus non venerit solvere legem, etsi Sacramenta veteris legis, quæ ipsum tanquam venturum præfigurabant, quoad modum significandi mutaverit *Nam licet signa illa*, pergit, *mutabilia sint, virtus tamen, quæ per ista operatur, jugiter manet, & donum spirituale, quod per ista insinuatur, æternum est*. In libro de Trinit. probat Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere, quia ab utroque datur, & mittitur; ne vero quis objiciat Spiritum Sanctum etiam datum fuisse ab Apostolis, negat, quod illum dederint, videlicet auctoritate propria & independente, prout datur a Patre & Filio. Quæstiones novi & veteris testamenti non sunt S Augustini, sed alicujus hæretici, ut observat Bellarm. lib. de Script. Eccles.

Dices 2. S. Augustinus lib. 3 supra Levitic. 132
quæst. 84 docet sanctificationem externam esse separabilem ab interna, atque, *Hominem per visibile Sacramentum conferre visibilem sanctificationem, Deum vero dare sanctificationem invisibilem per Spiritum Sanctum*. Serm. autem 30 de verb. Dom. inquit, *Baptisma, quod semel adhibetur, per fidem mundat*. Denique lib. 21 de Civit. cap. 25 refellit eos, qui liberationem ab igne æterno promittunt iis,

qui Christi Baptismate abluti & corporis ejus & sanguinis participes facti sunt, quomodolibet vixerint Resp. S. Doctor in quæstionibus supra Levitic. tribuit quidem sanctificationem internam Deo, tanquam causæ principali; at per hoc non negat quod minister applicando Sacramentum sit ejusdem causa instrumentalis. Imo in eodem loco diserte ait: *Sanctificavit Moyses visibilibus Sacramentis, Deus autem invisibili gratia per Spiritum Sanctum.* Dein transit ad Sacramenta novæ legis, & exemplo Simonis Magi ostendit, posse Sacramentum dari sine effectu invisibilis gratiæ, si videlicet cum obice suscipiatur, sicut vicissim dari potest gratia sine Sacramento, ut in bono latrone In serm. de verb. Dom. solum vult, quod Baptismus non mundet adultos sine fide tanquam dispositione prævia. In libro de Civit. solum refellit illos, qui contendebant gratiam in Baptismo acceptam per nullam impietatem amitti posse.

133 Obj. 3. Sacramenta antiquæ legis non causabant gratiam ex opere operato: ergo neque Sacramenta novæ legis; nam sicut Jac. 5 v. 14 dicitur: *Orent super eum, & oratio fidei sublevabit infirmum.* Sic Levit. 5 v. 6 de Sacrificiis legitur: *Rogabitque pro eo Sacerdos - - & dimittetur ei.* Item sicut Act 8 v. 17 refertur de confirmatione, quod per impositionem manus fideles acceperint Spiritum Sanctum: ita Deuter. 34 v. 9 de Josue habetur, quod repletus sit spiritu sapientiæ, quia Moyses posuit super eum manus, & 1 Reg. 10 de Saule narratur, quod mutatus fuerit in virum alium virtute unctionis per Samuelem ministratæ. Resp. Conc. Ant. Neg. Cons. Cum Scriptura antiquæ legis Sacramenta vocet egena & vacua elementa, ejus Sacrificia ex opere operato tantum causarunt munditiem, & sanctificationem aliquam externam ac legalem, ad dimittenda autem peccata, & acqui-

quirendam sanctitatem internam fuit necessaria perfecta contritio, cujus signum & protestatio erant Sacrificia, ut notat S. Thomas 1. 2 q. 103 art. 2 in corp. & colligitur ex eo, quia sacrificia non fuerant instituta pro peccatis omnibus e. g pro blasphemia, homicidio, adulterio, sed tantum pro aliquibus, maxime pro peccatis ignorantiæ. Porro impositio manus super Josue, & Unctio Saulis ne quidem fuerunt Sacramenta, cum non fuerint ritus sacri permanentes, & stabiles.

Dices 1. S. Paulus 1 ad Cor. 10 loquens de 134
manna Hebræorum, & aqua ex petra scaturiente v. 3 & 4 ait: *Eandem escam spiritualem manducaverunt, & eundem potum spiritualem biberunt.* Ex quo loco S. Augustinus Tract. 26 in Joann. deducit Sacramenta nostra, & Judæorum fuisse in signis diversa, in re autem, quæ significatur, paria: *Diversa specie visibili, paria virtute spirituali.* Conf. Quia etiam Sacramenta veteris legis fuerunt actiones morales Dei, aut Christi. Resp. S. Paulus non dicit, quod Judæi eandem escam spiritualem manducaverint, quam nos manducamus, sed quod eandem manducaverint omnes Judæi inter se, neque manna aut aqua scaturiens erant Sacramenta, cum aquam illam etiam biberint bestiæ, & manna manducaverint canes & gallinæ. Textus S. Augustini male citatur a Calvino; sic enim habet: *Aliud illi, aliud nos, sed specie visibili quidem, tamen hoc idem significante virtute spirituali.* Unde S. Doctor Sacramenta vetera & nova non dicit esse paria quoad virtutem, sed tantum quoad significationem, imo lib. 19 contra Faustum cap. 13 clare ait, nostra esse *virtute majora, ac utilitate meliora.* Ad Conf. Neg. Ant. Sicut Christus non fuit Sacerdos principalis antiqui testamenti, sic Sacerdotes non fuerunt ejus ministri, neque Sacramenta administrabant in persona

DEI,

DEI, cum nemo possit colere seipsum, aut sibi substituere alium, a quo tanquam vicario ipsemet colatur.

135 Dices 2. Saltem circumcisio (idem est de remedio legis naturæ) non minus fuit instituta ad delendum peccatum originale, & justificandos parvulos, quam Baptismus; nam Genes. 17 v. 14 dixit DEUS ad Abraham: *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illius de populo suo, quia pactum meum irritum fecit:* atqui circumcisio non contulit gratiam ex opere operato. Conf. Innocentius III cap. Majores 3 de Baptismo illum comparat cum circumcisione, & ipse Apostolus ad Rom. 15 v 8 Christum vocat ministrum circumcisionis. Resp. Dist. Maj. non minus fuit instituta, & cum eadem virtute & efficacia, Neg. Maj. aliter, Trans. Maj. SS. Patres Augustino antiquiores apud Bellarm. lib. 2 de Sacram. cap. 15 unanimiter docent, circumcisionem tantum fuisse institutam in signum discretivum Judæorum a gentilibus, & nihil ad justitiam & salutem contulisse; hinc Num. 11 dixi, per circumcisionem fuisse collatam gratiam tantum ex opere operantis, seu ut alii loquuntur, ex opere operato minus stricte tali, prout fuit protestatio fidei in DEUM & Christum. Ad Conf. Innocentius III in cit. cap. contra hæreticos voluit definire, infantes utiliter baptizari, ad quod sufficiebat dicere, peccata in Baptismo remitti, atque etiam in circumcisione remissa fuisse, licet id contigerit diverso modo: neque S. Paulus Christum aliter circumcisionis ministrum vocat, quam quia a Patre erat missus ad prædicandum Judæis seu circumcisis, ut ipse Christus Matth. 15 v. 24 dixit.

136 Obj. 4. Solus DEUS est auctor gratiæ, & gloriæ; hinc de Christo Joann. 1 v. 33 dicitur: *Hic est, qui baptizat.* & Marci 2 v. 7: *Quis potest dimit-*

mittere peccata, nisi solus DEUS? qui nempe solus novit corda hominum: ergo. Conf. Sacramenta sunt res quædam materiales & crassæ, quæ non possunt ad animam pertingere; hinc S Ambrosius Epist. 24 virtutem causativam gratiæ a visibilibus & materialibus Sacramentis distinguit. *Aliud enim*, inquit, *quod visibiliter agitur: aliud, quod invisibiliter celebratur; nec idem est in Sacramento forma, quod virtus, cum forma solius ministerii obsequio celebretur, virtus autem per Divini operis præstetur effectum.* Resp Conc. Ant. dist. Cons. Sacramenta non possunt causare gratiam primario & principaliter, Conc. Cons. secundario & instrumentaliter, Neg Cons. Sacramenta non causant gratiam nisi virtute a DEO accepta, & tanquam instrumenta DEI, a quo primario omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit. Porro nihil frequentius contingit, quam ut causa instrumentalis operetur effectum, quem non cognoscit. Ad Conf. Dist. Ant. Sacramenta sunt res crassæ, quæ non possunt ad animam pertingere physice & naturaliter, Conc. Ant. moraliter & supernaturaliter, Neg. Ant S. Ambrosius loquitur de virtute principaliter & physice causativa, quam etiam nos ab actione visibili & forma Sacramenti distinguimus.

Dices 1. Si Sacramentis tribuitur vis justifi- 137
candi, homines abstrahuntur a DEO, & fit, ut in spectaculo rei corporeæ acquiescant; hoc impium: ergo. Conf. Est absurdissimum, quod DEUS in justificatione sit alligatus Sacramentis, & rebus materialibus suam virtutem resignaverit. Resp. Neg. Maj. Cum DEUS Sacramentis tantum utatur tanquam instrumentis, quibus natura humana a visibilibus ad invisibilia trahi possit, adeo a DEO non avertunt, ut potius sint præstantissima remedia nostræ ad DEUM conversionis, alioquin nec Verbum incarnari, nec serpens æneus in de-

serto

ſerto ad ſananda vulnera proponi debuiſſet. Ad Conf. dico, Sacramenta potius alligata eſſe DEO; nam DEUS poteſt infundere gratiam ſine Sacramento, at Sacramenta non poſſunt illa cauſare ſine DEO. Porro ſicut faber utens ſerra non reſignat illi virtutem ſuam; ita nec DEUS Sacramentis, dum illis tanquam inſtrumentis utitur; quod autem digne illa ſuſcipientibus debeat conferre gratiam, inde eſt, quia non poteſt non eſſe fidelis in exſequendis ſuis promiſſionibus.

138 Dices 2. Juxta nos ipſos ad effectum Sacramenti ſaltem in adultis requiritur opus operantis e. g. fidei, pœnitentiæ: ergo hoc ipſo Sacramenta non conferunt gratiam ex opere operato. Certe licet Rex aliquis exhibito ſibi chirographo ſuo teneatur præſtare gratias, quas in illo promiſit, nemo ideo dicit, quod ipſe chirographus ſit cauſa gratiæ. Conf. In Sacramento pœnitentiæ gratia producitur per ipſos actus pœnitentis: ergo. Reſp. Diſt. Ant. in adultis requiritur opus operantis per modum diſpoſitionis ex parte ſubjecti, Conc. Ant. per modum virtutis collativæ ex parte Sacramenti, Neg. Ant. Licet ignis ex intrinſeca ſua virtute, & ut ita dicam, ex opere operato lignum comburat, nihilominus in ligno requiruntur aliquæ diſpoſitiones præviæ: pari modo actus boni & meritorii tantum diſponunt hominem ad gratiam, quam Sacramenta ex ſua virtute conferunt; at talem virtutem non habet chirographus, qui in æſtimatione morali nec phyſice cauſat effectum, nec movet voluntatem Regis, ſed eſt ſignum mere rememorativum, ejus promiſſionem applicans. Ad Conf. Diſt. Ant. gratia producitur per ipſos actus pœnitentis, quatenus ſunt pars & materia Sacramenti, Conc. Ant. quatenus ſunt opus operantis, aut aliquod meritum, Neg. Ant. & Cons.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

An Sacramenta novæ legis causent gratiam physice vel moraliter?

Thomistæ, & ex nostris non pauci citantes pro se S. Thomam docent, Sacramenta novæ legis ex opere operato causare gratiam per influxum physicum & realem, quem varie explicant. Præcipua illorum fundamenta sunt. 1. Quia Scriptura, Patres & Concilia passim dicunt, Sacramenta continere, causare gratiam, per Baptismum nos lavari, ex illo homines renasci &c. 2. Quia Sacramenta vocant causam instrumentalem nostræ justificationis, eaque cum causa physica comparant, ac in illorum virtute speciale opus omnipotentiæ Divinæ agnoscunt. 3. Quia potentia physice causandi gratiam magis commendat Sacramentorum dignitatem & præstantiam. Si enim, inquiunt, humanitas Christi adhuc in terra degens per suum contactum physice operata est miracula, & ipse ignis infernalis physice cruciat dæmones, Sacramentis non debet negari influxus physicus in gratiam; cum utique instrumenta Divinæ misericordiæ non debeant esse minoris virtutis quam instrumentum Divinæ justitiæ. 139

Contra est 1. Quamvis istæ phrases continere, causare effectum in rebus philosophicis potius denotent causalitatem physicam; in theologicis tamen & moralibus frequentissime tantum indicant causalitatem moralem. Sic de sanguine, corpore & meritis Christi dicimus, quod per illa mundemur, & justificemur, quod Christus in sanguine suo nos redemerit &c. 2. Sacramenta vocantur causa instrumentalis, sicut juxta S. Thomam 3 part. 140

q. 62

q. 62 a. 5 ad 1 passio Christi ejusque merita instrumentaliter nostram vitam operantur, qui modus utique est opus omnipotentiæ Divinæ; cum nemo alius quam DEUS signa practica & infallibilia gratiæ instituere possit; hinc paritas inter Sacramenta & instrumenta physica solum stat in eo, quod proprie suum effectum causent, an vero physice vel moraliter, Scholasticis disputandum relinquitur. 3. Sicut efficacia meritorum Christi, sic etiam Sacramentorum satis commendatur per efficientiam moralem, præsertim quia Sacramenta non sunt actiones physice, sed tantum moraliter Christo propriæ. Quomodo autem ignis infernalis cruciet dæmones, nemo hactenus satis explicavit.

141 Hinc plures ex nostris cum Schola Subtili tenent, quod Sacramenta causent gratiam moraliter, in quantum videlicet movent DEUM, ut intuitu illorum gratiam in suscipiente physice producat. Quippe Sacramenta sunt actiones moraliter Christi, eo fere modo, quo actiones Legati moraliter sunt actiones Principis: ergo facile potest intelligi, quomodo habeant vim movendi DEUM ad gratiam conferendam Ant. patet, quia homo, dum conficit Sacramentum, id facit in nomine & persona Christi, tanquam illius vicarius & minister, ut dicitur 1 ad Cor 4 v. 1. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi & dispensatores Mysteriorum DEI.* Cons. declaratur. Quamvis Christus non amplius sit in via, adeoque per actiones Sacramentales nihil possit mereri; potest nihilominus per actiones moraliter sibi proprias adhuc aliquid impetrare; nam Sancti jam extra viam in cælo constituti multa nobis impetrant, & actiones morales Christi sufficientem vim impetrandi accipiunt ex illius meritis: ergo Sacramenta ad dandam gratiam possunt movere Deum per modum causæ moralis secundariæ & in-

instrumentalis, licet DEUS principaliter moveatur ab ipsis meritis Christi.

Profecto causa, quæ non amplius physice exi- 142
stit, effectum suum non potest producere physice, sed tantum moraliter; atqui Sacramenta, præsertim quæ consistunt in usu, suum effectum nempe gratiam operantur, cum ipsa physice non amplius existunt, eoquod gratia Sacramentalis non infundatur, nisi quando Sacramentum omnibus suis partibus completum est. e. g. licet in Baptismo posita sit tota ablutio & tota forma prolata usque ad verba Spiritus Sancti, nondum infunditur gratia, sed suspenditur usque ad ultimam vocem, imo syllabam. Jam vero non solum absurdum est dicere, quod tota virtus physice causandi in postrema syllaba resideat, cum tamen omnes partes Sacramenti æqualiter a Christo sint institutæ. Sed neque hoc convenit cum doctrina Patrum, qui passim docent, quod e. g. in Baptismo non solum mundent ac justificent verba, sed etiam ablutio aquæ; atqui hoc non esset verum casu, quo tota ablutio absolveretur ante integram formæ pronuntiationem. Multo minus ejusmodi Baptismus physice posset causare gratias actuales, quæ primum postea conceduntur.

Dices 1. Christus totum redemptionis opus 143
perfectissime jam consummavit in morte: ergo Sacramenta non habent vim a meritis Christi movendi DEUM ad conferendam gratiam. Conf. Qui habet omnem potestatem, nec orat, nec impetrat; atqui Christo ascendenti in cælum data est omnis potestas Matth. 28 v. 18 hinc Ecclesia Christum tantum rogat, ut nostri misereatur. Resp. Conc. Ant. Dist. Conf. Sacramenta non habent vim movendi DEUM per modum meriti, Conc. Cons. per modum impetrationis, Neg. Cons Quamvis Sacramenta a meritis Christi præcedentibus non

amplius accipiant vim merendi, quia meritum eſt quaſi emptio præmii, in qua non attenditur ad priores emptiones; accipiunt tamen vim ab illis impetrandi, in quantum is ſemper facilius exauditur, qui gratior eſt apud perſonam, quam rogat, eique majora obſequia exhibuit. Ad Conf. Diſt. Maj. talis non orat oratione ſtricte tali, Trans. Maj. minus ſtricte tali, quatenus vult, ut per Sacramenta ſua merita applicentur, Neg. Maj. Chriſtus jam in vita potuit petere, ut Sacramenta habeant vim impetrandi gratiam, & S. Joannes Epiſtol. 1 cap. 2. v. 1 eundem jam in cælo regnantem adhuc vocat noſtrum advocatum, S. Paulus vero ad Hebr. 7 v. 25 diſerte ait, quod ſemper vivat ad interpellandum pro nobis. Quod igitur Eccleſia oret, ut noſtri miſereatur, inde eſt, quia illum principaliter conſiderat ut DEUM.

144 Dices 2. Hac ratione Sacramenta ſunt mera conditio, & applicatio meritorum Chriſti; quippe in ſe nullam habent bonitatem propriam, ſed omnem vim trahunt ex meritis Chriſti: ergo non ſunt cauſa moralis gratiæ. Conf. Sacramenta ut actiones moraliter Chriſti ad ſummum ſunt petitio quædam externa, aut complementum petitionis internæ; atqui petitio mere externa nullam habet bonitatem aut vim movendi, ut patet in merito, quod per actum externum non augetur. Reſp. Neg. Ant. Sacramenta non ſolum applicant nobis merita Chriſti, ſed ſimul in ſeipſis habent propriam aliquam bonitatem, in quantum ſunt actiones & petitio quædam Chriſti, quæ proin non ſolum propter merita præcedentia, ſed etiam propter ſeipſam movet; hinc Sacramenta a Patribus dicuntur continere ſanguinem & merita Chriſti, ex illius latere profluxiſſe &c. Ad Conf. Conc. Maj. Diſt. Min. petitio externa nullam habet bonitatem propriam

priam formalem & diſtinctam a petitione interna, Trans. Min. bonitatem objectivam aut formalem cum bonitate petitionis internæ identificatam, Neg. Min. Licet actus externus non addat novum meritum actui interno, tamen placet DEO, & ab ipſo actu interno formaliter meritorius denominatur, ut adeo DEUS per totum complexum moveatur ad dandum præmium. Eodem modo diſcurre de Sacramentis.

Dices 3. Nullus actus creatus poteſt eſſe cauſa moralis reſpectu DEI: ergo. Conf. Si quis hodie rogaret amicum, ut famulo ſuo det decem aureos, ſi ipſi exhibuerit ſchedam ſuo nomine ſubſcriptam, amicus non moveretur ab exhibita ſcheda, aut petitione famuli, ſed a precibus amici, ſuaque promiſſione; atqui ut hæc ſcheda ſe habent Sacramenta, dum a miniſtro ponuntur. Reſp. Diſt Ant. nullus actus creatus reſpectu DEI poteſt eſſe cauſa moralis phyſice movens, Conc. Ant. logice movens, Subdiſt. ita ut moveat ad ipſam volitionem Divinam, Trans. Ant. ut moveat ad ponendum unum objectum propter alterum, Neg. Ant. & Cons. Modo Deus unum objectum velit eſſe propter alterum e. g. gratiam propter Sacramenta, ſatis patet, quomodo hæc ad dandam gratiam moveant, etſi in ipſam volitionem divinam phyſice non influant. Ad Conf. Conc. Maj. Neg. Min. Quia miniſter Sacramenti non agit nomine proprio, ſed nomine & auctoritate Chriſti: ergo Sacramenta non tantum ſunt petitio ſervi, ſed ipſius Chriſti, quæ in ſeipſa habet dignitatem impetrandi, ſicut illam haberet petitio ſervi, ſi ageret tanquam delegatus, & non tantum ut ſervus. 145

Dices 4. Si actiones Sacramentales ponerentur nomine Chriſti, toties Chriſtus doleret, confiteretur &c. quoties homo pœnitens conteritur ac 146

confitetur, & in Sacramento Matrimonii non tam sponsi, quam ipse Christus contraheret; hoc absurdum: ergo. Conf Christus per actiones Sacramentales colitur: ergo Christo non possunt esse moraliter propriæ; nemo enim se ipsum colit. Resp. Dist Maj. Si actiones Sacramentales sub omni ratione ponerentur nomine Christi, Conc. Maj secus, Neg Maj. Sicut quando Missa legitur ex intentione stipendii, sub hac ratione sacrificium non fit nomine Christi; sic Sacramenta nomine Christi solum ponuntur, quatenus sunt ceremoniæ sacræ per se ordinatæ ad cultum DEI & conferendam gratiam e. g. matrimonium, quatenus est symbolum conjunctionis Verbi Divini cum humanitate, & Christi cum Ecclesia, dolor vero & confessio ne quidem ponuntur a ministro, sed a suscipiente Sacramentum. Ad Conf. Dist. Ant. Christus per actiones Sacramentales colitur ut DEUS, Conc Ant. ut homo, Subdist. quatenus sunt a ministro volente obedire institutioni Christi, Conc. Ant. quatenus sunt ab illo ut gerente personam Christi, Neg. Ant & Cons Legatus dum nomine sui principis colit e. g Papam, simul colit suum principem, quatenus ipsius mandata facit.

147 Dices 5 Si Sacramenta gratiam non causant physice, minister per se & voces suas proprie non absolvit, ordinat, baptizat; sicut non vere baptizaret, si non ipsemet physice ablueret: ergo. Conf. Totus globus dicitur tangere terram, licet illam tantum extima pars attingat: ergo totum Sacramentum causat physice gratiam, modo id fiat per ultimam ejus partem; alias non influeret nobiliore modo in gratiam, quam signa magica in suos effectus. Resp. Neg. Ant. Ut minister proprie absolvat, ordinet, baptizet &c. sufficit, quod nomine Christi conficiat Sacramentum, per quod & propter

propter quod DEUS conferat gratiam per Sacramentum significatam. Aliud est de ablutione in Baptismo, quia verbum baptizo juxta communem modum loquendi significat actionem physice distinctam a prolatione verborum ac physice a baptizante positam. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Ab uno modo loquendi non valet paritas ad alterum, & Scriptura & Patres causalitatem gratiæ non parti, sed toti Sacramento tribuunt. Cæterum signa magica solum influunt fallibiliter ex pacto cum dæmone in effectus mere naturales & generi humano noxios, neque id ex propria virtute; hinc videntur esse mera conditio: at Sacramenta ex propria virtute & promissione Divina causant effectus supernaturales præstantissimos, ferme sicut passio Christi.

QUÆSTIO IV.

Qualem gratiam ex opere operato conferant Sacramenta novæ legis?

Quod Sacramenta novæ legis ex opere operato 148
conferant gratiam sanctificantem, per quam homo formaliter & intrinsece constituitur justus, filius DEI adoptivus, & hæres, satis patet ex dictis. 2. Pariter ex Concilio Tridentino sess. 6 cap. 7 constat, quod conferant cum gratia sanctificante habitus virtutum infusos; cum enim isti sint quasi proprietates illius, connaturale est, ut quoties datur gratia sanctificans, etiam dentur virtutes infusæ. 3. Quod denique etiam causent gratias actuales docet communissima cum S. Thoma 3 part q. 62 art. 2 in corp. Nam Christus Sacramenta instituit, & voluit esse signa practica gratiæ in hunc finem,

ut vi gratiæ Sacramentalis certæ actiones laudabiliter & meritorie peragantur, certæ difficultates vincantur, certa peccata vitentur &c. ergo cum gratia ſanctificans & habitus infuſi hominem proxime non diſponant ad operandum, niſi mediantibus gratiis actualibus, Deus vi ſacramentorum homini ſuo tempore etiam confert gratias actuales ad finem Sacramenti neceſſarias.

149 Ex quibus ulterius colligitur, quod gratia ſacramentalis non ſolum differat ab illa, quæ extra Sacramentum e. g ob contritionem perfectam confertur, ſed etiam gratia uni Sacramento propria a gratia propria alteri Sacramento. Quippe effectus Sacramenti habet ſe per modum medii reſpectu finis: ergo gratia ejusdem prorſus rationis non videtur ſufficere ad finem plurium ſacramentorum, cum finis cujuslibet ſit diverſus. Sic finis Baptismi eſt, ut homo in Chriſto renatus vivat vitam novam & ſpiritualem doctrinæ & exemplis Chriſti conformem. Finis Confirmationis, ut fidem in Baptismo ſuſceptam fortiter & conſtanter tueamur. Finis Euchariſtiæ, ut nutriamur in ſpiritu, & augeatur in nobis devotio, & fervor charitatis. Finis Pœnitentiæ, ut a peccatis purgati non relabamur ad ſordes priſtinas. Finis Extremæ Unctionis, ut in mortis articulo vincamus tentationes dæmonis. Finis Ordinum, ut ſancta ſancte tractemus, & munia Eccleſiaſtica rite obeamus. Finis Matrimonii, ut conjuges onera matrimonii patienter ferant, & ſobolem pie ac chriſtiane educent.

150 Ut hanc diverſitatem gratiæ ſacramentalis exſplicent, quidam cum Capreolo, & Paludano confugiunt ad qualitatem quamdam ex natura ſua ſpecie diſtinctam a gratia non ſacramentali, eamque dicunt nihil aliud eſſe, quam aliquem ornatum animæ. Alii voluere pro diverſitate ſacramentorum

rum

rum ultra gratiam sanctificantem infundi specialem habitum, ordinatum ad obtinendos illos actus, ad quos Sacramentum institutum est. Alii denique longe communius cum S. Thoma loc. supra cit. docent, gratiam sacramentalem a non sacramentali, & gratiam unius Sacramenti a gratia alterius non aliter differre, quam per hoc, quod annexum sibi habeat jus ad certas quasdam gratias actuales ad finem cujusque Sacramenti obtinendum necessarias vel opportunas. Ratio est, quia ex una parte nec in Scriptura nec in SS. Patribus reperitur ullum vestigium alicujus qualitatis speciei diversæ, aut alicujus habitus superadditi: ex altera parte ad obtinendum finem cuique Sacramento proprium abunde sufficiunt diversæ gratiæ actuales, hoc est, illustrationes & inspirationes Divinæ, quibus homo interius illuminatur, excitatur, & movetur ad exercendos actus supernaturales, per quos finem cujusque Sacramenti proprium assequatur. Ad quod melius intelligendum

Nota 1. Quamvis gratiæ habituales sacramentales 151
& extrasacramentales non differant, si accipiantur specificative, & præcise secundum se, differunt tamen, si accipiantur reduplicative, prout sunt collatæ in his circumstantiis, & sibi annexum habent jus ad speciales quasdam gratias actuales. 2. Jus hoc non est denominatio mere extrinseca, sed partim fundatur in ipsa entitate gratiæ sanctificantis, quæ ex natura sua saltem in genere & remote exigit auxilia sufficientia ad implendas omnes obligationes; partim in benevola voluntate, qua DEUS se obstrinxit homini Sacramenta digne suscipienti, auxilia ad finem Sacramenti necessaria aut opportuna dare. 3. Hinc jus ad ista auxilia non obtinetur, si Sacramentum suscipitur indigne, & amittitur, quando homo per peccatum mortale gratia in Sacramento accepta excidit. 4. Quod ipsa Sacra-

menta ſpecie Theologica inter ſe differant, non provenit ex gratia ſanctificante, ſed quia cauſant diverſas gratias actuales, quæ quia conſiſtunt in actibus intellectus & voluntatis, eſſentialiter finem cuique Sacramento proprium reſpiciunt, adeoque intrinſece differunt.

152 Neque dicas. Si eadem gratia ſanctificans, quæ confertur per Sacramenta, poteſt etiam obtineri ſine Sacramento, fruſtra fuerunt inſtituta Sacramenta. Nam 1 per quodlibet Sacramentum cæteris paribus obtinetur major gratia, quia præter gratiam ex opere operantis confertur gratia ex opere operato. 2. Deus intuitu gratiæ in Sacramento acceptæ dat auxilia actualia, copioſiora, quæ a gratia extra-ſacramentali determinate non exiguntur, præſertim ſi in ſuſceptione Sacramenti nulla nova contrahitur obligatio, ut fit in ſacra Communione. 3. Ad gratiam extra Sacramentum acquirendam requiritur diſpoſitio magis ardua, nempe contritio perfecta, ad fructuoſum autem Baptismum & Pœnitentiam ſufficit contritio imperfecta. Imo Baptismus etiam prodeſt illis, qui uſu rationis deſtituti ſunt; qui vero eodem pollent, juſtificationem non acquirunt ſine voto Baptismi, ut alibi jam adverti.

153 Cæterum gratia ſacramentalis dividitur in primam & ſecundam. Prima dicitur, quæ confertur homini in peccato mortali actuali vel originali conſtituto, eumque ad ſtatum ſanctitatis & juſtitiæ transfert, uti fit per Baptismum & Pœnitentiam, quæ Sacramenta mortuorum vocantur, quia ex primaria ſua inſtitutione primam gratiam conferunt. Gratia ſecunda vocatur, quæ confertur homini jam juſtificato, eumque ſanctiorem reddit, ac priorem gratiam auget. Confertur per reliqua quinque Sacramenta, quæ ideo appellantur Sacramenta vivorum; nam ut illorum finis indicat ex pri-

primæva sui institutione vitam spiritualem jam præsupponunt, & licite suscipi nequeunt ab eo, qui scit se versari in statu peccati mortalis. Imo ad percipiendam Eucharistiam non sufficit præmittere contritionem perfectam, sed requiritur peccatorum mortalium confessio, nisi urgeat necessitas, & Confessarius desit, ut statuitur in Concilio Tridentino sess. 13 cap. 7.

Dixi. Sacramenta mortuorum conferre gratiam 154
primam ex primaria sui institutione; non enim nego, quod per accidens etiam conferant gratiam secundam, quando suscipiuntur ab homine jam aliunde e. g. per contritionem justificato; quippe gratia præexistens non est impedimentum augmenti gratiæ, & plus est conferre primam, quam secundam. An autem vicissim Sacramenta vivorum quandoque per accidens conferre valeant gratiam primam, quæst. seq. dicetur. In eo facile conveniunt auctores, quod, si aliquis cum Peccato gravi invincibiliter ignorato sine prævio dolore aliquod ex Sacramentis vivorum suscipiat, Sacramentum cum hac dispositione susceptum, sit quidem validum, at simul informe; validum, quia adsunt omnia constitutiva Sacramenti; informe, quia licet Sacramentum non suscipiatur sacrilege, tamen etiam non causat formam seu gratiam, eoquod in hac providentia homini adulto non remittatur peccatum mortale, adeoque non infundatur gratia sanctificans, nisi prius per contritionem saltem imperfectam peccatum commissum fuerit retractatum.

QUÆSTIO. V.

An Sacramenta vivorum aliquando per accidens conferant primam gratiam?

155 Variis modis poteſt contingere, ut aliquis conſtitutus in peccato mortali bona fide ſuſcipiat Sacramentum vivorum, uti 1, ſi invincibiliter ignorat, aut non advertit ad obligationem procurandi ſtatum gratiæ per contritionem perfectam', aut confeſſionem. 2. Si mentis infirmitate obrutus non poſſit ſtatum gratiæ procurare, & interea e. g extreme inungatur. 3. Si invincibiliter putet, perfecte ſe contritum, aut rite confeſſum, & abſolutum eſſe, cum non ſit. 4. Si invincibiliter exiſtimet ad Sacramenti ſuſceptionem non aliam requiri diſpoſitionem, quam attritionem. Quæritur jam, utrum ſiquis in tali caſu cum ſola attritione ſupernaturali bona fide Sacramentum vivorum ſuſcipit, per illud remiſſionem ſuorum peccatorum accipiat, eoquod attritio per accidens ratione invincibilis ignorantiæ ſit ſufficiens diſpoſitio ad primam gratiam, & remiſſionem peccatorum ex opere operato, ſicut ad iſta in Sacramentis mortuorum per ſe ſufficienter diſponit.

156 De Extrema Unctione affirmat communiſſima cum S. Thoma in 4 diſt. 23 q. 1 art. 2 quæſtiunc. 2; nam per illam, quando ab attrito bona fide ſuſcipitur, remittuntur peccata mortalia; atqui in hac providentia nunquam remittitur peccatum mortale, niſi per infuſionem gratiæ: ergo. Major prob. ex ipſa forma hujus Sacramenti, in qua generaliter dicitur: *Indulgeat tibi Deus quidquid e. g. per*

per visum deliquisti. 2 Ex verbis S. Jacobi, qui cap. 5 v 15 effectus hujus Sacramenti ita describit: *Oratio fidei sublevabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* 3. Ex Concilio Tridentino seff. 14 cap 2, ubi se ad verba S. Jacobi referens docet, iis explicari rem seu effectum Sacramenti, tum suam quoque explicationem subjungens ait: *Res etenim hæc gratia est Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, si quæ sunt adhuc expianda, peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleviat . . . & sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur.*

Quod reliqua Sacramenta vivorum attinet, imprimis de S. Eucharistia SS. Patres apud Suarium tom. 3 in 3 part dist 7 sect. 2, passim docent, illam abstergere sorditièm, abluere & extinguere peccata, esse panem vivificantem. Sic S. Damascenus lib. de fide cap. 14 ait: *Corpus Domini in hoc Sacramento habere vim, ut omnem immunditiam & spurcitiam abstergat.* S. Cyprianus lib. 2 Epistol. 3, hoc Sacramento fieri, *ut mœstum pectus ac triste, quod prius peccatis augentibus premebatur, Divinæ indulgentiæ lætitia resolvatur.* S Justinus Martyr in respons. 44 ad gentiles, quod *Christus esu sanctæ carnis suæ omnia peccata impiorum scelestorumque hominum expiet.* Cujus rei aliquod fundamentum præbet ipsa Scriptura, & forma Sacramenti Eucharistiæ, dum in consecratione calicis Matth. 26 v. 28 dicitur: *Qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum.* Conf. Sacramentum Eucharistiæ est omnium excellentissimum, *in quo*, ut Tridentinum seff. 13 cap. 2 ait, *Christus divitias sui amoris erga nos velut effudit:* ergo merito omnis virtus illi tribuitur, quæ non pugnat cum ejus institutione & revelatis, simulque fundamentum in Patribus habet. 157

De

158 De Confirmatione, Ordine & Matrimonio non habentur quidem tanta Patrum testimonia, interim hæc ipsa, quæ pro sacra Eucharistia allata sunt, præbent fundamentum pro omnibus Sacramentis vivorum i. arguendi: Juxta Concilium Tridentinum sess. 6 can. 6 de Sacramentis in genere omnia Sacramenta novæ legis causant gratiam non ponentibus obicem; atqui peccator bona fide, & cum generali attritione de omnibus suis peccatis accedens ad Sacramenta vivorum non ponit obicem gratiæ: ergo. Min. prob. Talis peccator imprimis non ponit obicem ratione peccati actualis, quia ab isto excusatur per bonam fidem, dein non ponit obicem ratione peccati habitualis; quia peccatum habituale generali attritione retractatum non est obex gratiæ etiam in Sacramentis vivorum, ut patet ex dictis de S. Eucharistia & Extrema Unctione. Conf. Quia hæc doctrina magis commendat bonitatem DEI, & virtutem Sacramentorum, magisque patrocinatur fragilitati humanæ.

Objectiones.

159 Obj. 1. Textus, ex quibus probavimus, quod Extrema Unctio per accidens conferat primam gratiam, possunt intelligi. 1. De remissione peccatorum venialium, vel 2 mortalium quoad residuum reatum pœnæ, vel 3 plus ex illis non probatur, quam quod peccata mortalia quoad culpam remittantur mediate, in quantum per Extremam Unctionem impetrantur gratiæ actuales ad eliciendam perfectam contritionem. Resp Neg. Ant. Nam 1 textus loquuntur indefinite non distinguendo inter peccata mortalia & venialia; propositiones autem indefinitæ in materia dogmatica æquivalent universalibus. 2. S. Jacobus & Tridentinum

num loc. cit. loquuntur conditionate: *si in peccatis sit, si quæ adhuc expianda* Jam vero nihil frequentius est, quam ut ægroti adhuc sint rei pœnæ temporalis; conditiones autem plerumque & ordinarie contingentes non solent exprimi, & per remissionem peccatorum, nisi aliud ex circumstantiis colligatur, principaliter intelligitur remissio culpæ, ut patet in absolutione Sacramentali. 3. Remissio peccatorum mortalium est effectus infallibilis Extremæ Unctionis, utpote fundatus in promissione Christi a S. Jacobo promulgata. Quis autem dicat, homini per hoc Sacramentum infallibiliter concedi gratias actuales ad perfectam contritionem? cum jus ad gratias actuales partialiter fundetur in ipsa gratia sanctificante, quæ juxta adversarios per Extremam Unctionem peccatori tantum attrito non confertur.

Dices Sanitas corporis non est effectus infalli- 160
bilis Extremæ Unctionis: ergo neque remissio peccatorum, quæ illi tantum promittitur conditionate: *Si in peccatis fuerit.* Conf. Quia alias Extrema Unctio foret Sacramentum mortuorum, cum tamen sit instituta per modum medicinæ spiritualis ad pellendas morbi reliquias; medicina autem mortuo nunquam vitam conferat. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Conditio: *Si in peccatis fuerit*, est necessaria, & antequam remittantur, semper purificatur: ergo non facit, ut promissio sit conditionata. Quod vero salus corporis tantum conditionate promittatur, discimus ab experientia; & ex Tridentino, dum ait, sanitatem corporis obtineri *interdum, ubi saluti animæ expedierit,* nempe juxta consilium Divinæ providentiæ. Ad Conf Neg sequelam Sacramenta mortuorum tantum dicuntur illa, quæ ex fine suo principali primam gratiam conferunt; sed Extrema Unctio ex fine

fine suo primario tantum abstergit reliquias peccati, id est, pœnam temporalem, animi teporem, debilitatem &c. quo non obstante supernaturaliter, & ex fine suo secundario per accidens non nunquam ipsam vitam spiritualem conferre potest, licet simile quid non valeat medicina naturalis & corporalis.

161 Obj. 2. Ex testimoniis SS. Patrum tantum probatur, quod per Eucharistiam remittantur peccata venialia, mortalium pœnæ & reliquiæ, ac reatus culpæ mediate, item quod Eucharistia nos præservet a peccatis futuris, in quantum nobis, saltem prout est sacrificium, impetrat gratias actuales ad superandas tentationes. Resp. Neg. Ant Nam. 1. SS. Patres expresse loquuntur de Eucharistia, ut est Sacramentum & cibus, ac de omni immunditia, omnibusque peccatis, ut in terminis habet S. Justinus num. 157 laudatus. 2. Remissionem peccatorum adscribunt immediate ipsi Sacramento, neque ulla ratione potest probari, quod Sacramentum ex opere operato causet gratias actuales, ubi & quando subjectum non est satis dispositum ad gratiam sanctificantem. 3. Hinc in nostro sensu Patres intellexit longe communior Theologorum, & S. Thomas in 4 dist. 9 q. 1 art. 3 de Eucharistia ita scribit: *Si aliquis ad corpus Christi devote accedat aliquo peccato mortali in ipso manente, quod ejus cognitionem prætерfugiat, non peccat, imo magis ex vi Sacramenti remissionem consequitur.*

162 Dices. Scriptura Sacramentis vivorum nullibi tribuit virtutem causandi primam gratiam: ergo. Conf. Quando Tridentinum sess. 13 cap. 2 describit effectus Eucharistiæ, nullam facit mentionem de remissione peccatorum mortalium, sicut tamen illius expresse meminit de Extrema Unctione. Imo sess. 13 can. 5 anathema dicit illi, *Qui dixerit vel præcipuum fructum hujus Sacramenti esse remissionem pecca-*

peccatorum, vel ex eo non alios effectus provenire Resp. Trans. Ant. Neg. Conf. Quamvis Scriptura hanc virtutem Sacramentis vivorum determinate non adscribat, nullibi tamen illam negat; quo modo igitur institutio Christi intelligenda sit, ex Patribus intelligere debemus. Ad Conf. Cum Tridentinum descripsit Sacramentum Eucharistiæ, locutum est de eo, quod fit per se, neque necessarium erat, ut ubique etiam effectus secundarios exprimeret. Interim effectum, de quo agimus, satis indicavit in definitione generali cit. num. 158. Porro sess. 13 redarguit hæreticos, qui volebant solam remissionem peccatorum esse fructum Eucharistiæ, adeoque rursus loquitur de fructu primario, & per se intento.

Obj. 3. Qui accedit ad Eucharistiam cum sola 163
attritione de peccato gravi nondum remisso, non est dispositus; hinc Catechismus Romanus part. 2 c. 4 §. 40 describens effectus Eucharistiæ ait: *Quemadmodum mortuis corporibus alimentum naturale nihil prodest, ita constare, quod etiam animæ, quæ non est in statu gratiæ, nihil prosint sacra Mysteria.* Conf. Juxta nos etiam justificaretur, qui haberet peccatum originale, & personale mortale simul, modo Eucharistiam sumat cum attritione, & ignorantia invincibili obligationis suscipiendi Baptismum; hoc certo falsum: ergo. Resp. Dist. Ant. Talis non est sufficienter dispositus, si sciat se tantum esse attritum, & obligatum ad statum gratiæ prius comparandum, Conc. Ant. si invincibiliter hæc ignoret, Subdist. non est satis dispositus dispositione per se requisita, Conc. Ant. per accidens sufficiente, Neg. Ant. & Cons. Catechismus Romanus debet intelligi de dispositione per se requisita; alias non posset dicere, quod constet, illam ad fructum esse necessariam. Porro qui scit statum gratiæ per se requiri, & illum, dum potest, non procurat, utique nullum

fructum

fructum percipit, quia ita accedendo Sacramento gravem infert irreverentiam. Ad Conf. Neg. Maj. Cum enim Baptismus sit janua reliquorum sacramentorum, nullum sine Baptismo utiliter potest percipi.

164 Dices. Concilia & Patres nullibi distinguunt inter statum gratiæ, & dispositionem sufficientem ad fructum Eucharistiæ, sed illum simpliciter ad dignam perceptionem requirunt. Sic S. Ambrosius lib. 6 in Luc. cap. 9 universaliter ait: *Nemo cibum accipit Christi, nisi fuerit antea sanatus.* Conf. S. Paulus 1 ad Cor. 11 v. 28 & Ecclesia ante perceptionem Eucharistiæ præcipit ipsam confessionem peccatorum mortalium; atqui hujus unica ratio est, ne peccator propter incertitudinem contritionis privetur fructu Sacramenti: ergo. Resp. Dist. Ant. Concilia & Patres nullibi inter hæc duo distinguunt explicite, Conc. Ant. implicite, Neg. Ant. Quia Patres ex una parte ad licitam sumptionem Eucharistiæ requirunt statum gratiæ; ex altera vero parte dicunt per ipsam Eucharistiam peccata remitti, satis indicant, primum quidem per se esse necessarium, posse tamen per accidens sufficere bonam fidem cum attritione conjunctam. Sane ipse S. Ambrosius de Benedict. Patriarch. cap. 9 ait: *Panis hic remissio peccatorum est.* Ad Conf. Conc Maj. Neg. Min. Alias confessio etiam deberet esse præscripta ante reliqua vivorum Sacramenta. Ratio igitur præcepti est ipsa dignitas Eucharistiæ; hinc licet aliquis per revelationem certus esset, quod elicuerit contritionem perfectam, nihilominus ex præcepto Ecclesiæ ante sumptionem Eucharistiæ deberet peccata gravia necdum exposita confiteri.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

Quantam gratiam ex opere operato conferant Sacramenta novæ legis?

Sicut nemo facile audebit determinare, quantum gradum gratiæ ſanctificantis quodlibet Sacramentum cauſare poſſit; ita prorſus incertum eſt, an Sacramenta diverſæ ſpeciei cæteris paribus conferant gratias æquales vel inæquales. Quamquam enim ex definitione Concilii Tridentini ſeſſ. 7 can. 3 de Sacramentis in genere conſtet, non omnia eſſe paria, & unum altero dignius; nihilominus res tota pendet ab inſtitutione Chriſti, qui pro arbitrio Sacramentis ſpecie diverſis merita ſua æqualiter vel inæqualiter applicare potuit, quin de ejus voluntate ex Scriptura, Patribus, Conciliis vel ipſa natura rei aliquid ſolide colligi queat. Hinc inter Auctores, qui Sacramentis diverſis diverſas gratias tribuunt, tanta eſt diverſitas, dum aliqui cæteris præferunt Euchariſtiam propter dignitatem, alii Ordinem propter excellentiam miniſterii, alii Baptiſmum propter neceſſitatem &c 165

De Sacramentis ejusdem ſpeciei cum S. Thoma 3 part. q. 69 art. 8 in corp. contra Paludanum, Cajetanum, aliosque paucos communiſſima tenet, quod æqualiter diſpoſitis ex opere operato conferant gratiam ſanctificantem æqualem, inæqualiter vero diſpoſitis inæqualem. Ita videtur docere Tridentinum ſeſſ. 6 cap. 7, ubi ait, quod homines per Sacramenta juſtificentur *unusquisque ſecundum menſuram, quam Spiritus Sanctus partitur ſingulis, prout vult, & ſecundum propriam cujusque diſpoſitionem, & cooperationem.* In quo loco quia Concilium agit de cauſa juſtificationis, & pro cauſa inſtrumentali 166

assignat Baptismum, debet intelligi de gratia, quæ confertur intuitu ipsius Sacramenti, & non ex opere operantis. Quando autem dicit mensuram gratiæ a Spiritu Sancto singulis dari, *prout vult*, id accipiendum est de voluntate antecedente, qua pro qualibet dispositione certam mensuram libere determinavit, ferme sicut certam mensuram præmii statuit pro quolibet merito, quo tamen non obstante præmium semper juxta mensuram meriti confertur.

167 Ratio ulterior communis doctrinæ est, quia Sacramenta causant gratiam ad modum causarum naturalium necessariarum; atqui causæ naturales & necessariæ in subjectis eodem modo dispositis producunt effectum æqualem, in subjectis vero inæqualiter dispositis inæqualem, ut patet in duobus ignibus, quorum unus est applicatus ligno humido, alter sicco. Porro sicut major vel minor inflammatio ligni propterea effective non est ab ipso ligno ejusque dispositione, sed ab igne: ita in suscipiente major gratia effective est a Sacramento, non autem a majore dispositione; nam licet hæc dispositio in justis possit esse meritoria, & ideo illi augmentum aliquod gratiæ ex opere operantis correspondeat, simul tamen est dispositio, ut ipsum Sacramentum majorem gratiam producat, ita exigente suavi providentia DEI, ut homines alliciantur ad Sacramenta majori cum devotione recipienda.

168 Hactenus dicta licet videantur etiam procedere de gratiis actualibus, quas per Sacramenta causari dixi, pro his tamen tam solidum fundamentum non habetur; tum quia Tridentinum loc. cit. loquitur de gratia habituali, tum quia gratiæ actuales primum dantur suo tempore, & sub conditione, si interea non amittatur gratia sanctificans. Imo non omnes gratiæ actuales, quas Deus intuitu Sacra-

cra-

cramenti confert, sunt effectus ita infallibiliter promissus sicut gratia sanctificans. Accedit, quod non possimus satis distinguere gratias actuales Sacramentales a non Sacramentalibus. Sic licet ex duobus infantibus, qui cum æquali dispositione negativa baptizati sunt, unus cum tempore clarioribus illustrationibus appareat instructus; ideo non constat, an istæ illustrationes sint Sacramentales, an ex speciali DEI favore sine intuitu Sacramenti concessæ, vel omnino tantum naturales, ex meliori ingenii dispositione ortæ.

Cæterum Dispositio, ad quam Deus gratiam per Sacramenta conferendam mensurat, potissimum est actualis consistens in actibus spei, charitatis, pœnitentiæ &c. quibus homo ad suscipiendum religiosius Sacramentum se præparat. Nam Tridentinum supra laudatum ait, gratiam conferri secundum propriam cujusque dispositionem & cooperationem, unde Arriaga infert, ejusmodi actus debere moraliter influere in susceptionem Sacramenti, neque sufficere, si pluribus jam diebus præcesserint. An similiter fructus sacramentorum crescat juxta majorem dispositionem habitualem, videtur dependere ab eo, utrum & quomodo cæteris paribus intensior gratia sanctificans augeat dignitatem meriti, & operis operantis; de qua re dixi in Tract. de Incarnat. a num. 382. Id saltem admittendum videtur, quod Sacramenta recepta ab homine justo plus gratiæ ex opere operato conferant, quam recepta a peccatore, eoquod gratia sanctificans dignificet dispositionem actualem hominis justi sicut ad meritum, sic etiam ad recipiendam majorem gratiam vi Sacramenti 169

Addit Cajetanus, gratiam sacramentalem etiam mensurari secundum merita ministri, parentum &c. verum licet suscipienti possint impetrare auxilia gratiæ actualis, quibus se ad recipiendum Sacra- 170

 men-

mentum melius disponat, falsum tamen est, quod aliquis gratiæ sacramentalis gradus merito parentum vel ministrorum immediate respondeat; quippe can. si inter bonos 25 Dist. 4 de consecrat. expresse habetur, Sacramenti gratiam non augeri ex meliori dispositione ministri, cum non conferatur ob meritum ministri, sed Christi. Hinc etiam Apostolus 1 ad Cor. 1 v. 12 reprehendit eos, qui de majori sanctitate ministrorum, a quibus baptizati sunt, gloriantes dicebant: *Ego quidem sum Pauli, ego Apollo, ego vero Zephæ,* iisdemque occurrens v. 13 ait: *Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis?* quasi diceret, Baptismum esse ejusdem valoris & efficaciæ, sive a Petro, sive a Paulo fuerit collatus, eoquod totus illius effectus tantum detur ob merita Christi.

171 Dices 1. Deus æquales homines prædestinat ad inæqualem gloriam: ergo Sacramenta æqualiter dispositis non semper conferunt æqualem gratiam. Conf. Parvuli, qui post Baptismum ante usum rationis moriuntur, occupabunt sedes rebellium Angelorum; sed istæ fuerunt inæquales: ergo. Resp. Trans. Ant. Neg. Cons. Quos Deus prædestinat ad majorem gloriam, etiam prædestinat ad majorem dispositionem & majora merita, quem in finem illis etiam concedit tales gratias actuales, quibus excellentiorem statum gratiæ sanctificantis sibi comparant; neque enim auxilia actualia, & gratia extrasacramentalis datur juxta mensuram a Christo in institutione sacramentorum taxatam. Ad Conf. Dist. Maj. Parvuli occupabunt sedes illas quoad substantiam gloriæ, Conc. Maj. quoad diversos illius gradus, Neg. Maj. Imo etiam simpliciter concessa majore nihil probaretur, quia non omnes sedes Angelorum fuerunt inæquales, & excellentiores occupari possent ab adultis, quin B. Virgo sublimiorem habet, quam omnes Angeli.

Dices

Dices 2. Si duo æqualiter diſpoſiti accedunt ad 17
Baptiſmum vel confeſſionem, quorum unus habet
mille peccata, alter tantum decem, uterque libe-
ratur ab omnibus : ergo qui habet plura peccata
plus gratiæ accipit. Conf. Baptiſmus quandoque
confert ſalutem corporis : ergo. Reſp Conc. Ant.
Diſt. Conſ. accipit plus gratiæ, hoc eſt, remittuntur
ipſi plura peccata, Conc. Cons. infunditur ipſi ma-
jor gratia ſanctificans, Neg Cons. Plura peccata
reddunt quidem recuperationem gratiæ difficilio-
rem, in quantum Deus difficilius inclinatur, ut det
gratias efficaces ad pœnitendum; attamen in ratione
indiſpoſitionis nihil variant, quia quodlibet pecca-
tum mortale totaliter avertit a Deo, & quantam-
cunque gratiam deſtruit ; econtra non quodlibet
meritum totaliter conjungit cum Deo, & plura ma-
gis diſponunt ad gratiam. Retorſio eſt in caſu, quo
iſti duo peccatores juſtificarentur ex opere operan-
tis per æqualem contritionem. Ad Conf. Conc.
Ant. Neg. Cons. Sanitas corporis non eſt effectus
ordinarius Baptiſmi, neque ex inſtitutione Chriſti,
ſed tantum quandoque ex ſpeciali favore baptizatis
conceſſa eſt.

Dices 3. Saltem inæqualiter diſpoſitis Sacra- 173
menta non conferunt gratias inæquales. Prob. 1.
Quia Sacramenta habent virtutem cauſandi ex me-
ritis Chriſti, quæ ſunt æqualia. 2. Quia ſolum
conferunt illam gratiam, quam ſignificant. 3 Quia
ubi nullus eſt obex, ſemper operantur, quantum
poſſunt. Reſp. Neg. Ant. Nam 1. Chriſtus ob
infinita merita ſua potuiſſet quidem ita inſtituere
Sacramenta, ut omnibus æqualem gratiam confer-
rent, imo etiam ut quandoque minus diſpoſitis da-
retur major; at defacto & juxta ordinariam pro-
videntiam id non voluit, ut diſcimus ex Concilio
Tridentino, & ratione. 2. Cum Sacramenta ſint

 ſigna

ſigna practica, ſignificant gratiam commenſuratam diſpoſitioni ſuſcipientis. 3. Quamvis in ſubjectis inæqualiter diſpoſitis non detur obex reſpectu gratiæ ſimpliciter, datur tamen obex ſaltem negativus reſpectu gratiæ majoris & intenſionis in eo, qui minus eſt diſpoſitus, ferme ſicut in ligno non nihil humido datur obex ad introducendum ſtatim & tam intenſum calorem, prout fit in ligno ſicco.

QUÆSTIO VII.

An Sacramenta valide, ſed ficte ſuſcepta reviviſcant?

174 Cum Sacramenta ſint ſigna practica, & in ordine ſupernaturali connaturaliter, id eſt, inſtar cauſarum naturalium operentur, gratiam habitualem in ſubjecto rite diſpoſito ſtatim producunt in illo inſtanti, in quo perfecte complentur; quia autem ſubjectum ſæpe non eſt rite diſpoſitum, Sacramenta etſi valide ſuſcepta manent informia & infructuoſa, quo caſu dicuntur ficte ſuſcepta. Hinc fictio in hoc caſu non ſignificat ſimulationem, qui enim ſimularet, ſe ſuſcipere Sacramentum, quod reipſa non vellet, illud ne quidem valide ſuſciperet. Sed per fictionem idem in præſenti intelligitur, ac obex gratiæ, ſeu indignitas ac indiſpoſitio ſuſcipientis, in quo ſenſu fictio dividitur in materialem ſeu negativam & formalem ſeu poſitivam. Fictio formalis datur, quando quis Sacramentum ſuſcipit advertens, ſe carere debita diſpoſitione, quod per ſe ſine culpa gravi fieri nequit. Fictio materialis datur, quando ſuſcipiens Sacramentum inculpabiliter neſcit, ſe non

non esse rite dispositum, aut perfectiorem disposi-tionem requiri.

Quæritur jam, utrum Sacramenta valide sed ficte suscepta perpetuo maneant infructuosa? an vero gratiam, quam ob defectum dispositionis in suscipiente non poterant causare, quando existebant, ex opere operato saltem conferant postea, quando obex removetur, & ponitur dispositio requisita v. g. retractatio peccati, quæ in Baptismo ab adulto peccatore suscepto omissa est. Occasionem huic quæstioni præbuit S. Augustinus libris de Baptismo contra Donatistas. Cum enim Novatores illi moleste ferrent, se compellari hæreticos, nec tamen eos, qui a parte Donati ad Catholicos transibant, ab his rebaptizari cernerent, hoc orthodoxis dilema posuere, quod refert S Augustinus lib. 1 de Baptis cap. 11. Vel per Baptismum a nobis collatum remittuntur peccata, & tribuitur Spiritus Sanctus, vel non? si prius; ergo penes nos est vera Ecclesia, in qua sola peccata remitti possunt: si posterius: ergo penes nos non est verus Baptismus, ideoque a vobis deberent rebaptizari, qui a parte Donati ad vos transeunt. 175

Hanc objectionem inanem esse ostendit S. Doctor in exemplo hominis adulti, qui in vera Christi Ecclesia Baptismum ficte suscipit; hic enim Spiritum Sanctum & gratiam justificantem non accipit, quin ideo Baptismus debeat repeti: ergo, inferebat, etiam Baptismus ab hæreticis collatus potest esse validus, attamen infructuosus, fit tamen fructuosus, cum infructuose baptizatus ad fidem veram convertitur. Verba ipsius sunt: *Cum se correxerit, & ad Ecclesiæ societatem pervenerit, non iterum baptizandus est, quia ipsa reconciliatione & pace præstatur, ut ad remissionem peccatorum ejus in unitate prodesse jam incipiat Sacramentum, quod acceptum in schismate prodesse non poterat.* Idem repetit lib. 3 176

cap. 13, ubi ait: *Tunc incipit valere idem Baptismus ad dimittenda peccata, cum ad Ecclesiæ pacem venerit, ita, ut propter pacem operetur salutem*, quemadmodum paulo post loquitur. Denique lib. 6. cap. 5 ita habet: *Sub eodem baptismate, quod acceperat, ejus peccata dimittuntur propter vinculum charitatis, sub quo Baptismate peccata ejus tenebantur propter sacrilegium divisionis.*

177 Ex citatis S. Augustini locis omnes ferme Theologi cum S. Thoma 3 part. q. 69 art. 10 in corp. contra Vasquez, Ulloa, Bernal, aliosque paucos inferunt, Baptismum ficte susceptum recedente fictione ita reviviscere, ut conferat gratiam & remissionem peccatorum ante Baptismum commissorum, idque non solum negative & indirecte per modum conditionis, sed directe & positive per modum causæ. Quippe S. Augustinus ait, quod Baptismus fictione recedente *incipiat prodesse*, quod tunc *incipiat valere ad dimittenda peccata*, quod *operetur salutem*; atqui mere negative & indirecte jam antea profuit, & ad dimittenda peccata valuit, neque salutem proprie operaretur, si mera foret conditio. Ratio ulterior est, quia Tridentinum sess. 6 cap 4 expresse docet, neminem posse justificari sine lavacro regenerationis aut ejus voto, idque probat ex illo Joan. 3 v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua* &c. ubi particula *ex* aperte non tantum conditionem sed causam significat.

178 Doctrina hæc communiter extenditur 1 ad Confirmationem & Ordinem; nam ut S. Thomas loc. cit. de Baptismo arguit, hæc Sacramenta etsi ficte suscepta imprimunt characterem, character autem connaturaliter tanquam effectum simultaneum exigit gratiam sanctificantem, quæ est radix gratiarum homini ad constantiam in fide, riteque obeunda munia Ecclesiastica necessariarum: ergo si non amplius datur obex, gratia vi Sacramenti produci-

ducitur, ferme ſicut a corpore gravi producitur motus, quamprimum removetur obex, a quo fuit a motu impeditum. 2. Ad Extremam Unctionem & Matrimonium, quamvis enim non imprimant characterem, ſunt tamen ſecundum quid irreiterabilia, in quantum Extrema Unctio non poteſt iterari in eodem ſtatu infirmitatis, & matrimonium vivente eodem conjuge: ergo niſi remoto obice reviviſcerent, ficte ſuſcipientes durante eodem ſtatu infirmitatis & eodem matrimonio deberent perpetuo carere fructu Sacramenti, qui tamen ipſis valde eſt neceſſarius; atqui hoc videtur durum, & a bonitate & inſtitutione Chriſti alienum, ſaltem caſu, quo obex removetur ante matrimonium diſſolutum, aut ſanitatem recuperatam.

Extenditur 3 ad Sacramentum Pœnitentiæ, ſi 179 quidem etiam poſſit eſſe validum & informe; alias qui valide confeſſus fuiſſet ſuum peccatum, deberet illud contra communem doctrinam & ſenſum fidelium denuo confiteri, eoquod peccata poſt Baptiſmum commiſſa juxta Tridentinum ſeſſ. 14 cap. 4 non remittantur ſine Sacramento pœnitentiæ in re vel in voto; atqui qui peccatum jam valide eſt confeſſus, non amplius debet habere votum illud confitendi, neque contritio illius tale votum includit: ergo. 4. Aliter plerique ſentiunt de Euchariſtia, ſaltem ſuſcepta cum fictione formali ac poſitiva, tum quia facile poteſt iterari, & rationes pro reliquis Sacramentis allatæ pro illa non pugnant: tum quia ipſi maxima debetur reverentia, ad quam plurimum conducit, ſi homines intelligant, quod ex ſacrilega communione nullum unquam fructum ſint habituri. Imo per ſe videtur incredibile, quod Sacerdos Jubilæus, qui per 50 annos ſingulis diebus ſacrilege conſecraſſet, poſtmodum mediante unica contritione

acquireret omnem illam gratiam, quæ ex opere operato responderet omnibus sumptionibus Eucharistiæ.

Objectiones.

180 Obj. 1. S. Augustinus contra Donatistas solum voluit ostendere, quod Baptismus ficte susceptus non debeat repeti; sed ad hunc finem sufficit, quod fictione recedente ad justificationem prosit negative & indirecte; hinc nulla ratione probat, Baptismum postea conferre gratiam ex opere operato. Conf. S. Doctor remissionem peccatorum post susceptum Baptismum adscribit reconciliationi, paci, vinculo charitatis: ergo solum vult, quod Baptismus operetur salutem in sensu latiore, quemadmodum lib. 3 de Baptis. cap. 13 dicit: *Quod operetur mortem*, in quantum videlicet est objectum vel occasio peccati Resp. Neg Maj. Quamvis iste fuerit scopus & finis primarius S. Augustini, nihilominus ipsa verba, quibus utitur, plus significant, dum ait, Baptismum tunc primum incipere valere, prodesse ad salutem, eamque operari; quod autem in hoc probando non multum laboraverit, ratio erat, quia ipsi Donatistæ videbantur admittere, quod validus Baptismus remoto obice remissionem peccatorum operetur; hinc quærebant, utrum per Baptismum ab ipsis acceptum tribuatur Spiritus Sanctus. Ad Conf. Dist. Ant. adscribit remissionem peccatorum reconciliationi, paci &c. tanquam dispositioni, ut obex removeatur, Conc. Ant. tanquam causæ, Neg Ant. Porro ex eo quod S. Doctor verbum *operor* accipiat in sensu improprio aliquando, ubi aliunde constat, quod non possit proprie accipi, male infertur, quod illud semper ita accipiat. Quin etiam Baptismus proprie operatur

tur mortem, non quidem secundum se, sed ut scienter sine sufficiente dispositione susceptus.

Dices. Etiam juxta Adversarios incipit Baptismus fictione recedente prodesse in actu secundo, tum quia in Sacramento pœnitentiæ facit, ut illud sit validum, tum quia cum contritione præstat, ut hæc ad dimittenda peccata valeat absque eo, quod Baptismus debeat repeti, aut in contritione votum Baptismi includi. Conf. Potest dici, quod Baptismus recedente fictione tantum causet gratias actuales, & remissionem pœnæ; ergo. Resp. Neg. Ant. quod enim homo sit capax pœnitentiæ & justificationis, quin Baptismus in re aut voto debeat repeti, jam tunc verum erat, quando valide fuit baptizatus; unde postea Baptismus nihil novi ad actualem justificationem conferret, cum tamen juxta S. Augustinum primum recedente fictione prodesse incipiat, & salutem operetur. Imo tali modo contritio justificaret sine Baptismo tam in re, quam in voto, quod non concordat cum Tridentino. Ad Conf. Neg. Ant. S. Augustinus loc. cit. manifeste loquitur de culpa, & si Baptismus non potest causare gratiam habitualem, nulla amplius ratione potest probari, quod causet gratias actuales. 181

Obj. 2. Concilium Tridentinum solum definit, quod Sacramenta novæ legis conferant gratiam non ponentibus obicem: ergo ponentibus obicem non conferunt; adeoque dum ad justificationem requirit Baptismum vel in re vel in voto, solum loquitur de eo, quod est per se. Conf. Sacramenta valide sed ficte suscepta sunt opera mortua, sicut alii actus moraliter boni peccatorum; sed opera mortua non reviviscunt: ergo. Resp. Conc. Ant. Dist. Cons. ergo ponentibus obicem non conferunt gratiam, quamdiu manet obex, Conc. Cons. si removeatur, Neg. Cons. cum sequela addita, 182

quæ

quæ prorſus gratis fingitur, & contra mentem Scripturæ, ad quam Concilium ſe refert. Ad Conf. Neg. Maj. Ut alia opera bona peccatorum ſint viva & meritoria de condigno, debent procedere ab homine in gratia ſanctificante jam conſtituto: Sacramenta vero vim cauſativam gratiæ non deſumunt ab homine, ſed a Chriſto, cujus etiam ficte ſuſcepta actiones morales ſunt. Unde virtutem cauſandi gratiam in ſe continent, eamque non quidem quoad circumſtantiam temporis, attamen quoad ſubſtantiam ſignificant.

183 Dices. Omnis contritio perfecta ex natura ſua includit votum Baptismi; hinc paganus eliciens contritionem perfectam juſtificatur, etſi de Baptismo nihil ſciat, aut cogitet: ergo licet Baptismus non reviviſcat, nihilominus homo contritus per Baptismum renaſcitur. Conf. Contritio in nova lege non eſt minoris virtutis, quam fuit in antiqua; atqui in hac non debuit includere votum abſolutum Baptismi: ergo. Reſp. Diſt. Ant. Contritio ex natura ſua includit votum Baptismi ſemper abſolutum, Neg. Ant. Conditionatum, ſi videlicet Baptismus ſit præceptus, Conc. Ant. & Neg. Cons. ac ſuppoſitum, quod Baptismus per votum mere conditionatum ad ſalutem ſufficiat, aliàs etiam homines in antiquo teſtamento per Baptismum in voto ſalvati fuiſſent, in quantum etiam illi debuerunt habere voluntatem ſuſcipiendi Baptismum, ſi DEUS hoc præciperet. Paganus vero dum in lege nova conteritur, cogitat de Baptismo exercite & implicite, utpote paratus ſervare omnia a DEO præcepta; econtra ille, qui valide baptizatus jam fuit, præcepto Baptismi jam ſatisfecit. Ad Conf. Nego ſuppoſitum majoris; nam per hoc, quod nunc dentur alia præcepta, quam in antiqua lege, virtus contritionis non immutatur,

ſicut

ſicut non immutatur, quia nunc debet includere votum confeſſionis ſacramentalis.

Obj. 3. Vel ad reviviſcentiam ſacramentorum 184
requiritur contritio perfecta? vel ſufficit imperfecta? non primum, alias reviviſcentia eſſet fruſtranea: non ſecundum, quia nullum peccatum remittitur ſine Sacramento pœnitentiæ, ſaltem in voto. Conf. Juxta nos qui Sacramentum ſuſcipit malitioſe, poſtea vero elicit contritionem, accipit tantam gratiam, quantam alius, qui idem Sacramentum cum ſimili attritione primo ſuſcepit, hoc eſt abſurdum: ergo. Reſp. Conc. Maj. Neg. Min. & dico, quod ſufficiat attritio, quia ſic jam ponitur diſpoſitio ad fructum Sacramenti neceſſaria, modo nullum peccatum mortale in ipſa ſuſceptione Sacramenti aut poſtea commiſſum fuerit; Sacramenta enim non habent virtutem delendi peccata ſubſequentia, nec unum mortale ſine altero remittitur. Quod ſi eliciatur contritio perfecta, ideo reviviſcentia non erit fruſtranea, ſed Sacramentum reviviſcens producit gratiam diſtinctam ſibi propriam, quæ eſt radix ſpecialium auxiliorum actualium. Porro cum Sacramenta vivorum per accidens cauſent primam gratiam, votum pœnitentiæ in attritione cum Sacramento ſatis continetur. Ad Conf. Neg. Maj. Sacramentum per reviviſcentiam non acquirit majorem virtutem, quam ab initio habuit, ſed confert gratiam juxta diſpoſitionem primam, quæ dabatur in ipſa ſuſceptione; hinc juxta Suarium Sacramentum poſt fictionem formalem reviviſcens producit gratiam in minimo gradu, qui ipſi debetur independenter ab omni diſpoſitione.

Dices. Si requiritur pœnitentia ad delenda pec- 185
cata poſt Sacramentum e. g. Baptiſmi commiſſa, pœnitentia pro priori naturæ debet tollere obicem Baptiſmi: ergo pro priori naturæ debet tollere peccata ante Baptiſmum commiſſa; Baptiſmus vero nihil opera-

operatur. Conf. In tali casu peccata remitterentur simul directe, & indirecte; hoc absurdum: ergo. Resp. Conc. Ant. Neg. Cons. Peccata post Baptismum commissa non sunt obex Baptismi præcise secundum se, sed quatenus non sunt debito modo retractata; unde pœnitentia per se ipsam formaliter quidem tollit obicem seu indispositionem ad remissionem peccatorum, ipsa vero peccata ante Baptismum commissa solum aufert causaliter; hæc enim formaliter remittuntur per gratiam sanctificantem, quæ primum in signo posteriori producitur, ut adeo gratia remissiva peccatorum ante & post Baptismum commissorum sint effectus simultanei. Vel si infunditur tantum unica, hæc a Baptismo & Pœnitentia provenit simul; a Baptismo, in quantum tollit peccata antea commissa; a Pœnitentia, in quantum tollit peccata commissa post Baptismum. Ad Conf. Neg. Maj. Nam tunc peccatum aliquod proprie & formaliter dicitur remitti indirecte, quando nulla adest causa directe remissiva illius; atqui in nostro casu adest causa directe remissiva peccatorum, tam ante quam post Baptismum commissorum, ut patet ex primum dictis.

186 Obj. 4. Ex una parte Sacramentum Eucharistiæ est omnium præstantissimum, in quo, ut loquitur Tridentinum, DEUS divitias sui amoris velut effudit: ex altera parte quælibet causa in suo genere completam habens virtutem operandi, remoto obice operatur: ergo non minus reviviscit, quam alia Sacramenta. Conf. Sacramentum Pœnitentiæ reviviscit, licet sæpius possit iterari: ergo. Resp. Conc. Ant. quoad 1 membrum. Dist. quoad secundum. Causa in suo genere completa remoto obice operatur, si ad producendum talem effectum vel ex natura sua vel ex institutione sit ordinata, Conc. Ant. secus, Neg. Ant & Cons. Licet Eucharistia sit Sacramentum præstantissimum, ideo eidem

non

non debent tribui effectus, ad quos probabilius a Christo non fuit instituta. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Cons. Imprimis longe major est difficultas in iteranda confessione, quam sacra communio. Dein pro pœnitentia pugnat specialis ratio, quod videlicet alias peccatum posset remitti sine Sacramento in re, & in voto, cum nemo teneatur habere votum rei non amplius præceptæ. Imo pœnitentia esset irreiterabilis sicut Baptismus, ne quidem tale votum esset licitum.

QUÆSTIO VIII.

An & quænam Sacramenta novæ legis imprimant characterem?

Character vox Græca est, & formam seu figu- 187
ram significat, a veteribus signum seu signaculum vocabatur. Ex Concilio Tridentino sess. 7 can. 9 definitur, quod sit signum quoddam spirituale & indelebile in anima impressum. In quonam autem a parte rei consistat, non conveniunt Theologi. Plerique cum S. Thoma 3 part 63 art. 2 in corp. inhærentes proprietati verborum, quibus character a Tridentino describitur, docent, illum esse qualitatem absolutam. Scotus in 4 dist. 6 q. 10 vult illum esse relationem realem, seu qualitatem relativam ac modalem. Durandus in 4 dist. 4 q. 1 ait, quod tantum sit relatio rationis, ac denominatio extrinseca proveniens ex Divina deputatione, per quam homo destinatur ad certas quasdam functiones sacras. Wiclef. Luther Calvinus eorumque sectatores contendunt, nullum a quocunque Sacramento characterem imprimi, sed il-
lum

lum esse novum inventum Innocentii III, usque ad Sæculum XIII in Ecclesia incognitum.

188 Huic errori Bellarmino, Suario, aliisque compluribus favere videtur sententia Durandi, tum quia Tridentinum definit characterem imprimi in anima, tum quia ipsi hæretici non negant per Sacramentum tribui aliquam denominationem extrinsecam, indeque oriri quamdam relationem rationis. Verum alii ab omni errore contra fidem Durandum excusant, eo quod sectarii non solum negent, Confirmationem & Ordinem esse Sacramentum, sed etiam asserant, eum, qui fuit semel Sacerdos, rursus posse fieri laicum, adeoque characterem non esse indelebilem, quem errorem in ipsis reprobavit Tridentinum sess. 6 cap. 4. Addunt verbum *imprimere* in Theologicis non semper denotare qualitatem physicam, sed quandoque accipi in sensu latiore & morali, ut quando dicitur, peccatum animæ imprimere maculam, peccatum originale inesse unicuique proprium &c. nostrum non est hanc litem decidere, sed contra sectarios ostendere, quædam Sacramenta animæ suscipientis imprimere signum quoddam spirituale & indelebile.

189 Dicendum. Datur character Sacramentalis, & per tria Sacramenta nempe Baptismum, Confirmationem, & Ordinem imprimitur, quæ ideo iterari nequeunt. Est dogma fidei definitum a Concilio Tridentino sess. 6 can. 9, ubi ita statuit: *Siquis dixerit, in tribus Sacramentis Baptismo, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem, hoc est, signum aliquod spirituale & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.* Idem docuerat Eugenius IV in Decreto ad Armenos, cujus doctrinæ aliquod fundamentum habetur 2 ad Cor. 1 v. 22: *Unxit nos DEUS, & signavit nos, & dedit pignus Spiritus sui in cordibus nostris.* Ubi tres effectus Baptismi assignan-

assignantur, unctio, quæ fit per gratiam habitualem, signatio, quæ fit per characterem, & quidem in anima sicut unctio, pignus spiritus seu testimonium bonæ conscientiæ, quod est veluti fructus justificationis. Illud quoque ad Ephes. 1 v 13: *In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ,* de signaculo, quod in Baptismate accipimus, exponitur a Patribus Græcis & Latinis Chrysostomo, Theophilacto, Hieronymo, Beda &c. apud Bellarm. lib. 2 de Sacram. cap. 20.

Probatur Conclusio ulterius 1 ac præcipue ex traditione, quam nobis manifestat Patrum auctoritas. S. Cyrillus præfat. in catech inter alios effectus Baptismi expresse numerat *Signaculum sanctum & indelebile,* & catech. 4 ait: *Spiritus Sanctus tempore Baptismi animam obsignat.* S. Ambrosius lib. de Spirit. Sanct. cap. 6: *Etsi specie signemur in corpore, veritate tamen signamur in corde,* quod, ut eodem capite tradit, est utique *Signaculum spirituale.* S. Chrysostomus Homil. 2 in Epistol. ad Ephes. *Porro idem charactere Spiritus Sancti nos insignivit,* & infra: *Signati sunt etiam Israelitæ, sed circumcisionis nota, nos autem ut filii signati sumus Spiritu Sancto.* Similia habent alii Patres, præsertim S Augustinus, qui sæpius affirmat, *Characterem imprimi, hærere, portari etiam a desertoribus & apostatis.* Sic tract. 6 in Joan. inquit: *Tene, quod accepisti, non mutatur, sed agnoscitur: character est Regis mei, non ero sacrilegus: corrigo desertorem, non muto characterem.* Ex quo ipso fundamento 190

Probatur Conclusio 2. Tam in Ecclesia Orientali quam Occidentali a prima ætate constans fuit praxis & doctrina, quædam novæ legis Sacramenta, nempe Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem & Matrimonium posse repeti, & eidem homini sæpius conferri, Baptismum autem, Confir- 191

mationem & Ordinem ſemel valide accepta non amplius poſſe iterari, ut conſtat ex conſenſu omnium Patrum; atqui hujus diſcriminis melior ratio afferri nequit, quam quod Baptismus, Confirmatio & Ordo præter gratiam habitualem conferant characterem, qui nec deleri nec augeri valeat. Audiamus iterum S. Auguſtinum lib. 6 contra Donat. cap. 1, ubi ita ſcribit: *Satis eluxit Paſtoribus Eccleſiæ Catholicæ, per quos poſtea plenarii Concilii auctoritate originalis conſuetudo firmata eſt, etiam ovem, quæ foris errabat, & dominicum characterem a fallacibus deprædatoribus ſuis foris acceperat, venientem ad chriſtianæ unitatis ſalutem ab errore corrigi, a vulnere ſanari, characterem tamen dominicum in ea agnoſci potius quam mutari.*

192 Ratio a priori dictorum eſt voluntas & inſtitutio Chriſti, congruentiam addunt Theologi hanc, quia per Baptismum, Confirmationem & Ordinem homo deputatur ad certa quædam & ſtabilia officia in republica chriſtiana; nam per Baptismum recipitur inter cives & domeſticos DEI, ſimulque acquirit poteſtatem participandi reliqua Sacramenta, aliaque Eccleſiæ bona: per Confirmationem adlegitur in militiam Chriſti ad fidem ſtrenue ac publice propugnandam; unde ſpeciali titulo fit miles Chriſti, qualis non eſt quilibet baptizatus, quamvis etiam urgente periculo pugnare teneatur. Per Ordinem creatur dux, & fit miniſter & diſpenſator myſteriorum DEI. Econtra per reliqua Sacramenta homini non confertur peculiaris gradus, aut ſingulare officium, ſicut in republica humana non cenſentur ſpeciale munus habere convivæ, conjuges, abſoluti in judicio, & ægroti ſeu convaleſcentes.

Obje-

Objectiones.

Obj. 1. De charactere Sacramentali nulla fit mentio in Scriptura: ergo Concilium Tridentinum nihil potuit circa illum definire. Conf. Ante Innocentium III, qui floruit Sæculo XIII, nullus Scholasticorum characteris meminit: ergo. Resp. Trans. Ant. Neg. Cons. Ut Concilia aliquid possint definire, sufficit verbum Divinum traditum, quamquam neque verbum Divinum scriptum de charactere penitus sileat, præsertim si ad mentem Patrum intelligitur. Ad Conf. Neg. Ant. Jam ante Innocentium III Magister sententiarum lib. 4 dist 7 docuit, Baptismum, Confirmationem & Ordinem non posse iterari, *Quia quod semel consecratum est, consecrationem suam nunquam amittit*, & dist 24 usus est expresso nomine characteris, eumque vocat *signaculum quoddam sacrum*. Magistrum secutus est ejus discipulus Petrus Pictaviensis, & Guilielmus Parisiensis; Innocentius III vero jam supposuit veluti rem catholicis & acatholicis notam, a quibusdam Sacramentis characterem imprimi, & solum definivit, id tunc fieri, quando Sacramento non ponitur obex, ut patebit legenti capitulum Majores 3 de Baptis. 193

Dices. Ipsi Catholici usque in hunc diem de charactere inter se adhuc multum controvertunt, & Albertus Magnus in 4 dist. 6 art. 4 fatetur, de illo in Patribus vix aliquid inveniri. Similia habent Scotus, Gabriel &c. Conf. Absurdum & inutile est definire rem, cujus natura ignoratur, & ipsi hæretici fatentur, per Baptismum ita consecrari hominem, ut consecratio illa deleri & repeti non possit. Resp. Dist. Ant. Catholici adhuc inter se controvertunt de existentia characteris, Neg. Ant. 194

de ejus natura, Subdist. quoad prædicata ab Ecclesia definita, Neg. Ant. quoad alia, quæ ad fidem non pertinent, Conc. Ant. Existentiam characteris jam ultra quatuor Sæcula Scholastici strenue propugnarunt, ipse quoque Albertus Magnus, Scotus & Gabriel fatentur, illum ob Ecclesiæ auctoritatem adstruendum esse, quod si unus aut alter illum negasset, heteroclita ejus opinio nihil ponderis haberet. Ad Conf. Dist. Ant. Cujus natura ignoratur omnimode, Conc. Ant. si tantum ignoratur quoad aliqua prædicata magis specifica, Neg. Ant. Quid sit character, descripsimus ex Tridentino, neque hæc descriptio contra novatores inutiliter statuta est, cum omnes negent, Confirmationem & Ordinem non posse iterari, neque defuerint, qui id de Baptismo negaverunt.

195 Obj. 2. SS. Patres nunquam admiserunt characterem in eo sensu, in quo nunc ab Ecclesia adstruitur, sed per illum intellexerunt vel internam unctionem per gratiam, vel ipsum externum ritum Sacramenti. Sic S. Damascenus lib. 4 de fid. cap. 9 inquit: quod *per baptismum accipiatur regeneratio & alterius vitæ initium, & signaculum, & præsidium, & illuminatio*: ergo ex Patribus nihil probatur. Resp. Neg. Ant. nam 1 Patres expresse dicunt sigillum, quod a Baptismo imprimitur, esse indelebile, ac etiam apostatis & hæreticis inhærere. 2. Hoc signum vocant spirituale, ajuntque illud esse in anima non in corpore; at ritus externus Sacramentalis est materialis & in corpore confertur; unde S. Damascenus non vult indicare, quod ipse Baptismus aut regeneratio sit signaculum, sed varios effectus Baptismi enumerat, ac distinguit.

196 Dices. S. Augustinus sæpius docet characterem exterius cognosci. 2 Serm. ad pleb. Cæsariens. de Emerito ipsam invocationem SS. Trinitatis characterem vocat: *Iste*, inquit, *est character Imperatoris mei*,

mei: baptizate gentes in nomine Patris &c. 3. Eodem sermone ait, quod etiam Donatus, si suo nomine baptizasset, characterem impressisset; at talis character utique nihil fuisset internum & spirituale. Resp. ad 1. Dist. Ant. docet characterem causalem exterius cognosci, Conc. Ant. characterem formalem, Subdist. immediate in seipso, Neg. Ant. in sua causa, Conc. Ant. Ad 2 eadem est responsio. Sicut enim milites antiquitus duplicem habebant characterem, unum consistentem in numismate collo appenso, alterum consistentem in stigmate manibus, brachio, vel fronti inusto: ita quidam Patres duplicem admiserunt characterem, unum externum consistentem in ipso Sacramento, alterum internum a Sacramento causatum, quem indelebilem esse dicebant. Ad 3. Intentio S. Doctoris erat ostendere, Baptismum vim suam unice a Christo habere, & validum esse, a quocunque ministro legitime administretur, quod probat ex hypothesi impossibili, aitque, si Donatus suum proprium Baptismum conferret, baptizatis suum characterem impressurum, ipsam autem hypothesin non probat, nec admittit S. Augustinus.

Obj. 3. Ideo juxta nos aliqua Sacramenta im- 197
primerent characterem, quia non possunt iterari, & ideo non possunt iterari, quia imprimunt characterem; sed sic ambulamus in Circulo: ergo. Conf. Consecratio Ecclesiarum & Calicum, uti matrimonium non possunt iterari, & tamen non imprimunt characterem: vicissim legimus Baptismum & Ordinem ab hæreticis collatum iteratum esse: ergo. Resp. Neg. Ant. Ratio cur Sacramenta non possint iterari est character, quod autem detur character, ratio a priori est voluntas Christi, qui per illum nos ad speciale officium destinare perpetuo voluit. Probamus quidem dein etiam existentiam

characteris a posteriori ex eo, quia Sacramenta aliqua non possunt iterari; at per hoc non committimus circulum vitiosum, quia probatio est ex diverso genere causarum, qua ratione sæpe effectus per causam, & causa per effectum probari solet. Ad Conf. Neg. Ant. Consecratio Ecclesiarum & calicum potest amitti per execrationem & profanationem, & iterum repeti, matrimonium potest uno defuncto conjuge iterari cum altero. Antiqui, qui putarunt Baptismum & Ordinem ab hæreticis collatum iterari debere, existimarunt illos esse invalidos.

198 Dices 1. Etsi Baptismus non imprimeret characterem, nihilominus haberetur sufficiens ratio, cur nequeat iterari, uti 1. Quia Baptismus est janua in Ecclesiam, in quam semel ingressus non amplius potest intrare. 2. Quia est signaculum fœderis, & per illum promittitur vita æterna. 3. Quia est signaculum fidei, institutum ad delendum peccatum originale; fides autem est una, & peccatum originale tantum semel contrahitur. Resp. Licet etiam ex aliis rationibus ostenderetur, Baptismum non posse iterari; tamen potissima ratio, quæ a Patribus assignatur, esset character. Imo rationes assignatæ non sunt satis solidæ. Nam 1. Janua Ecclesiæ non raro altera vice aperitur apostatis, non quidem per Baptismum, attamen per pœnitentiam. 2. Omnia Sacramenta sunt aliquod fœdus & pactum inter Deum & hominem, vitaque æterna etiam promittitur Eucharistiæ, Extremæ Unctioni &c. 3. Qui ficte & cum hæresi interna suscipit Baptismum, per illum nec a peccato originali mundatur, nec veram fidem profitetur, & tamen cum ad Ecclesiam redierit, non rebaptizatur.

Dices

Dices 2. Christo liberum fuit, ut Baptismum 199
instituerет tanquam Sacramentum iterabile, vel non iterabile; ergo causa, quod non possit iterari, non est character, sed voluntas Christi. Conf Saltem melius diceretur, Baptismum non posse iterari ideo, quia significat mortem Christi, quam semel tantum sustinuit, vel quia est Sacramentum regenerationis, quæ unica est, cum nemo bis nascatur. Resp Conc. Ant. Dist. Cons. Character secundum se non est causa, Trans. Cons. ut in hunc finem a Christo institutus, Neg. Cons. Non negamus Christum libere voluisse, ut quædam Sacramenta non possint repeti, sed hoc contendimus, juxta traditionem & SS. Patres signum hujus voluntatis esse characterem. Ad Conf. Neg Ant. Eucharistia teste Apostolo 1 ad Cor. 11. v. 26 significat Christi mortem, nihilominus ab ipsis sectariis sæpius repetitur, & licet homo non possit sæpius renasci naturaliter, potest tamen sæpius renasci spiritualiter per gratiam.

Obj 4. Si daretur character, tunc ideo, ut sit 200
quædam nota & signum permanens, per quod homo stabiliter DEO consecratur, & a cæteris distinguitur, atqui hæc ratio nulla est; nam DEUS tali discerniculo non indiget. Idem est de Angelis & beatis; homines autem characterem internum non vident, & damnati nihil supernaturale cognoscunt. Conf. In Christo juxta communem Theologorum non fuit datus character: ergo neque datur in Christianis. Resp. Conc. Maj. Neg Min. Licet character DEO, & forte etiam Angelis & beatis non esset necessarius, tamen ab illis cognoscitur, & sic servit pro signo discretivo, quod illis, qui salvantur, ad gloriam, damnatis vero ad confusionem cedit. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Cons. Character est signum ministeriale, & potestatis participatæ, Christus autem fuit auctor Sacramentorum, ejus-

que humanitas instrumentum DEO conjunctum per unionem hypostaticam, quæ eminenter characteris vices supplevit.

201 Dices 1. Potest aliquis destinari ad cultum DEI, & a reliquis hominibus discerni sine charactere. Sic 1 Sacramenta veteris legis destinabant homines ad servitium DEI, quin imprimerent characterem. 2. In Extrema Unctione homo destinatur ad pugnandum contra dæmonem in ultimo agone, nec ideo characterem accipit. 3. Summus Pontificatus nullum causat characterem, licet hominem maxime discernat ab aliis, & faciat eum Vicarium Christi. Resp. Quæstionem hic non esse, quid fieri potuerit, sed quid factum sit; jam vero Christus voluit, ut per Baptismum, Confirmationem, & Ordinem ad cultum DEI deputemur, & ab aliis discernamur non quomodocunque, sed per signum internum spirituale, & indelebile. Cum instantiis additis non est paritas, nam 1 Sacramenta antiquæ legis non erant tantæ dignitatis & virtutis sicut nostra. 2. Sacramentum Extremæ Unctionis nos tantum destinat ad militiam privatam; solent autem signari tantum ii, qui sequuntur militiam publicam. 3. Summus Pontificatus in se non est Sacramentum.

202 Dices 2. Saltem character non amplius manet post mortem: ergo est delebilis. Ant. Prob. quia miles exauctoratus spoliatur omnibus insignibus, & præsertim damnati donis supernaturalibus. Conf. In beatis post mortem non manet habitus fidei & spei, in damnatis vero nequidem gratia habitualis: ergo neque character. Resp. Quamquam de fide solum videatur esse, quod character sit indelebilis in hac vita, probabilius tamen etiam manet in altera, tum quia Tridentinum simpliciter illum vocat indelebilem, tum quia est supernaturalis, & nulla datur ipsius causa destructiva. Ad

rationes

rationes in contrarium dico, homines per mortem non ita exauctorari, ut illis etiam tollatur poteſtas remota, quam per Baptismum, Confirmationem, & Ordinem acceperunt; hinc ſiquis per miraculum reviviſceret, non amplius poſſet baptizari, confirmari aut ordinari; poſſet tamen de novo accedere ad S. Euchariſtiam, contrahere &c. Porro damnati ſolum ſpoliantur iis donis ſupernaturalibus, quæ ipſis cederent ad gloriam vel ſolatium. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Cons. Character, ut ex dictis patet, habet adhuc ſufficientem finem poſt mortem, non item fides aut ſpes in beatis; damnatis vero, cum ſint hoſtes DEI, gratia habitualis & ſanctificans omnino non convenit.

DISPUTATIO III.

De Miniſtro Sacramentorum, & qualitatibus in illo requiſitis.

Miniſter Sacramentorum vocatur, qui ex in- 203 ſtitutione Chriſti ad conficienda & conferenda Sacramenta deſtinatus eſt. Cum enim ſolus Chriſtus ſit auctor, & inſtitutor Sacramentorum, ille ſolus poteſt valide Sacramenta conficere, cui hæc poteſtas a Chriſto fuit conceſſa. Dividitur miniſter Sacramentorum in ordinarium, ad quem ſecundum legem communem, & providentiam ordinariam poteſtas adminiſtrandi Sacramenta ſpectat: & in extraordinarium, cui illa poteſtas tantum competit ex ſpeciali conceſſione vel providentia extraordinaria, quod rurſus duplici modo fieri poteſt, 1 ex nova commiſſione & conceſſione poteſtatis, 2 ex primaria quidem inſtitutione Chriſti,

attamen ita, ut modus & ſtatus, in quo poteſtas exercetur, ſit extraordinarius.

204 Ex ſpeciali & nova conceſſione Sacramenta administrari poſſe ab Angelis & animabus beatis a corpore ſeparatis docet S. Thomas 3 part. q. 64 a. 7 ad 2, cum Hurtado, Lugone &c. quia nulla in hac re, Deo liberrima, poteſt oſtendi repugnantia. Hinc ſi Angelus aliquem baptizaret, non eſſet rebaptizandus, modo conſtaret, illum eſſe Angelum bonum; & Bellarminus lib. 1 de Sacramentis in genere cap. 24 refert, Amphilochium ab Angelis fuiſſe ordinatum Epiſcopum, ejusque ordinationem ab aliis Epiſcopis illius provinciæ judicatam eſſe validam. Interim Sacramentum ab Angelo aut animabus ſeparatis confectum non eſſet ejusdem rationis cum noſtris; quippe Sacramenta in Eccleſia defacto inſtituta conſtant rebus & verbis formalibus (excepto matrimonio, cujus aliunde Angeli & animæ ſeparatæ ſunt incapaces) per verbum autem formale intelligitur vox articulata ab animalis ore vitaliter prolata, qualis vox non ſunt ſoni ab Angelis & animabus ſeparatis præciſe in aere formati.

205 Cum eodem S. Thoma Sotus, Suarius, Dicaſt. aliique contra multos docent, quod homo beatus poſſit eſſe miniſter ordinarius quoad poteſtatem, licet foret extraordinarius quoad modum & ſtatum. Nam e. g Sacerdos reſurgens ex mortuis, licet perſeveraret in ſtatu beatitudinis, nihilominus retineret characterem, adeoque etiam poteſtatem ſacerdotalem v. g. ad conſecrandum, poſſet habere præſentem materiam, & cum debita intentione ſuper illam verbis humanis pronunciare formam conſecrationis: ergo valide conſecraret, ſicut omnes fateri debent, talem Sacerdotem, ſi reſurgeret in ſtatu mortalitatis, habiturum poteſtatem ordinariam S. Euchariſtiam conficiendi; atqui ſtatus beatitudinis nihil minuit de poteſtate ſacerdotali,

dotali, & quamvis Sacramenta ordinarie debeant confici a viatoribus, nullibi tamen in Scriptura revelatum, aut a Patribus traditum eſt, ſtatum viatoris eſſentialiter requiri ad Sacramenta ex poteſtate ſecundum quid extraordinaria conferendum.

Neque tamen ex hoc inferri poteſt, quod Sacer- 206
dos beatus, imo etiam damnatus, adhuc valide conſecraret poſt ultimum diem judicii; nam tunc ex inſtitutione Chriſti nullus amplius erit uſus Euchariſtiæ juxta illud Apoſtoli 1 ad Cor. 11 v. 26: *Quotiescunque manducaveritis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Præterea in Sacerdote damnato poteſtas ordinis ex diſpoſitione Dei impeditur, ne etiam in Eccleſia militante illam poſſit exercere, & ſicut damnati nullam aliam actionem bonam, Deoque placentem exercere poſſunt, ita Chriſtus illorum actus non vult habere pro moraliter ſuis. His breviter indicatis in hac diſputatione examinabo. 1. Quis ex poteſtate ordinaria poſſit valide adminiſtrare Sacramenta? 2. An ad valorem Sacramenti requiratur in miniſtro vera fides? 3. An probitas? 4. An hæc ſaltem requiratur ad licitam adminiſtrationem Sacramenti, in miniſtro ad hoc officium ſpecialiter conſecrato vel deputato? 5. An idem dicendum de miniſtro ſpecialiter non deputato? 6. Aut Euchariſtiam ſolum diſtribuente? 7. An & quando liceat petere, vel accipere Sacramentum a miniſtro indigno?

QUÆ-

QUÆSTIO. I.

An solus & omnis homo viator sit minister Sacramentorum?

207 Lutherus circa hanc materiam docet duo inter se pugnantia. Libro de Missa privata & unctione Sacerdotum ait, non solum homines sed etiam dæmones esse ministros Sacramentorum. Libro autem de Missa abroganda potestatem valide conficiendi Sacramenta solis, & omnibus hominibus christianis concedit, tametsi ad tollendam confusionem non oporteat omnes hac potestate uti saltem publice, sed tantum eos, qui legitime sunt vocati. Unde juxta Lutherum ministri publici a cæteris hominibus tantum distinguuntur usu, & sicut sola vocatione ex laico potest fieri minister, ita ministri iterum possunt fieri laici. Huic doctrinæ extreme se opposuit Calvinus adeo, ut ne quidem in necessitate ad ministrandum Baptismum laicos, ac præsertim fœminas admittat.

208 Dicendum 1. Solus homo viator potest esse minister ordinarius Sacramentorum. Prob. quia Christus solis hominibus viatoribus dedit potestatem Sacramenta conficiendi; quandocunque enim de potestate hac sermo est, semper allocutus est homines viatores. Sic Matth. ult. v. 19 de Baptismo dixit: *Baptizate omnes gentes.* Joan. 20 v. 23 de Pœnitentia: *Quorum remiseritis peccata.* de Eucharistia Luc. 22 v. 19: *Hoc facite in meam commemorationem.* De Extrema Unctione Jac. 5 v. 14: *Inducat presbyteros Ecclesiæ.* De Matrimonio Matth. 19 v. 5: *Propter hoc dimittet homo patrem* &c. de Confirmatione & Ordine ad Hebr. 5 v. 1: *Omnis pontifex ex hominibus assumptus constituitur in his, quæ*

sunt

sunt ad DEUM. Hinc nostram conclusionem tanto consensu non solum Scholastici sed tota Ecclesia semper tenuit, ut licet non fuerit expresse definita, tamen juxta Vasquez habenda sit pro veritate catholica, & oppositum sine errore defendi nequeat.

Dicendum 2. Non quilibet homo viator & chri- 209
stianus potest esse validus minister cujuslibet Sacramenti, sed solum illi, qui ad hoc munus sunt legitime ordinati, excepto Baptismo & Matrimonio; illum enim valide administrare potest quivis homo ratione utens; hoc autem omnes personæ ad contrahendum habiles, siquidem ipsi contrahentes sint illius ministri. Prob. 1. ex Scriptura, in qua potestas ministrandi Sacramenta non cuilibet indiscriminatim conceditur, sed quidam præ cæteris electi & deputati leguntur. Sic Apostolus ad Ephes. 4 v. 11 ait: *Ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii.* 1 ad Cor 12 v. 29: *Nunquid omnes Apostoli, nunquid omnes Prophetæ, nunquid omnes Doctores* ad Hebr. 5 v. 4: *Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.*

Respondent ad hos textus Lutherani, Aposto- 210
lum in illis non loqui de potestate ministrandi Sacramenta, sed tantum de usu hujus potestatis. Contra est 1 quia verba: *Non omnes Apostoli, non omnes Pastores,* in sensu plano & obvio potestatem, & non tantum actualem ejus usum negant. 2. Quia Apostolus in Epistola 1 ad Cor. 12 v. 12 ait: Mysteria Divina eodem modo hominibus esse concredita, quo modo diversis membris in corpore data sunt diversa officia; atqui membra ejusdem corporis non tantum non habent eundem usum, sed neque eandem potestatem. 3. Apostolus loquitur de eo,

quod

quod Apoſtoli a Chriſto & Aaron a DEO acceperant; atqui ipſi non tantum uſum ſed poteſtatem acceperunt. Hinc licet Apoſtoli jam ante paſſionem Domini fuerint baptizati, ut vult S. Auguſtinus Epiſt. 108 ad Seleucianum, tamen ante Cœnam Domini nondum habuerunt poteſtatem conſecrandi.

211 Prob. Concluſio 2 ex perpetua praxi & traditione Eccleſiæ, quæ a nemine unquam paſſa eſt Sacramenta ſive publice ſive privatim adminiſtrari, niſi prius ſacram ordinationem accepiſſet; hinc in dubiis de Sacramentorum valore Patres ſedulo inquiſierunt, utrum illi, qui ea contulerunt, de ſacrorum miniſtrorum numero eſſent. Quin neque in lege antiqua, ubi Sacramenta longe erant imperfectiora, quivis homo omnia, ſed aliqua ſoli Sacerdotes poterant adminiſtrare, & dum Rex Ozias ſacris myſteriis ſe ingerere voluit, fortiſſime reſtiterunt Sacerdotes dicentes: *Non eſt tui officii Ozia, ut adoleas incenſum Domino, ſed Sacerdotum hoc eſt . . . qui conſecrati ſunt ad ejusmodi miniſterium.* 2 Paralip. 26 v. 18. Merito itaque Concilium Tridentinum ſeſſ. 7 can. 10 anathemate ferit: *Si quis dixerit Chriſtianos omnes in verbo, & in omnibus Sacramentis adminiſtrandi habere poteſtatem.*

Objectiones.

212 Obj. 1. Ex una parte valor & dignitas Sacramentorum non dependet a qualitate miniſtri: ex altera parte Angeli tam boni quam mali poſſunt ponere omnia illa, quæ ad eſſentiam Sacramenti pertinent: ergo non ſolus homo viator eſt miniſter ordinarius Sacramentorum. Conf. Refertur in variis hiſtoriis, quod Angeli adminiſtrarint Sacramentum Euchariſtiæ v. g. S. Agneti, S. Catharinæ Senenſi,

Senensi, S. Stanislao &c. Resp. Dist. Ant. Valor & dignitas Sacramentorum non dependet a qualitate ministri tantum accidentali, uti sunt gratia & pietas ministri, Conc. Ant. a qualitate essentiali, uti est potestas administrandi, Neg. Ant. quoad hoc membrum & simpliciter quoad alterum. Quod ad essentiam Sacramentorum de lege ordinaria requiratur homo viator, & insuper ad quinque, ut sit ordinatus, patet ex probationibus, ex quibus ipsis eruitur, ad Sacramenti essentiam etiam pertinere voces humano modo prolatas, quales nequeunt ab Angelis proferri. Ad Conf. Sancti leguntur quidem S. Euchariſtiam aliis dispensasse, at ex hoc nondum sequitur, quod illam confecerint, vel certe id fecissent ex speciali DEI concessione.

Dices. Verba a Christo non fuerunt assumpta 213
ad rationem Sacramenti, quatenus sunt actiones vitales, sed quatenus sunt signum ad placitum; hinc S. Augustinus lib. 2 contra Parmen. cap. 15 ait: *Quod DEUS sanctificationem Baptismi det sive per hominem, sive per Angelum, sive per se ipsum.* Conf. Homines mali, qui sunt membra diaboli, possunt administrare Sacramenta: ergo etiam diabolus tanquam illorum caput; quod enim potest inferior, potest etiam superior. Resp. Dist. Ant. Verba non sunt assumpta, quatenus sunt actiones vitales, id est, vitalitas non fuit motivum illa assumendi, Conc. Ant. non fuit conditio, ad quam Christus in institutione Sacramentorum respexit, Neg. Ant. S. Augustinus solum vult, quod gratia sanctificans sit a DEO, sive illa modo ordinario per Sacramentum, sive extraordinario per ministerium Angelorum, sive per se ipsum immediate conferatur. Ad Conf. Conc. Ant. Neg Cons. Homines mali non habent potestatem administrandi Sacramenta, quia sunt membra diaboli, sed quia sunt homines via-

viatores, unde diabolus hanc potestatem non habet, nec quoad illam hominibus est superior, licet quoad alia sit caput morale malorum.

214 Obj. 2. Omnes Christiani in Scriptura vocantur Sacerdotes: *Fecisti nos Deo nostro regnum & Sacerdotes*, Apoc. 5 v. 10. *Erunt Sacerdotes DEI & Christi ejus*, Apoc. 20 v 6. *Tanquam lapides vivi superædificamini, domus Spiritualis, Sacerdotium Sanctum, offerre Spirituales hostias*, 1 Petr. 2 v. 5. ergo omnes possunt administrare omnia Sacramenta. Conf. Christus est Sacerdos in æternum Psal. 109 v. 4. & omnes christiani sunt fratres Christi: ergo. Resp. Dist. Ant. Omnes christiani vocantur Sacerdotes improprie & metaphorice, in quantum per preces & bona opera se ipsos hostias spirituales DEO offerunt, Conc. Ant. Sacerdotes proprie tales, Neg. Ant. & Cons. *Omnes filii Ecclesiæ*, inquit S. Ambrosius in cap. 6 Luc. *Sacerdotes sunt; ungimur enim in Sacerdotium Sanctum, offerentes nosmetipsos DEO hostias spirituales.* Simili modo textus Scripturæ interpretatur S. Augustinus lib. 20 de Civit. cap. 10, aliique Patres. Exodi quoque 19 v. 6 de omnibus Judæis dicitur: *Vos eritis mihi in regnum Sacerdotale.* Ad Conf. Conc. Ant. quoad 1 membrum, Dist. quoad 2. Omnes Christiani sunt fratres Christi per naturam, Neg. Ant. per gratiam adoptionis, adeoque prærogativa longe inferiores, Conc. Ant. Neg. Cons.

215 Dices. Omnes Christiani sunt Sacerdotes proprie tales; nam S. Petrus cap. cit. v. 9 ita prosequitur: *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, ut virtutes annuncietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.* & S. Paulus 2 ad Cor. 3 v. 6: *Qui & idoneos nos fecit ministros novi testamenti.* Conf. Juxta eundem Apostolum ad Galat. 3 v. 28 ex iis, qui in Christo baptizati sunt, *Non est Judæus neque Græcus, non est servus neque liber, non est*

masculi:

maſculus neque fœmina, ſed omnes unum ſunt in Chriſto: ergo. Reſp. Neg. Ant. S. Petrus non vult, quod omnes Chriſtiani debeant virtutes annunciare concionando more Sacerdotum, ſed gratias agendo Deo; eumque laudando, ſicut fecerunt Judæi poſt tranſitum maris rubri, ad quod juxta V. Bedam alludit apud Bellarm. lib. 1 de Sacram. in gener. cap. 25. S. Paulus loquitur de ſolis Apoſtolis, comparat enim ſe & Apoſtolos Moyſi, aitque hunc adminiſtraſſe litteras inſculptas lapidibus, ſe vero, ac alios Apoſtolos miniſtraſſe Spiritum. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Cons. Nam hoc loco Apoſtolus neutiquam agit de miniſterio ſacro, ſed de ſola fide in Chriſtum, ſecundum quam unusquisque ſine diſtinctione perſonarum jus habet ad divinam hæreditatem.

Obj. 3. Quilibet Chriſtianus habet omnem pote- 216
ſtatem, quam Catholici Sacerdotibus tribuunt. Sic quilibet poteſt baptizare, ut ipſi fatemur. 2. Conſecrare: *Hoc facite in meam commemorationem,* Luc. 22 v. 19, & 1 ad Cor. 11 v. 23: *Ego enim accepi a Domino, quod tradidi vobis.* 3. Abſolvere juxta illud Matth. 18 v. 18: *Quæcunque alligaveritis ſuper terram.* 4 Sacrificare: *Ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem*, ad Rom. 12 v. 1. Reſp Neg. Ant. Nam 1. Laicis tantum licet baptizare in neceſſitate, in qua id etiam poſſunt Turcæ & Judæi. 2. Verba: *Hoc facite in meam commemorationem* a Chriſto directa ſunt ad ſolos Apoſtolos tunc præſentes. 3. Idem eſt de verbis: *Quæcunque alligaveritis*, ut conſtat ex perpetua praxi univerſalis Eccleſiæ. 4. Sacrificium, quod fit per mortificationem corporum, non eſt ſacrificium proprie tale, ſed metaphoricum & in ſenſu ſpirituali acceptum.

217 Dices. Saltem quilibet poteſt pro aliis orare, ut patet ex oratione Dominica, omnibus præſcripta. 2. Judicare de doctrina; nam Matth. 7 v. 15 dicitur: *Attendite a falſis prophetis.* 3. Concionari juxta illud 1 ad Cor. 11 v. 26: *Mortem Domini annunciabitis*, & cap. 14 v. 31: *Poteſtis omnes per ſingulos prophetare, ut diſcant.* Imo 4 in Scriptura ſæpe legitur, quod fœminæ prophetaverint. Reſp. ad 1. Quamvis quilibet poſſit orare pro aliis privatim, oratio tamen publica in Divinis præſertim officiis ad ſolos Eccleſiæ miniſtros pertinet. Ad 2. Judicium authenticum de doctrina ne quidem cuilibet Sacerdoti, aut Epiſcopo, ſed tantum Conciliis & ſummo Pontifici conceſſum eſt. Ad 3. Mortem Domini quilibet debet annunciare non concione ſed ſumptione S. Euchariſtiæ in memoriam paſſionis facta. In altero textu Apoſtolus ſolum loquitur de illis, qui linguam, id eſt, donum linguarum habent, quod non omnibus datur. Ad 4. Mulieres dicuntur prophetaſſe non per publicam inſtructionem aut concionem in Eccleſia, ſed vel futura prædicendo, vel privatim DEI laudes annunciando.

218 Obj. 4. S. Scriptura nomen *Clerus* omnibus fidelibus tribuit: *Paſcite, qui in vobis eſt, gregem DEI . non ut dominantes in Cleris, ſed forma facti gregis in animo*, 1 Petr. 5 v. 2 & 3: ergo quilibet homo eſt Sacerdos, modo a communitate eligatur, & ipſe ſuam electionem acceptet. Conf. Ut aliquis fiat Rex, plus non requiritur, quam ut a communitate eligatur, & ſceptrum capeſſat. Reſp. Diſt. Ant. Scriptura nomen *Clerus* late acceptum tribuit omnibus fidelibus, Conc. Ant. acceptum in ſenſu ſtrictiore, Neg. Ant. & Conſ. Græca vox κλῆρος idem ſonat ac portio, ſors, ſive hæreditas, quæ ſorte alicui obvenit, in quo ſenſu communis eſt

est omnibus fidelibus: in sensu autem strictiore ab Ecclesia solum tribuitur illis, qui specialiter DEO consecrati, & potestate sacra donati sunt. Sic licet in antiqua lege totus populus Israeliticus Psal. 32 v. 12. Clerus sive hæreditas Domini fuerit appellatus, tamen hoc nomen Deuter. 18 v 2 specialiter tribuitur Sacerdotibus & Levitis. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Cons. Potestas Regia est profana, & ortum suum ab ipsis hominibus, & electione populi habet: potestas vero Sacerdotalis est sacra, & a Christo instituta, unde solum illis convenit, quibus Christus eam concedere voluit.

Dices. Etiam potestas Sacerdotalis non est jure 219
Divino, sed tantum Ecclesiastico introducta; nam Tertullianus lib. de Exhort. Castit. cap. 7 ait: *Differentiam inter ordinem & plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, & honor per Ordinis Consessum sanctificatus a DEO. Ubi Ecclestastici Ordinis non est consessus, & offers, & tingis, & Sacerdos es tibi solus, sed ubi tres Ecclesia est, licet laici.* Resp. Neg. Ant. Liber de Exhortatione castitatis est unus ex illis, quos Tertullianus post lapsum in hæresin Montani contra Catholicam Ecclesiam scripsit. Dein non dicit differentiam inter Ordinem & plebem solius Ecclesiæ auctoritate esse constitutum, sed etiam *per Ordinis Consessum sanctificatum a DEO.* Per vocem *offerre* intelligit meram panis & vini oblationem, quam dispersis aut latitantibus metu persecutionis ministris fideles ad qualecunque suum solatium sacram liturgiam imitando facere consueverant, in quo sensu sæpius hanc vocem usurpat, & in Libro de præscript. cap 41 expresse docet, sacerdotalia munera laicis non posse demandari.

Obj. 5. Juxta nos Laici nequidem possent ba- 220
ptizare, quia Christus Matth. 28 v. 19 ad solos Apostolos dixit: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos* &c. Conf. Concilium Carthaginense IV

Can. 100 ſtatuit: *Mulier baptizare non præſumat.* Pariter S. Epiphanius Hæres. 42, & Tertullianus lib. de Bapt. cap. 17 docent, Mulieri non permiſſum eſſe docere aut baptizare, & S. Auguſtinus lib. 2 adverſ. Epiſt. Parmen. cap. 13 dicitur dubitaſſe, an Baptismus a laico collatus valeat: ergo Reſp. Neg. Ant. Quando Chriſtus ea verba dixit, præter Apoſtolos adfuere quingenti circiter fratres, ut habetur 1 ad Cor. 15 v. 6, & jam tempore Apoſtolorum Philippus Diaconus, & Ananias, qui probabiliter fuit laicus, baptizarunt. Ad Conf. Conc. Ant. Diſt. Cons. Ergo laici non poſſunt baptizare publice & ſolemniter, Conc. Cons. privatim, Subdiſt licite & ſine neceſſitate, Conc. Cons. valide, Neg. Cons. Magiſter Sententiarum lib. 4 diſt. 6 refert Canonem Carthaginenſem cum hac additione: *Niſi neceſſitate urgente*, quam etiam addit Gloſſ. diſtinct 3 de conſecrat. Si S. Auguſtinus dubitavit, tunc ideo, quia hæc quæſtio nondum ab ullo Concilio fuerat deciſa; at modo res definita eſt.

QUÆSTIO II.

An ad valorem Sacramentorum requiratur in miniſtro fides?

221 Controverſia hæc ſumma ingeniorum contentione agitata fuit III Eccleſiæ ſæculo inter Stephanum I ſummum Pontificem ex una parte, & Cyprianum, Firmilianum, cæterosque Africanos, Orientalesque Epiſcopos ex altera parte. Contendebant iſti ab hæreticis aut ſchismaticis baptizatos in Eccleſia Catholica rebaptizandos eſſe, quam opinionem tam ſpecioſis argumentis muniebant, ut

ut S. Augustinus lib. 3 de Baptis. cap. 4 fateatur, sibi rationes, quibus Cyprianus causam suam defendebat, aliquando visas fuisse tam firmas, ut nisi obstitisset auctoritas Ecclesiæ, iis victus ac superatus esset &c. Econtra Stephanus, auctoritate Apostolicæ traditionis superior, rebaptizantibus graviter succensebat, & asserebat, Baptismum Christi ex defectu solius fidei in ministro in nullo hæretico aut schismatico iterandum, nihilque innovandum esse, nisi quod traditum est.

Cyprianus tamen non fuit auctor primus hujus controversiæ; quippe hæreticos & schismaticos rebaptizandos esse jam prius in Phrygia, Asiæ minoris provincia, statuerat Concilium Iconiense, & Synnadense, ut testatur Dionys. Alexandr. in Epist. 3 ad Phylemon. Idem in aliquot Episcoporum synodo decreverat Agripinus Cypriani in Episcopatu Carthaginensi Antecessor, ut testatur ipse Cyprianus in Epist. ad Jubajanum scribens: *Apud nos non nova aut repentina res est, ut baptizandos censeamus eos, qui ab hæreticis ad Ecclesiam veniunt, quando multi jam anni sunt, & longa ætas, ex quo sub Agripino bonæ memoriæ viro convenientes in unum Episcopi plurimi hoc statuerint.* Ubi notandum, quod S. Augustinus lib. 4 contra Donat. cap. 6 ætatem, quam Cyprianus hic longam appellat, ad pauculos annos contrahat, siquidem a Concilio Agripini, quod non nisi anno 217 haberi potuit, usque ad annum 256, quo Cyprianus epistolam ad Jubajanum scripsit, duntaxat 39 anni interjacent. 222

Porro ipse Cyprianus propter hanc causam plura Concilia convocavit, primum anno 255, in quo a Januario, aliisque Numidiæ præsulibus de Baptismate hæreticorum, & schismaticorum consultus cum 31 Episcopis respondit, *Extra Ecclesiam Catholicam non posse dari vera Sacramenta; hinc* 223

necessario rebaptizandos, vel potius, cum antea nihil habuissent, simpliciter baptizandos esse, quicunque in hæresi aut schismate aqua profana & adulterina tincti fuerint. Alterum Concilium eadem quæstione a Quinto Mauritaniæ Episcopo incitatus celebravit anno 256. In hoc non solum priorem responsionem a 71 Episcopis confirmari curavit, sed etiam scripta synodica epistola humanitatis plena duos Episcopos Romam legavit, qui una cum litteris suis tum istius tum præcedentis synodi acta, variaque quæstionis hujus instrumenta ad Stephanum deferrent, nihil dubitans, quin sanctissimus Papa sententiæ suæ esset accessurus.

224 Verum Stephanus antiquæ doctrinæ & fidei tenax, zelo veritatis ita contra legatos ad se Episcopos exarsit, ut nec amplexu fraterno, nec aspectu illos sit dignatus, severeque, ne quis eis tectum vel mensam commodaret, inhibuerit, contra Cyprianum vero litteras valde acerbas, & duris expressionibus inspersas dictavit, eidem & collegis ejus minitans excommunicationem, nisi resipiscerent. Similem epistolam dedit ad Firmilianum, qui cum Ciliciæ, Cappadociæ, aliisque Orientalibus Episcopis eundem cum Cypriano errorem tuebatur. Utrum vero Stephanus Cyprianum & Firmilianum cum eorum Episcopis revera excommunicaverit, aliqui controvertunt; sed nullus antiquorum, qui hanc controversiam narrant, illos anathemate percussos fuisse affirmat, imo S. Augustinus lib. 5 contra Donat. cap. 25 testatur, Cyprianum cum his, qui diversa sentiebant, in unitate mansisse, & nullum schismatis malum ex hac disceptatione ortum fuisse. Cum Firmiliano quoque cæteri orthodoxi Episcopi communicarunt, ut patet ex Concilio Antiocheno contra Paulum Samosatenum, cui Firmilianus interfuit.

Quare

Quare P. Biner in Apparat. Erudit. part. 4 cap. 3 ait, Cyprianum & Firmilianum a Stephano Communione quidem amicitiæ & fraternitatis privatos, nunquam tamen in sensu proprio & stricto excommunicatos fuisse.

Interim illi minis Papæ non acquieverunt, ut 225
colligitur ex litteris, quas vicissim Cyprianus ad Stephanum, & Firmilianus ad Cyprianum dedit, in quibus nimio contentionis æstu abrepti multa non satis decentia contra summum Pontificem effuderunt, præsertim Firmilianus, nisi ejus epistola sit supposita & corrupta, utpote quam ignoravit S. Augustinus, & primum Morellus Calvinista, nescio unde, produxit. Certe Cyprianus ne putaretur Romano Pontifici acquiescere, eodem anno 256 novum ex Africa, Numidia, & Mauritania 78 Episcoporum Concilium Carthagine coegit, cui etiam magnus numerus Presbyterorum & Diaconorum cum maxima parte plebis interfuit, in quo Episcopi ad unum omnes pro anticipata sua opinione sententiam dixerunt. Unde S. Augustinus dubitat, an Cyprianus unquam errorem suum deposuerit. *Fortasse factum est*, inquit lib. 2 contra Donat. cap. 4, *sed nescimus*. Neque verisimile est, si tantus præsul palodiniam cecinisset, quod præclarum hoc factum nullus antiquorum annotasset, & Africana Ecclesia multo post ejus mortem tempore morem rebaptizandi retinuisset. Firmilianum quoque in sua opinione perstitisse colligunt tum ex epistola Dionysii Alexandr. ad Xystum, in qua testatur, quod Orientales erroris sui retinentissimi fuerint: tum ex auctoritate S. Basilii, qui post centum & amplius annos in sede Cæsareensi Firmiliano successit, & omnes hæreticos rebaptizavit, se suorumque morem exemplo Cypriani & Firmiliani defendens epist. Canon. ad Amphilochium Can. 1.

226 Nihilominus uterque excusari meretur; quamquam enim defendendo sententiam fidei reipsa contrariam charitatis, patientiæ & humilitatis erga summum Pontificem limites excesserint, veritatem tamen sibi propositam non satis agnoverunt, multosque sibi consentientes habuerunt viros præstantissimos confessionis Christianæ, & Martyrii gloria insignes, parati omnino corrigi, si quæstio hæc authentica Ecclesiæ auctoritate fuisset definita. Profecto Firmilianus magna sanctitatis fama celebratur, Patres Antiocheni in Concilio contra Paulum Samosatenum illum vocarunt virum beatæ recordationis, & Orientalis Ecclesia inter Sanctos veneratur. Cyprianum S. Augustinus libr. 4 contra Donat. cap. 5 vocat *Sanctum*, & non solum *doctum*, sed etiam *docibilem*, qui, quidquid ex zeli magnitudine, & qualicunque errore peccavit, cruenta Martyrii pœnitentia eluit. Accedit, quod Cyprianus cum suis collegis probabilius existimaverit præsentem controversiam tantum pertinere ad disciplinam Ecclesiæ; nam & in Conciliis & in epistolis suis sæpe protestatur, *Se propter istam dissensionem neminem a jure communionis amovere, sed vinculum unionis integrum servaturum*; ad Stephanum vero epistol. 72 scripsit, *Se salvo pacis & concordiæ vinculo nemini legem dare, cum habeat in Ecclesiæ administratione voluntatis suæ arbitrium liberum unusquisque præpositus, rationem actus sui Domino redditurus.*

227 Cæterum licet error rebaptizantium brevi post mortem Cypriani plenario totius orbis Concilio proscriptus fuerit, ut sæpius, nominatim lib. 2 contra Donat. cap. 9 asserit S. Augustinus, nihilominus postea aliqui reperti sunt, qui sive Canones Concilii Lateranensis, vel potius, ut in Tractatu de fide dicetur, Nicæni primi ignorarint, sive legitimum eorum sensum non fuerint assecuti, reba-

rebaptizandi consuetudinem retinuerunt. Dispari longe modo & hæretica pertinacia Sæculo IV eundem errorem propugnarunt Donatistæ, qui teste S. Augustino lib 3 de Hæres. num. 69 non solum ab hæreticis & schismaticis, sed etiam a Catholicis baptizatos rebaptizarunt; ipsosque Catholicos, quod Baptismum in hæresi aut schismate susceptum non repeterent, pro hæreticis habebant, & licet S. Augustinus definitionem totius Ecclesiæ sæpius ipsis opposuerit, nihilominus eandem diu maxime in Africa divexarunt, contendentes, Ecclesiam toto orbe terrarum malorum contagie prostratam, & penitus extinctam in sola Donati parte, ex qua ultra 400 Episcopi stabant, perseverasse. Porro a S. Augustino per Concilium plenarium probabilius denotatum fuisse Nicænum I, colligitur ex eo, quia illud vocat Concilium totius orbis, Universæ Ecclesiæ, & cunctarum gentium. Addit fuisse celebratum post passionem Cypriani, & antequam ipse natus esset; atqui inter ipsius nativitatem, & mortem Cypriani tantum celebratum est Concilium Nicænum I, & Arelatense I, quod ultimum licet fuerit valde numerosum, non tamen fuit universale, sed ex solis Occidentalibus Episcopis conflatum.

Dicendum: Fides ministri non est necessaria 228
ad valorem Sacramenti. Prob. 1 ex traditione & constanti praxi Ecclesiæ, quam omni memoria antiquiorem esse, & a primis temporibus in universa Ecclesia viguisse, fatentur ipsi rebaptizantes; Orientales enim cum Firmiliano initium doctrinæ suæ repetebant ex Conciliis Iconiensi & Synnadensi, quæ neutiquam primævam ætatem æquabant: Cyprianus vero cum Africanis nitebatur auctoritate Agripini, nec ullum antiquius testimonium ad defensionem suæ causæ proferre valebat.

Hinc S Stephanus Epist. ad Cyprian. illis opposuit traditionem & consuetudinem: *Si quis, inquiebat, a quacunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam.* De eadem consuetudine S. Augustinus lib. 2. de Baptis. cap. 7 ait: *Saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia in ipsis quoque schismaticis & hæreticis corrigere, quod pravum est* (doctrinam pravam) *non iterare, quod datum est* (Sacramentum Baptismi) *quam consuetudinem credo ex Apostolica traditione venientem, sicut multa, quæ non inveniuntur in litteris eorum, neque in Conciliis posteriorum.*

229 Probatur 2 auctoritate Conciliorum & Patrum. Concilium Arelatense I anno 314 Can. 8. negat rebaptizandos esse Afros, si constaret eos in Patre & Filio & Spiritu Sancto baptizatos esse. Nicænum I anno 325 sine Baptismo jubet recipi Catharos seu Novatianos, Can. 19 autem rebaptizari Paulianistas, Pauli Samosateni discipulos. Rationem dat Innocentius I Epist. 22 ad Episc. Maced. cap 5. Quia Novatiani baptizabant ritu a Christo præscripto, non item Paulianistæ. Similia habent Concilium Laodicenum anno circiter 364 can. 7. Capuanum anno 389 can. 48. Constantinopolitanum I anno 381 can. 7. Arelatense II anno 452 can. 16 & 17. Denique Tridentinum sess. 7 can. 4 ita habet: *Si quis dixerit Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum, anathema sit.* Quod autem de Baptismo dictum ex mente Ecclesiæ, debet etiam intelligi de reliquis Sacramentis, imo de Ordine expresse decretum est in Concilio Alexandrino anno 392, in Ephesino anno 431 act. 7, in Nicæno II act. 1. Ex SS. Patribus S. Augustinus errorem rebaptizantium expresse refutavit lib. 2 de

de Baptis. contra Donat S. Hieronymus contra Luciferianos allegans Julium, Malchum, Sylveſtrum &c. veteris Romæ Epiſcopos.

Probatur 3 ratione Theologica. Miniſter Sacramentorum non agit virtute & auctoritate propria 230
ſed Chriſti, adeo ut non tam miniſter quam ipſe Chriſtus Sacramentum conferat. *Quid enim eſt Apollo? quid vero Paulus? miniſtri ejus, cui credidiſtis,* 1 ad Cor 3 v. 4. *Neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus,* v. 7. *Supra quem videritis Spiritum Sanctum deſcendentem, hic eſt, qui baptizat,* Joan. 1 v 33. In quæ verba S. Auguſtinus Tract. 5 in Joan. ait: *Baptisma tale eſt, qualis eſt ille, in cujus poteſtate datur, non qualis ille, per cujus miniſterium datur, quod dabatur a Paulo, & quod dabatur a Petro, Chriſti erat, & ſi datum eſt a Juda . . . Chriſti erat. Columbam attendo, per quam mihi dicitur: hic eſt, qui baptizat:* ergo hæreſis & infidelitas miniſtri non poteſt obeſſe valori Sacramentorum, imo neque fructui, ſi ex parte recipientis non ponatur obex. Ex quibus vides, quod noſtra doctrina Catholica aliquo modo fundetur in ipſa Scriptura, licet in eadem clare & expreſſe non ſit revelata.

Objectiones ex S. Cypriano.

Obj. 1. Quæſtio de valore Sacramenti ab hæ- 231
reticis & ſchismaticis collati potiſſimum debet decidi ex traditione & praxi Eccleſiæ; atqui hanc Cyprianus & Firmilianus non ſolum negant, ſed ille Epiſt. ad Jubaj. potius conſuetudinem rebaptizandi teſtatur eſſe antiquam; hic vero Epiſt. ad Cyprian. dicit illam a Chriſto & Apoſtolis eſſe profectam. Verba illius ſunt: *Ab initio hoc tenentes, quod a Chriſto & Apoſtolis traditum eſt, nec memini-*

mus hoc apud nos aliquando cœpisse &c. Resp. Conc. Maj. Neg. Min. vel potius ejus suppositum. Quam longa fuerit consuetudo reba ptizandi, qua Cyprianus gloriatur, dixi num 222, neque illa Januarius, Quintus, aliique Africæ & Numidiæ Episcopi ita fuissent turbati, & tanta sollicitudine Cyprianum consuluissent, si a primis temporibus invaluisset. Firmilianum quoque nimi s in suo sensu abundasse patet ex num 225. Qua mquam enim praxis rebaptizandi illos, qui contra Divinam legem formaque adulterata tincti fuerant, a Christo & Apostolis sit profecta, mos tamen rebaptizandi ritu Evangelico ablutos primum a Synodis Iconiensi & Synnadensi in Orientem invectus est. Hinc ipse Cyprianus & Firmilianus antiquam consuetudinem vere a Stephano sibi opponi non negabant, sed contendebant illam esse veterem errorem, cui veritatem anteponere oporteat, adeoque potius ratione rem decidendam esse, ut patet ex Epist. 74 Cyprian. ad Pomp. & Epist. Firmilian. ad Cyprianum.

232 Dices 1. Sæculo III Cypriani & Firmiliani opinio a pluribus Conciliis fuit stabilita, eamque fere omnes Episcopi in Africa, Cappadocia, Cilicia, Galatia &c. amplexi sunt; Cyprianus vero eandem in suis epistolis passim vocat veritatem, Catholicæ regulæ firmitatem, sententiam religiosam, fidei salutarem, quæ certa primævæ antiquitatis testimonia sunt. Resp Conc. Ant Neg. Cons. Quantuscunque hic Episcoporum numerus fuerit, fuit tamen in comparatione contradicentium exiguus; vix enim rebaptizantium error eruperat, cum undique ad novitatem rei cuncti reclamarunt, inquit Vincentius Lyrinens Commonit. cap 9, sola in Occidente Africa contradixit, nec tamen tota, cum ad summum 81 Episcopi pro Cypriano steterint,

rint, in Oriente autem, ubi tunc temporis maxima Episcoporum multitudo erat, non nisi 50 Firmiliano adhærebant. Neque dicta Cypriani aliquid probant, utpote nimis liberaliter in causa propria prolata contra mentem Catholicæ Ecclesiæ, ut advertit S. Augustinus lib. 2 contra Crescon. cap. 32: *Non accipio*, inquit, *quod de baptizandis hæreticis & schismaticis beatus Cyprianus sensit, quia hoc Ecclesia non accipit, pro qua beatus Cyprianus sanguinem fudit.*

Dices 2. Ipse Stephanus circa hanc quæstionem 233 erravit, indefinite docens, nullum hæreticum esse rebaptizandum, ut testatur Cyprian. Epist. 74 ad Pomp. atqui juxta nos debent rebaptizari, qui apud hæreticos adulterata forma tincti fuerunt. Conf. Quotquot hæretici a Christo usque ad Stephanum exorti sunt, formam Baptismi corruperunt, ut patet ex horrendis errorum portentis, quæ in Deum unum & trinum confinxerunt. Resp. Neg. Maj. Etsi decretum Stephani verbis indefinitis conceptum videatur, illud satis limitatur per verba: Nihil innovetur, nisi quod traditum est; traditio enim Ecclesiæ nunquam alium approbavit Baptismum, nisi ritu evangelico collatum, neque tum de forma Baptismi, sed de sola fide ministri controversia erat; unde Cyprianus vel mentem Stephani non fuit assecutus, vel disputationis æstu plus æquo exaggeravit. Ad Conf. Neg. Ant. & Cons. Nam S. August. lib. 6 de Baptis. cap. 25 observat, facilius inveniri hæreticos, qui omnino non baptizent, quam qui verbis evangelicis non baptizent, nec ullum apud orthodoxos erat dubium, quin irritum sit Baptisma, absque debita forma administratum. Præterea Sacramentum Ordinis, Confirmationis &c. sæpius ab hæreticis debito ritu confectum est, ex quibus proin traditio Ecclesiæ satis colligi potuit.

Obj.

234 Obj. 2. Hæretici sunt foris positi, & extra Ecclesiam constituti: ergo nullum habent jus in Sacramenta, neque illi, qui in hæresi baptizantur, Christum induunt; *Quæ enim conventio Christi ad Belial?* inquit Apostolus 2 ad Cor. 6 v. 15. Conf. In hæresi nihil aliud percipitur, quam quod creditur; sed quod creditur, est falsum: ergo etiam quod percipitur, est falsum & nullum. Resp. Conc. Ant. Dist. Cons. ergo nullum habent jus in Sacramenta virtute propria & licite administranda, Conc. Cons. administranda valide & auctoritate Christi, Neg. Cons. Qui ab hæretico baptizatur, & illius malitiæ & errori consentit, Christum quidem non induit ad vitæ sanctificationem, attamen ad Sacramenti perfectionem. Qui vero bona fide ab hæretico ministro Sacramentum percipit, nullam conventionem habet cum Belial, & virtute Sacramenti etiam accipit remissionem peccatorum. Ad Conf. Neg. Maj. Sicut aliquis potest integre scire verba symboli, & tamen non recte credere: sic potest valide percipere integrum Sacramentum, etsi non recte credat. Licet itaque vera fides sit necessaria ad salutem, non ideo etiam necessaria est ad valorem Sacramentorum, ut notat S. Augustinus lib. 3 contra Donat. cap. 14.

235 Dices 1. Verus Baptismus est lavacrum regenerationis, & fons vitæ; atqui hunc non habent hæretici, sed tantum aquam adulteram & mendacem, ad quam vetamur accedere: *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas*, ait DEUS apud Jerem. cap 2 v. 13. Hinc profanum hæreticorum Baptisma idem Propheta cap. 15 v. 18 ita perstringit: *Quare plaga mea desperabilis renuit curari? facta est mihi quasi mendacium aquarum infidelium.* Conf. Arca Noe aquis diluvii innatans fuit figura Ecclesiæ Christianæ; atqui aqua

aqua diluvii non fuit fons salutis, nisi iis, qui in ea continebantur. *In Arca Noe pauci, id est, octo animæ salvæ factæ sunt, quod & vos nunc similis formæ salvos facit Baptisma*, 1 Petr. 3 v. 20. Resp. Conc. Maj. Dist. Min. Hæretici tantum habent aquam adulteram & mendacem, quatenus hæretici sunt, Conc. Min. etiam in iis, quæ habent communia cum Ecclesia Catholica, Neg. Min. Sicut fluvius paradisi etiam in terras exteras diffundebatur, ita inquit S. August. lib. 4 de Baptism. cap. 1 fons aquæ vitalis in Ecclesia Catholica positus foris exundat. Ad Conf. iterum Dist. Min. aqua diluvii non fuit fons salutis, nisi iis qui in Arca concludebantur spectato effectu, quia nimirum ab interitu communi hos solos liberavit, Conc. Min. spectata virtute, quasi per se alios salvare non potuerit, Neg. Min. & Cons.

Dices 2. Juxta illud Joan. 20 v. 22: *Accipite* 236
Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata &c. nemo potest peccata remittere, nisi habeat Spiritum Sanctum; atqui hæretici illum non habent: ergo Conf. Baptismus in hæresi collatus non potest plus valere, quam Christi confessio, & mors pro ipso tolerata; atqui hæc in hæresi nihil ad salutem proficit: hinc S. Joan. Epist. 2 v. 10 jubet: *Siquis venit ad vos, & hanc doctrinam* (veræ Ecclesiæ) *non habet, nolite recipere in domum, nec ave ei dicatis.* Resp. Dist. Maj. Nemo potest remittere peccata, nisi habeat Spiritum Sanctum, id est, potestatem per Spiritum Sanctum ipsi communicatam, Conc. Maj. Spiritum Sanctum ipsi inhærentem per gratiam, Neg. Maj. & sic Dist. Min. Cons. Potestas conficiendi Sacramenta non est gratia gratum faciens, sed gratis data in utilitatem aliorum, quæ etiam in impiis & infidelibus dari potest. Ad Conf. Neg. suppos. quod hæretici veram Christi confessionem

ſionem habeant, aut mortem propter illam obeant. Ex eo autem, quod S. Joannes prohibeat cum hæreticis communicare, ſolum ſequitur, quod Sacramenta absque neceſſitate apud illos non poſſint ſuſcipi licite.

237 Obj 3. Sacramenta a Chriſto ſoli Eccleſiæ veræ conceſſa ſunt; ergo ubi non eſt Eccleſia vera, non datur verum Sacramentum; atqui apud hæreticos non eſt vera Eccleſia: ergo Conf. Chriſtus ex ſola ſponſa ſuſcipit filios, non ex adultera, quæ a Chriſto ſeparata ſolum gignit proles adulteras. *Si enim extra diſciplinam eſtis . . . ergo adulteri, & non filii eſtis*, ad Hebr. 12 v 8. Reſp Conc. Ant. Neg. Cons. & ſuppoſitum, quod Sacramenta ab hæreticis adminiſtrata ad veram Eccleſiam non pertineant. Sicut enim res tua ad te ſolum pertinet, a quocunque poſſeſſore detineatur: ſic licet Sacramenta ab hæreticis quaſi detineantur, & illicite uſurpentur, revera tamen ſpectant ad Eccleſiam Catholicam. Ad Conf. Neg. Ant. Quemadmodum Lia & Rachel per ancillas jure conjugali filios pepererunt, ſic hæretici non ſunt ita a Chriſto ſeparati, ut iis Eccleſia ad procreandos ſponſo ſuo filios uti nequeat. Itaque Eccleſia vera omnes per Baptismum parit, ſi apud ſe, ex utero ſuo, ſi extra ſe, ex ancilla.

238 Dices. Vel Baptismus extra Eccleſiam collatus eſt diverſus a Baptismate Eccleſiæ, vel idem; non diverſus; quia ſicut unus DEUS, una fides, una Eccleſia, ſic unum eſt Baptisma: non idem, quia Eccleſia Cant. 4 v 12 appellatur *hortus conclusus, & fons ſignatus*, ad quem hæreticis non patet acceſſus. Conf. Si Baptismus hæreticorum valeret, poſſet acquiri ſalus extra Eccleſiam; hoc eſt falſum: ergo. Reſp. Conc. Maj. Neg. Min. & dico, utrumque Baptisma eſſe idem, & tantum numero diverſum, ſiquidem ritu debito ad-

adminiſtretur; tunc enim utrumque conſtat eadem materia & forma, eundem habet auctorem, & pertinet ad eandem Chriſti Eccleſiam; ad quam licet hæreticis non pateat aditus, quamdiu in ſuo errore perſiſtunt, proficit tamen illis ad ſalutem, ſi ad veram Eccleſiam redeunt. Porro non ideo dictum eſt, una fides, unum Baptisma, quaſi hoc ſine illa non poſſit eſſe verum, ſed quia tam Baptismus modo debito collatus eſt unus, quam Eccleſia a Chriſto fundata eſt una. Ad Conf. Neg. Maj. Qui ab hæreticis Baptismum bona fide accipit, non eſt extra Eccleſiam, ſed illius membrum, quamvis ſi erroribus ſuis poſtea inſiſtat, a vera Eccleſia deficiat.

Obj. 4. Sacramentum, quod caret effectu eſt 239
nullum; atqui Sacramentum ab hæreticis collatum caret effectu; nam *ab immundo quis mundabitur*, Eccleſ. 34 v. 4. & 30: *Qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lavatio ejus.* Item Num. 19 v. 22: *Quidquid tetigerit immundus, immundum faciet.* Conf. Quos Joannes baptizavit, iterum ſunt baptizati a Paulo: ergo multo magis debent rebaptizari, quos baptizarunt hæretici. Reſp. Neg. Maj. & Min. Hic ipſe fuit magnus error Cypriani, quod valorem Sacramenti non diſtinxerit ab ejus fructu, quamquam, ut ſupra dixi, etiam Baptismus ab hæreticis collatus fructu non careat. Ex textu primo ſolum ſequitur, quod nemo poſſit mundari ab immundo tanquam cauſa principali. Alter loquitur de immunditia legali hoc ſenſu, qui lavatur ab immunditia, quam ex attactu mortui contraxit, ſi mortuum iterum tangit, lavatio nihil illi prodeſt. Tertius ad ſummum probat, immundum eſſe, quidquid hæretici agunt ex virtute propria, & merito ſuo. Ad Conf Conc. Ant. Neg. Cons. Baptisma Joannis non fuit Baptisma

Christi, & peccata solum remittebat in spe; econtra Baptisma ab hæreticis ritu Evangelico consecratum, non est ipsorum, sed Christi.

240 Dices. Ut Sacramentum conferatur valide, id fieri debet in nomine Christi, & minister debet agere ut instrumentum Christi; atqui hæretici non possunt esse ministri, & instrumentum Christi; nam instrumentum debet esse cum agente principali conjunctum. Conf. Nostra sententia patrocinatur hæreticis & schismaticis, eorumque pertinaciam confirmat; si enim viderint sua Sacramenta a nobis probari, putabunt, se Ecclesiam & Ecclesiastica munia juste possidere, nec ullam habere causam ad nos revertendi. Resp. Conc. Maj. Neg. Min. rationem additam dist. instrumentum cum agente principali debet esse conjunctum per institutionem, & intentionem, qua vult facere, quod Christus instituit, & cujus agendi potestatem ipsi dedit, Conc. necessario etiam per fidem & amicitiam, Neg. Ad Conf. Neg. sequelam; cum hæreticis tantum concedamus potestatem Sacramenta administrandi valide, simulque doceamus, ea, nisi ad veritatem & unitatem Ecclesiæ redierint, non ad ipsorum salutem, sed ad perniciem valitura, non magis illorum pertinaciam probamus, quam probat scelus militum desertorum, qui in illis signum imperatoris agnoscit. *Aut forte dicemus, Sacramenta rite administrata esse ipsorum? quasi ea contaminare potuerint, aut propterea sua facere, quia ipsi DEI esse noluerunt*, inquit S. Augustinus lib. 3 contra Donat. cap. 19.

Obje-

Objectiones aliorum.

Obj. 5. Synodus Nicæna can. 19 ait: *Si quis confugit ad Ecclesiam Catholicam de Paulianistis, & Cataphrygis, statutum est, rebaptizari eos omnino debere;* 241
atqui Montanistæ seu Cataphryges tempore Concilii Nicæni consueta Ecclesiæ forma baptizarunt, ut testatur S. Athanasius lib. 3 contra Arianos. Pariter Synodus Constantinopolitana I can. 7 jubet rebaptizari Montanistas, quos Phryges vocat, & Sabellianos, qui Patrem & Filium eundem esse arbitrabantur. Idem Synodus Laodicæna can. 8 statuit de Cataphrygis. Resp. Vocem Cataphrygis legi quidem in versione Isidori, sed vitio irrepsisse colligitur, quia nec in canone Græco, nec in versione Dionysii Exigui habetur. Tempore autem Synodi Constantinopolitanæ, videlicet anno 381, imo & Laodicænæ, quæ anno 364 celebrata est, Montanistæ jam in hæresin Sabellianam inciderant, & formam Baptismi corruperant. Porro Synodus Nicæna can. 8 expresse ratum habuit Baptismum Novatianorum, quorum tunc eadem cum Montanistis erat conditio; Constantinopolitana vero can. 7 Macedonianos & Arianos, & Laodicæna can. 7 Novatianos & Photianos sine novo Baptismo ad Ecclesiæ communionem admittit, ex quibus manifeste patet, quod Baptismum Montanistarum non rejecerint ideo, quod hæretici essent.

Dices. Canone Apostolorum 45 & 46 pœna 242
depositionis imponitur Episcopo vel Presbytero, *Qui hæreticorum Baptismum vel sacrificium admiserit, & eum, qui ab impiis pollutus est, non baptizaverit.* Conf. Concilium Constantinop. III anno 688 approbavit omnes Canones Apostolorum, & Synodos a Cypriano celebratas, in quibus Baptismus

hæreticorum fuit reprobatus. Resp. Qui hos Canones tanquam vere Apostolicos agnoscunt, dicunt, eosdem loqui de solis illis hæreticis, qui formam Baptismi corrumpebant. Verum Critici hoc ævo passim contendunt, Canones illos non ab ipsis Apostolis factos, sed ex variis antiquis Conciliis particularibus compilatos esse, proin Canonem 45 & 46 fuisse desumptos ex Concilio Iconiensi, in quo error rebaptizantium assertus fuit. Ad Conf. Concilium, quod hic objicitur, revera non fuit Generale VI, sed Conciliabulum aliquot annis postea sine auctoritate Apostolica celebratum in Aula Imperatoris, & a Trullo Trullanum appellatum. Canones 103 ab illo conditi, multa absurda, atque etiam hæretica continent; aliquos tamen postea Ecclesia recepit.

243 Obj. 6. Baptismum hæreticorum invalidum esse non solum docuerunt Tertullianus & Dionysius Alexandr. sed etiam SS. Athanasius, Basilius, Optatus Milevit. & Cyrillus Hierosolym. qui post Concilium Nicænum floruerunt: ergo. Resp. Trans. Ant. Neg. Cons. Opinio aliquot Patrum non potest prævalere universali reliquorum traditioni, & totius Ecclesiæ judicio; quamquam neque omnes hic nominati rebaptizantium errorem aperte docuerint. Certe Dionysius Alexandr. dum inaudiit intentatam a Stephano rebaptizantibus excommunicationem, apud illum pro Cypriano & Firmiliano intercessorem egit, & ipsemet quorumdam hæreticorum Baptismum ratum habuit, ut testatur S. Basilius Can. 1 Epist. ad Amphiloch. S. Optatus Milevitanus lib. 1 contra Parmenian. distinguit quidem inter schismaticos & hæreticos, sed per hos solum videtur denotare illos, qui Symbolum, id est, invocationem SS. Trinitatis vitiant. S. Cyrillus Hierosolym. dum in præfat. in Catechef. ait: *Soli hæretici rebaptizantur, siquidem illud prius non erat*

erat Baptisma, particulam *siquidem* non accepit causaliter, sed conditionaliter, ut ex Græco idiomate evincere conatur Laurentius Berti, & ex eo suadetur, quod interfuerit & subscripserit Concilio Constantinop. I, in quo veritas catholica clare definita fuit. Plura vid. apud Tournelium de Sacrament. in genere quæst. 7 art. 2.

Dices 1. Ex auctoritate istorum Patrum saltem 244
colligitur, quod controversia de rebaptizandis hæreticis in Concilio Nicæno non fuerit definita; alias laudati Patres decisionem hanc ignorare non potuissent. Resp. Neg. Ant. Nam 1. Canones Nicæni forte illo tempore nondum omnes cunctis fuerunt noti, sicut non satis noti erant Carthaginensi Concilio, quando causa appellationis cum Zosimo Papa agitabatur. 2. Quia Synodus Nicæna dogma catholicum non definivit in terminis, sed illud solum per quasdam consecutiones, & ratiocinii circuitum inferri debet, facile potuit contingere, ut aliqui ipsius mentem non satis fuerint assecuti. 3. Aliqui falso potuerunt opinari, quod Synodus Baptisma Novatianorum reipsa non agnoverit tanquam validum, ipsos tamen absque novo Baptismo ad communionem admiserit ex quadam œconomia, quia sine strepitu corrigi non poterant. 4. Cum ipsa fides intentionem soleat dirigere, existimare potuerunt veram intentionem in ministro hæretico dari non posse. Interim decisio Concilii sat clara est visa Innocentio I Epist. 22 cap. 5. Siricio Epist. 5 ad Himerium, & D. Hieronymo dialog. advers. Luciferianos. Porro fides intentionem non ita dirigit, ut ubi illa deficit, saltem implicite vera, & recta esse nequeat, ut suo loco videbitur.

Dices 2. S. Hieronymus in cap. 4 Epist. ad 245
Ephes. negat hæreticos habere verum Baptisma. S. Ambrosius lib. 1 de iis, qui initiantur cap. 4

 ait:

ait: *Qui ab hæreticis baptizantur, non mundantur, sed polluuntur.* S. Augustinus sæpius dubitavit, an valeat Baptismus collatus ab infideli. Idem dubium adhuc movebatur Sæculo IX, ut patet ex can. a quodam Judæo 24 de consecrat. dist. 4. Resp. SS. Hieronymus & Ambrosius loquuntur de fructu Sacramenti, quem utique non percipiunt, qui hæresi consentiunt, aut cum illis communicant, sed ob sacrilegam perceptionem polluuntur. S. Augustinus nihil absolute voluit decidere, quia in hac re a nullo Concilio quidquam decretum fuerat, licet opinione sua privata de valore talis Baptismi non dubitaverit. Dubium Sæculo IX a Bulgaris motum expedite dissolvit Nicolaus can. cit. decernens, ne quis postea de valore Baptismi a Judæo aut pagano collati dubitet, si præter fidem nihil desit. Imo Siricius Papa cit. Epist. ad Himer. testatur, quod jam sub finem Sæculi IV, totus Oriens & Occidens morem non rebaptizandi baptizatos ab hæreticis custodiverit.

246 Obj. 7. Gregorius Magnus lib. 11 Epist. 67 jubet repeti Baptismum Bonasianorum. Leo I Epist. ad Nicæt. cap. ult. ait, hæreticos per Sacramenta non posse dare sanctificationem. Similia habet Urbanus II ad Lucium. Conf. Gennadius lib. 5 de dogmat. Eccles. refert, Manichæos Sæculo V fuisse rebaptizatos, qui tamen Sæculo IV rebaptizati non fuerunt, ut testatur S. Hieronymus in dialog. advers. Luciferianos. Resp. S. Gregorius merito rejecit Baptismum Bonasianorum, quia non baptizabant in nomine Trinitatis. S. Leo solum vult, hæreticos per Sacramenta non posse dare sanctificationem, cum Sacramenta iis ministrant, qui hæresi consentiunt; nam in eodem loco docet, omnibus Ecclesiis servandam esse regulam, *Ut Lavacrum semel initum nulla iteratione violetur*,

dicente

dicente Apostolo, unus Deus, una fides, unum Baptisma. In hoc ipso sensu intelligi debet Urbanus II; ita enim habet: *Schismaticorum & hæreticorum Sacramenta, quoniam extra Ecclesiam sunt, . . . formam quidem Sacramentorum, non autem virtutis effectum habere profitemur.* Ad Conf. Ipse Gennadius fatetur, interea formam Baptismi a Manichæis mutatam fuisse.

Dices 1. In antiquis Canonibus nihil frequentius legitur, quam quod manus impositio, & un- 247
ctio cum certa verborum formula fuerit adhibita iis, qui ab hæresi ad Ecclesiam veniebant: ergo Sacramentum Confirmationis ab hæreticis invalide confertur. Conf. Pelagius II apud Gratianum negat, Corpus Christi a schismaticis confici, & de Extrema Unctione S. Jacobus cap. 5 v. 15 ait: *Oratio fidei sublevabit infirmum.* Resp. Conc. Ant. Neg. Cons. Impositio manus collata iis, qui prius ab hæreticis ritu legitimo baptizati & confirmati fuerant, non erat Sacramentum, sed pura Ceremonia in signum pœnitentiæ & reconciliationis, ut docet S. Stephanus Epist. ad Cyprianum: *Nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam.* Idem clarius adhuc testatur Vigilius Epist. 2 ad Eucher. Ad Conf. Pelagius non loquitur de Corpore Christi physico, sed mystico, idque unum intendit, corpus illud, quod conficiunt seu constituunt schismatici, non esse veram Ecclesiam. S. Jacobus orationem fidei accipit objective, videlicet pro mysterio fidei seu objecto credendo.

Dices 2. Saltem Sacramentum Ordinis, ab hæ- 248
reticis receptum, est invalidum; quippe Innocentius I Epist. 18 ad Alexand. asserit, hoc esse discrimen inter Arianorum Baptisma & ordinationem, quod solum Baptisma sit ratum, non ordinatio. Concilium Nicænum I can. 8 de Catharis statuit:

 Im-

Impositionem manus accipientes, sic in Clero permaneant. Concilium Cæsar Augustanum sub finem Sæculi VI Clericos ab Arianis venientes jussit novam consecrationem accipere. Resp. Neg. Ant. Innocentius ordinationem Arianorum nunquam reprobavit quoad substantiam & characterem, sed solum statuit, eos debere suscipi cum sacerdotii dignitate, in illo videlicet gradu, quem apud suos habebant. Concilium Nicænum non loquitur de manus impositione consecratoria; nam teste S. Hieronymo 8 Episcopos Arianos suscepit sine nova ordinatione; hinc Tharasius in Synodo generali VII act. 1 hunc canonem non de ordinatione, sed de benedictione interpretatus est. Eadem responsio servit ad Concilium Cæsar-Augustanum, quod pariter in restitutione Arianorum non nisi ordinationem reconciliatoriam adhiberi jussit.

QUÆSTIO III.

An ad valorem Sacramenti in ministro requiratur probitas?

249 Donatistæ uti ab hæretico, ita a ministro improbo saltem publice & notorie tali nullum confici posse Sacramentum contendebant. Hunc errorem Sæculo XII amplexi sunt Valdenses & Albigenses, Sæculo XIV Hussitæ & Wiclefitæ, Sæculo XVI Anabaptistæ. Equidem Wiclefus istud docuit de quolibet peccatore etiam occulto: an vero id etiam aliquando senserint Donatistæ, non satis clare videtur colligi ex S. Augustino; nam licet lib. 2 contra Cresconium Donatistam cap. 28 etiam hunc errorem illi exprobrare dicatur, nunquam tamen ait, Cresconium ita sensisse, sed solum asserit, ex argu-

argumentis, quæ contra valorem Sacramenti a peccatore manifesto administrati protulit, si quid probarent, pariter argui posse nullitatem Sacramenti, quod confert peccator occultus.

Dicendum. Ad valorem Sacramenti non requiritur probitas in ministro. Conclusio hæc fluit ex præcedente; si enim in ministro non requiritur fides, manifestum est etiam non requiri sanctitatem, quæ sine fide esse non potest; hinc iisdem ferme argumentis probatur, nempe 1 ex perpetua traditione & praxi Ecclesiæ, quæ nunquam iteravit Sacramenta a peccatoribus collata. 2. Auctoritate Conciliorum, ex quibus Constantiense damnavit articulum quartum Wiclefi: *Si Episcopus aut Sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non consecrat, non baptizat.* Tridentinum vero sess. 17 can. 12 anathema dicit: *Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum aut conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre Sacramentum.* 3. Auctoritate SS. Patrum, quorum una vox ac sententia est, Sacramenta ita esse in manu DEI, ut virtutem suam non ab industria ministrorum aut sanctitate exspectent. Ita nominatim docent S. Gregorius Nazianz. orat. 40 in Baptis. S. Chrysostomus Homil. 8 in Epist. 1 ad Cor. & S. Augustinus in omnibus libris contra Donatistas. 250

Probatur 4 ratione, quam insinuat S. Augustinus Tract. 5 in Joan. ubi postquam hoc generale fundamentum posuit, tale esse Sacramentum, qualis est ille, in cujus potestate datur, non qualis est, per cujus ministerium datur, subjungit: *Sic ergo quos baptizavit ebriosus, quos homicida, quos adulter, si Baptisma Christi erat, Christus baptizavit: non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam, quia columbam attendo, per quam mihi dicitur: hic est, qui* 251

baptizat. Conf. Specialiter contra Wiclefitas, quia fi peccatum mortale etiam occultum miniftri obftaret valori, aut fructui Sacramentorum, hæc fæpiffime effent incerta, infructuofa, imo nulla propter folum ftatum malum miniftri, adeoque plurimi ex hoc capite poffent dubitare de valore Baptismi, de confeffione peccatorum &c. atqui fructum & valorem Sacramentorum alligare tam periculofæ conditioni eft alienum a fuavi providentia Dei & Chrifti, qui Sacramenta non tam in bonum & utilitatem conferentium, quam fufcipientium inftituit.

Objectiones.

252 Obj. 1. Jeremias cap. 3 v. 15 de miniftris Evangelicæ legis vaticinatur: *Dabo vobis paftores juxta cor meum:* ergo in miniftris requiritur probitas. Conf. Pfalm. 140 v. 5 dicitur: *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.* Et Joan. 9. v. 30: *Quia peccatores Deus non audit.* Refp. cum S. Thoma 3 P. q. 64 art. 5 ad 3 Conc. Ant. Dift. Cons. In miniftris requiritur probitas neceffitate convenientiæ & decentiæ, Conc. Cons. neceffitate Sacramenti, Neg. Cons. *Deus,* inquit S. Auguftinus lib. 3 cap. 8 contra Crefconium, *& per paftores bonos, & per paftores malos, cum verbum fuum facramentumque difpenfat, ipfe pafcit, quia de fe ipfo ait, ut fit unus grex, & unus paftor.* Ad Conf. Textus primus non loquitur de Sacramentis, fed de adulationibus peccatorum, quibus juftus fe deliniri non patitur. Aliter poteft dift. Deus non audit peccatores ad Sacramenta perficienda, Neg. ad patranda miracula in confirmationem doctrinæ falfæ, Conc. Imo hæc verba non funt Chrifti, fed cæci, cujus oculi cordis nondum patebant, ut intelli-

telligeret Deum audiviſſe orationem Davidis, Manaſſis, Publicani, aliorumque pœnitentium.

Dices. Tali modo nullum eſſet diſcrimen inter miniſtrum bonum & malum; ſed hoc eſt contra communem ſenſum fidelium, exiſtimantium, melius percipi Sacramenta a miniſtris bonis, quam a malis. Conf. Nemo dat, quod non habet: ergo cum miniſter improbus gratiam non habeat, illam non poteſt dare. Reſp. Diſt. Maj. nullum eſſet diſcrimen quantum ad Sacramenta, Conc. Maj. quantum ad humana merita, Neg. Maj. Quod fideles Sacramenta libentius recipiant a miniſtris probis, ratio non eſt, quia putant, illa eſſe meliora in ſe & quoad ſubſtantiam, ſed quia miniſter probus exemplo ſuo ædificat, ſuſcipientes ad imitationem incitat, & forte illis etiam aliquid gratiæ impetrat. Ad Conf. Diſt. Ant. Nemo dat ex virtute propria, quod non habet, Conc. Ant. nemo dat ex virtute & auctoritate aliena, quod non habet, Neg. Ant. & ſub eadem diſtinctione Cons. 253

Obj 2. S. Hieronymus in cap. 3 Sophon. v. 4 aſſirmat, *Erroneum eſſe putare, Euchariſtiam fieri poſſe verbis Sacerdotis, non vita, ſolenni oratione, non meritis*, & S. Auguſtinus lib. 5 de Baptis. cap 22 docet, hæreticos poſſe quidem dare Baptismum, ſed non remiſſionem peccatorum. . . . *Quæ per Sanctorum orationes id eſt per gemitus columbæ datur:* ergo. Reſp. S. Hieronymus hic alludit ad ſignificationem grammaticalem Euchariſtiæ, quæ gratiarum actionem denotat, dicitque in Sacerdotibus, ut dignas Deo gratias agere valeant, præter verba, quibus Euchariſtia conſecratur, requiri ſanctam vitam; nam ipſemet Donatiſtas copioſe refutat in dialog. cont. Lucifer. S. Auguſtinum putant aliqui in iſto loco argumentari ad hominem contra Donatiſtas, quod videlicet etiam peccatores occulti non poſſint conferre gratiam, ſi id nequeant manifeſti, 254

nifesti, cum par sit amborum ratio. Interim mens S. Doctoris satis aliunde patet, & lib. 2 cont. Epist. Parmen. cap. 11 clarissime ait, *Omnia Sacramenta, cum obsint indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus.* Hinc Dist. hæretici & peccatores non possunt dare remissionem peccatorum nomine proprio, aut illis, qui in malo cum ipsis participant, Conc. aliis, & nomine Ecclesiæ, quæ potissimum ex bonis constat, Subdist. non possunt dare illam remissionem seu gratiam, quæ respondet virtuti Sacramenti, Neg. quæ per orationes sanctorum & gemitus columbæ impetratur, Conc.

255 Dices. Concilium Generale VIII can. 4 irritas declaravit ordinationes factas a Photio, Constantinopolitanæ sedis invasore, & Concilium Suessionense factas ab Ebbone improbo ac deposito Episcopo Rhemensi: ergo. Resp. Trans. Ant. Neg. Cons. Quando Concilium Generale VIII declaravit, ordinationes a Photio factas esse irritas, ipsum vero Photium nunquam fuisse Episcopum, debet intelligi de potestatis exercitio, dignitate & jurisdictione, non de charactere Sacramentali; nam ipsum Concilium dicit, Photium a Dionysio Syracusano accepisse, quod hic habuit; atqui Dionysius licet excommunicatus & depositus, nihilominus certe habuit ordinem & characterem Episcopalem, utpote ordinatus a Catholicis. Hinc ubi postea Joannes VIII Photium, & ab eodem consecratos sedibus suis restituit, nullam novam ordinationem adhibuit, & Joannes IX eundem Photium inter Patriarchas Constantinopolitanos numerat. Ad Concilium Suessionense eadem est responsio, ut colligitur ex sententia Gregorii IV, qua Ebbonem ex Galliis profugum sine nova ordinatione Episcopatui Hildeshemiensi præfecit. Plura ejusmodi exempla occurrunt in historia Ecclesiastica;

neque

neque enim dum Epiſcopus deponitur aut degradatur, tollitur ab ipſo poteſtas Ordinis, ſed ſolum illius exercitium cum privilegio canonis & fori, ita ut degradatus quoad iſta redigatur ad ordinem laicalem.

Obj. 3. Auctoritas ſummorum Pontificum, præ- 256
ſertim Gregorii Magni lib. 7 epiſt 110, Leonis IX apud Petrum Damian. opuſc. 6, Urbani II, qui docent, ſimonice ordinatos non eſſe Sacerdotes, ſed de novo ordinari debere, quod Urbanus II cauſ. 1 q. 7 Can. Daibertum 24 probat exemplo Innocentii I, & Damaſi Papæ, quorum prior ait, hæreticum nihil dare poſſe ei, cui manus imponit, quia nihil habet, alter vero invalidam eſſe ordinationem Coepiſcoporum, qui revera non fuerunt Epiſcopi, ſed tantum Decani rurales. Reſp. Legenti Concilia & Canones antiquos facile patebit, in illis ſæpius adhibita fuiſſe verba, quæ prima fronte videntur ſignificare depoſitionem ab ordinibus, vel irritationem ſuſceptorum, cum tamen revera tantum ſignificent ſuſpenſionem ab exercitio ordinum. Sic Gregorius Magnus ſolum vult, quod ſimoniaci non ſint Sacerdotes legitima vocatione. Leo IX, illos de novo ordinandos eſſe ordinatione reconciliatoria. Urbanus II, quod Epiſcopi hæretici nihil habeant, aut dare poſſint legitimæ jurisdictionis & exercitii, quodque ſequatur exemplum Damaſi circa id, quod tunc controvertebatur, videlicet num ordinati ſimoniace in officio ſacerdotali eſſent tolerandi? quippe ipſi ſacri Canones jubent ſimoniacos, qui vendere volunt Spiritum Sanctum, deponi; atqui ſi non eſſent veri Epiſcopi & Clerici, nec deponi, nec Spiritum Sanctum vendere poſſent. Hinc ipſe Urbanus Can. cit. ait, quod Ordines Daiberti nolit iterare.

Dices

257 Dices 1. Stephanus IV in Concilio Romano ordinatos a Constantino in sedem Romanam intruso jussit de novo consecrari. Idem statuit Stephanus VII circa ordinatos a Formoso, quem prius depositum, & perjurum esse credebat: ergo. Resp. Editio Concilii hujus emendatior solum refert Stephanum IV jussisse ordinatos a Constantino reconciliari; nam pro verbo consecrari in margine ponitur verbum reconciliari, id est a censura & suspensione liberari. Pariter de Stephano XII Sigebertus apud P. Dumesnil negat, quod unquam ordinatos a Formoso reordinarit, sed tantum quod illos degradaverit, quia de reordinatione nihil dicit Synodus Ravenatensis & Romana, in quibus Joannes IX eos, qui a Stephano depositi erant, in pristinum statum restituit. Quippe Stephanus ex gravi odio iniquissime adversus Formosum processerat, & gravissime erravit, non quidem ut Pontifex & errore juris saltem publici, sed errore facti, & ut homo privatus, animi perturbationibus obnoxius, & tanto furore percitus, ut defuncti Formosi corpus exhumari, & tribus digitis multatum, in Tyberim projici præceperit, cujus tamen innocentiam ipse Deus postea miraculis testatus est.

258 Dices 2. Teste Spondano & Alexandro Natale acta Stephani fuerunt confirmata in Concilio Pontigonensi, & a Sergio, qui post Joannem IX & Leonem V summo Pontificatu potitus est. Conf. Concilium Pontigonense non potuisset approbare acta Stephani nisi putasset ordinationes factas a perjuro, & contra sacros Ordines promoto, ideoque deposito esse invalidas: ergo erravit errore juris. Resp. Approbatio Concilii Pontigonensis rursus non fuit error juris, sed facti, quod videlicet Stephanus rite egerit deponendo illos, qui a Formoso ordinati fuerant. De Sergio vero omnibus

bus notum erat, quod saltem tunc non fuerit legitimus Pontifex, sed invasor sedis Romanæ. Interim nec ipse, nec Stephanus unquam publico decreto Ecclesiæ proposuit, ordinationes a Formoso factas invalidas fuisse. Ad Conf. Neg. Ant. Si reordinatio a Concilio Pontigonensi revera fuisset approbata, id fecisset ex suppositione defectus substantialis circa materiam, formam vel intentionem, quem a Formoso admissum fuisse, Stephanus odio excæcatus suspicari potuit; unde error rursus fuisset circa meram quæstionem facti. Cæterum teste Baronio ad annum 904 plurimi alii Episcopi statim reclamarunt, qui vero de novo ordinari se permiserunt, ex metu tyrannidi se cessisse confessi sunt.

QUÆSTIO IV.

An in ministro specialiter consecrato & deputato probitas sit necessaria ad licentiam administrandi Sacramenta?

Status quæstionis est, an minister specialiter 159
consecratus vel deputatus per se loquendo graviter peccet, si in statu peccati mortalis Sacramentum conficiat? Dicitur 1. Minister specialiter consecratus vel deputatus, ut Episcopus, Presbyter, & ex consensu Episcopi vel parochi probabilius etiam Diaconus respectu Baptismi, ad quem administrandum juxta aliquos non datur specialis consecratio, sed tantum deputatio Ecclesiæ. 2. Qui conficit Sacramentum nempe vel solemniter & cum debitis ceremoniis, vel non solemniter & sine illis. Quid

vero

vero dicendum ſit de eo, qui Sacramentum tantum diſtribuit aut conficientem ſolum adjuvat, inferius patebit. 3. Per ſe loquendo; nam per accidens utique a peccato etiam veniali excuſari poteſt ratione invincibilis ignorantiæ ad ſuum ſtatum & obligationem, aut ſi ad hanc quidem advertat, urgens autem neceſſitas ipſi non permittat, ut ſe cum Deo reconciliet, quia alias e. g. infans ante Baptismum, vel adultus ante abſolutionem moreretur. Cum enim Sacramenta in ſalutem hominum ſint inſtituta, nulla cenſetur committi irreverentia, ſi ex gravi neceſſitate ſalus proximi venerationi Sacramento alias debitæ præferatur.

260 Dicendum 1. Miniſter ſpecialiter conſecratus vel deputatus, ſi ex officio Sacramentum in ſtatu peccati mortalis ſolemniter conficit, per ſe loquendo graviter peccat. Prob. 1 ex communiſſima auctoritate & conſenſu non ſolum omnium ferme Doctorum, aliorumque fidelium, ſed etiam SS. Patrum & Pontificum apud Suarez & Dicaſt. qui talem miniſtrum maximæ irreverentiæ reum judicant, eumque a ſacro hoc miniſterio gravibus interminationibus arcere contendunt. Sic S. Gregorius Magnus lib. 1 Epiſt. 24 ait: *Neceſſe eſt, ut munda ſit manus, quæ ſordes diluere curat; ſcriptum namque, mundamini, qui fertis vaſa Domini.* S. Bernardus lib. de Converſ. ad Cleric. cap. 10: *Væ miniſtris infidelibus, qui necdum reconciliati, reconciliationis alienæ negotia apprehendunt.* Gregorius IX cap. ult. de temp. ordinand dicit, *Sacerdotes iniquos ſub interminatione judicii Divini obteſtandos eſſe, ſi non pœnituerint, ut in ſuſceptis ordinibus non miniſtrent.* Rituale Romanum juſſu Pauli V editum, *Impure vel indigne Sacramenta adminiſtrantes in æternæ mortis reatum incidere, quia nihil ſanctius.* Similia habet Catech. Roman. de Sacrament. in genere prope finem.

Prob.

Prob. 2. Ratione Ex una parte Sacramenta sunt 261
res excellentissimæ, moraliter in se continentes
merita & sanguinem Christi, eorumque confectio
est actio sanctissima, qua post mysterium Incarnationis nulla est dignior ac nobilior. Ex altera parte minister Sacramentum conficiens gerit personam Christi, ejusque nomine & auctoritate immediate salutem & sanctitatem animabus confert: ergo ipsum lumen naturæ dictat, ejusmodi actiones sancte tractandas esse, gravissimamque fore irreverentiam, si peccator & inimicus Dei personam Christi in perficienda hominum sanctificatione sustineret, ferme sicut in politicis Legatus Regi gravem irreverentiam irrogaret, si habitu morionis indutus, sordidusque illius personam agere auderet. Conf. Licet Sacramenta veteris legis tantum fuerint materialia & quasi umbra nostrorum, nihilominus Deus ab eorum ministris sanctitatem & munditiem saltem legalem exigebat: *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos*, Exod. 19. v. 22: ergo in ministro conficiente Sacramenta spiritualia, & immediate per gratiam sanctificantia Deus exigit spiritualem, ac veram sanctitatem

Dicendum 2. Per se loquendo etiam graviter 262
peccat minister specialiter consecratus vel deputatus, si in statu peccati mortalis conficit Sacramentum absque solemnitatibus. Ita Paludanus, Vasquez, Layman, Lugo &c. contra Tannerum, Valentiam, multosque alios præsertim Thomistas. Prob. Sacramentum absque solemnitatibus confectum est æque sanctum, ac si cum solemnitatibus fiat, & Sacerdos in utroque casu æqualiter agit personam Christi: ergo sicut ob istas rationes graviter peccat, si Sacramentum in statu peccati mortalis conficit cum solemnitatibus, ita etiam, si illud conficit absque solemnitatibus. Conf. Sancti-

tas miniſtri ad confectionem Sacramentorum non requiritur propter ſolemnitatem, quæ tantum conſiſtit in quibusdam cæremoniis accidentalibus ab Eccleſia inſtitutis, ſed requiritur ob ipſam ſubſtantiam Sacramenti, alias miniſter etiam graviter peccaret, ſi in ſtatu peccati mortalis suppleret ſolemnitates ex neceſſitate e. g. in Baptismo omiſſas, quod eſt contra communiſſimam propemodum omnium.

263 Dices 1. Ad licitam ſuſceptionem Sacramenti non ſemper requiritur ſtatus gratiæ; nam Sacramenta mortuorum cum ſola attritione ſuſcipi poſſunt: ergo neque requiritur ad licitam illius adminiſtrationem, cum utique non requiratur major ſanctitas in miniſtro, quam in ſuſcipiente. Conf. Rebellis ſubditus nullam committit irreverentiam in Regem, ſi alium rebellem reducat, eique perſuadeat, ut Regi ſe ſubmittat: ergo neque miniſter Sacramentorum, ſi in ſtatu peccati alium peccatorem e. g. per Baptismum Deo reconciliet. Reſp. Conc. Ant. Neg. Cons. Tum quia ſuſcipiens non ſuſtinet perſonam Chriſti, neque ejus merita, & ſanguinem diſpenſat, tum quia per ipſam ſuſceptionem Sacramenti mortuorum conſtituitur in ſtatu gratiæ, ad quam primo conferendam ejusmodi Sacramenta ſunt inſtituta. Ad Conf. Neg. paritatem. Nam talis rebellis, licet non agat Rege invito, imo forte etiam approbante, proprie tamen non ſuſtinet perſonam principis, quod legatorum eſt, nec aliquid facit, quod reprehendi mereatur. Argumentum probaret, quod miniſter improbus conficiendo Sacramentum, ne quidem peccet venialiter, ſed potius laudem mereatur.

264 Dices 2. Superior in ſtatu peccati præcipiens ſubdito opus ſanctum non peccat graviter, licet agat nomine Dei: ergo neque miniſter nomine Chriſti Sacramentum conficiens. Conf. Juxta nos gravi-

graviter peccaret, qui in statu peccati mortalis exerceret opus misericordiæ, charitatis &c. quia etiam talia opera sunt res sacræ; sequela non potest admitti, cum peccatoribus potius suadendum sit, ut per bona opera ad gratiam se disponant. Resp. Conc. Ant. rationem additam dist. Licet agat nomine Dei ut Domini & Gubernatoris, Conc. ut sancti & sanctitatem conferentis, Neg. Etsi superior aliquo modo vices Dei gerat, tamen illius actiones non sunt adeo sanctæ & dignæ, sicut actiones sacramentales, & ratio naturalis petit, ut minister Principali præcipue conformetur in eo genere, in quo ejus personam sustinet. Hinc vix aliquis Auctorum talem superiorem peccati mortalis audet condemnare; imo illius præceptum in sensu stricto nequidem videtur esse actio moralis ipsius Dei, alias omnia præcepta humana forent juris Divini. Ad Conf. Neg. sequelam, tum quia talia opera bona non continent illam specialem sanctitatem, quam habet confectio Sacramenti: tum quia proprie non exercentur nomine Dei ipsius.

Dices 3. Licet minister sit alias consecratus & 265
deputatus, si tamen in casu necessitatis e. g. confert Baptismum, est solum minister per accidens, & subvenit proximo necessitatem patienti: ergo a peccato gravi excusatur. Conf. S. Thomas 3 p. q. 64 art. 3 ad 3 ait: *In articulo necessitatis minister deputatus non peccaret baptizando, in quo casu etiam posset laicus baptizare; sic enim patet, quod non exhiberet se ministrum Ecclesiæ, sed subveniret necessitatem patienti: secus autem est in aliis Sacramentis, quæ non sunt tantæ necessitatis.* Resp. Trans. Ant. Dist. Cons. ergo a peccato gravi excusatur per accidens, si necessitas proximi eidem non indulgeat tantum temporis, ut statum gratiæ prius possit recuperare, Conc. Cons. aliter, Neg. Cons. Sicut Chyrurgus

non est minister tantum per accidens, si casu domum præteriens in necessitate vocetur ad obligandum vulnus, sic non bene minister per accidens vocatur e. g. parochus, qui ex auctoritate sibi primario concessa baptizat, neque sola necessitas proximi illum a peccato statim excusat; alias etiam non peccaret graviter Sacerdos, qui in peccato mortali moribundum absolvit. Ad Conf. eadem est responsio, aut si S. Doctor hanc expositionem non admittat, licebit cum reverentia ab illius opinione recedere.

QUÆSTIO V.

An probitas ad licentiam administrandi Sacramenta etiam sit necessaria in ministro ad id specialiter non consecrato aut deputato?

266 Circa resolutionem hujus quæstionis magna est opinionum diversitas, inde potissimum orta, quod inter Auctores non conveniat, in quonam obligatio gravis ante confectionem Sacramenti ad gratiam se disponendi fundetur. Suarez in 3 part. tom. 3 q. 65 disp. 16 sect. 4, aliique multi existimant, dictam obligationem partialiter etiam oriri ex eo, quod conficiens Sacramentum se gerat ut persona ad id specialiter deputata, & tanquam publicus Christi & Ecclesiæ minister, qui per ipsam deputationem & Sacramentum Ordinis hanc obligationem in se susceperit. Econtra Navarr. Vasquez, Pontius, Lugo, Castropal. aliique Recentiores passim, licet non negent eum, qui voluntarie ad munus tam sanctum se deputari sinit, specialem obligationem contrahere, munus illud decenter obeundi, judicant nihilominus ad fundandam obligatio-

gationem gravem ſancte adminiſtrandi Sacramenta ſufficere ſolam ſanctitatem & dignitatem actionis, prout hæc actio eſt miniſterialis, nomine Chriſti poſita.

Dicendum. Miniſter in ſtatu peccati conficiens 267
Sacramentum per ſe loquendo peccat graviter, etſi ad id non fuerit ſpecialiter conſecratus aut deputatus. Prob. Quando SS Patres ac Pontifices docent, quod miniſter in ſtatu peccati mortalis conficiendo Sacramentum graviter peccet, non faciunt diſcrimen inter Clericos & Laicos, ſed vel unice vel certe potiſſimum ſe fundant in illo principio lumine naturæ noto: Sancta ſancte tractanda ſunt. Quod utrosque æqualiter concernit: ergo talis miniſter peccat graviter, ſive ad conficiendum Sacramentum ſit ſpecialiter conſecratus aut deputatus, ſive non. Conf. Licet miniſter non ſit ſpecialiter deputatus ab Eccleſia, eſt nihilominus deputatus a Deo, ut ſit miniſter Chriſti, cujus perſonam ſuſtinet, ejusque actio manet ſanctiſſima, & per merita Chriſti hominem ſanctificat: ergo ponendo hanc actionem in ſtatu peccati mortalis gravem irreverentiam Sacramento irrogat, ferme ſicut non ſolus legatus, ſed quivis alius ſubditus Regi gravem irreverentiam exhiberet, ſi illius perſonam in ſordido veſtitu ſuſtineret.

Dices 1. Vel miniſter non deputatus ante con- 268
fectionem Sacramenti ad gratiam ſe deberet diſponere ex præcepto naturali, vel poſitivo? non primum, quia hoc præceptum a plurimis doctis non agnoſcitur; & ex laicis vix ullus ſibi ſcrupulum faceret, ſi in ſtatu peccati gravis Baptismum ex neceſſitate conferret: non ſecundum, quia nullum præceptum poſitivum poteſt oſtendi. Conf. Nulla obligatio gravis debet afferi, niſi ſit moraliter certa: ergo. Reſp. Conc. Maj Neg. Min. & dico, quod hoc præceptum potiſſimum ſit naturale. Dum

 enim

enim SS. Patres & ſacri Canones illius mentionem faciunt, illud non invehunt, ſed potius ſupponunt, in Scriptura vero nullibi clare reperitur. Porro licet a multis Doctoribus non agnoſcatur, nihilominus ſufficienter probatur auctoritate & ratione: quid vero indocti hac de re ſentiant, non ſatis conſtat, & ſæpe habent conſcientias erroneas, aut opinionibus minus probabilibus adhærent. Ad Conf. Diſt. Nulla obligatio gravis debet aſſeri tanquam probabilior, niſi ſit moraliter certa, Neg. nulla debet aſſeri tanquam certa, Conc. Sicut hanc, ita etiam ultimam concluſionem prioris quæſtionis tantum aſſero tanquam probabiliorem.

269 Dices 2. Obligatio naturalis, quæ a plurimis etiam doctis non agnoſcitur, probabilius non datur: ergo. Conf. Per noſtram ſententiam peſſime conſulitur ſaluti tum parvulorum tum adultorum, quia ſic multi ob ſtatum peccati, & metum contrahendi novum, vel ob difficultatem ſeriæ pœnitentiæ abſterrerentur ab adminiſtrando Baptismate in neceſſitate, aut pœnitentia. Reſp. Diſt. Ant. niſi eadem obligatio etiam a plurimis æqualis vel majoris auctoritatis agnoſcatur, eamque evincat ſufficiens ac melior ratio, Conc. Ant. ſecus, Neg. Ant. & Cons. Pro noſtra ſententia non ſolum ſtant plurimi Auctores Scholaſtici, ſed etiam melior ratio, & auctoritas Patrum & Pontificum, quæ merito auctoritati Scholaſticorum præfertur. Ad Conf. Neg. Ant. rationem additam Diſt. abſterrerentur ſæpe & per ſe, Neg. aliquando & per accidens, Conc. Vel enim miniſter moraliter adhuc poteſt procurare ſtatum gratiæ, vel non? ſi non, juxta dicta num. 259 poteſt, imo debet Sacramentum conferre: ſi ita, non erit tanta neceſſitas, ut ſuſcipienti non poſſit aliter provideri. Cæterum in noſtra ſententia magis conſulitur reverentiæ Sacramenti, cui non debet

debet præjudicare qualecunque periculum animarum, alias dici poſſet, ſtatum gratiæ neque in miniſtro ſpecialiter deputato eſſe neceſſarium.

Dices 3. Quænam ſit gravis irreverentia ergı 270
Sacramentum, ejusque auctorem, & quomodo textus SS. Patrum ac Pontificum intelligendi ſint, debet colligi ex interpretatione Theologorum; atqui ex his plures judicant, a miniſtro ſpecialiter non deputato, Sacramento ejusque auctori non inferri gravem irreverentiam, & ideo Patres ac Pontifices ſolum interpretantur de miniſtro ſpecialiter deputato, cum de non deputato nullibi expreſſam mentionem faciant: ergo. Conf. Juxta noſtram ſententiam contrahentes matrimonium in ſtatu peccati mortalis duplex peccatum committerent, unum conficiendo, alterum ſuſcipiendo Sacramentum: ergo de illis ſe deberent accuſare in confeſſione; atqui hoc non fit: ergo. Reſp. Diſt. Maj. debet colligi ex interpretatione Theologorum, ſi ſit communiſſima & ferme unanimis, Conc. Maj. ſi plurimi teneant interpretationem contrariam, Subdiſt. niſi pauciores ex melioribus id faciant fundamentis, Conc. Maj. ſecus, Neg. Maj. & ſic Diſt. Min. Conſ. Ad Conf. Conc. primum enthymema, ſi ipſi ſuſcipientes ſint miniſtri matrimonii, Neg. Min. ſubſumpt. cum contrahentes adminiſtrando ſuſcipiant, & ſuſcipiendo miniſtrent Sacramentum, de utroque ſufficienter ſe accuſant dicendo: contraxi matrimonium in peccato mortali, ſicut Sacerdos ſufficienter ſe accuſat dicendo: celebravi miſſam in peccato mortali, licet triplex peccatum commiſerit. 1 conficiendo, 2 ſuſcipiendo, 3 ſibi indigno adminiſtrando Euchariſtiam.

QUÆSTIO VI.

An probitas ministri etiam sit necessaria ad licite distribuendam S. Eucharistiam?

271 Quod minister, qui in statu peccati mortalis distribuit S. Eucharistiam, etsi illam non conficiat, saltem venialiter peccet, constat ex Respons. Nicolai I ad consulta Bulgarorum, ubi, postquam dixit, sacram communionem etiam a Sacerdote facinoroso suscipi posse, addit: *Quoniam mali bona administrando se tantummodo lædunt, & cum aliis commodum exhibent, inde sibi dispendium præbent.* Quod Auctores communissime extendunt ad omnes illas actiones, quæ sacro Ordini annexæ sunt, uti si Episcopus solemniter benedicat populo, si Diaconus solemniter ministret in Missa &c. Imo distribuere Eucharistiam in statu peccati gravis omnino esse mortale, contendunt Suarez, Valentia, Layman, Gonet. Regin. aliique plurimi, adeo ut Becanus dicat, id esse certum, Tannerus vero oppositum esse improbabile. At immerito, nam sententiam benigniorem tenent Vasquez, Lugo, Amicus, Sporer, Bernal, Aversa &c. eaque defacto inter Recentiores est communior.

272 Dicendum. Minister in statu peccati mortalis Eucharistiam præcise distribuens, probabilius non peccat graviter. Prob 1. Quia gravis obligatio non debet adstrui sine gravi, & sufficienti fundamento, quale ab adversariis non videtur afferri. 2. Quia sacerdos Eucharistiam præcise distribuens nec conficit Sacramentum, nec gerit personam Christi, nec illius nomine & auctoritate immediate sancti-

sanctificat, sed tantum localiter movet & applicat Sacramentum: ergo non peccat graviter, sicut juxta plerosque adversarios graviter non peccat parochus, si in statu peccati mortalis Eucharistiam reponit in tabernaculo, aut de collo suspensam secum portat. Conf. In Ecclesia veteri consuetum erat, ut viri laici sacram hostiam manibus & fœminæ linteolis exciperent, illamque pro libitu vel statim absumerent in templo, vel in suas ædes deferrent suo tempore sumendam; atqui in tali casu Sacerdos malus deponendo Eucharistiam in manibus vel linteolis non videtur peccasse graviter: ergo neque peccat graviter, si nunc Eucharistiam deponat in ore laici.

Colliges, graviter non peccare, qui in statu pec- 273
cati mortalis iis, qui conficiunt Sacramenta, tantum ministrant, aut alias functiones, & ceremonias Ecclesiasticas peragunt, uti 1. Episcopus consecrans Chrysma, oleum, calices, dedicans templa & altaria, consecrationi alterius Episcopi tantum assistens, aut tantum absolvens a censuris &c. 2. Parochus populo hierotheca majore benedicens, panem aliaque ejusmodi oratione consecrans, dicens pro concione, aut tantum assistens matrimonio &c. 3. Diaconus aut Subdiaconus solemniter ad aram ministrans, calicem & patenam tangens, Evangelium aut Epistolam decantans. 4. Multo minus inferiores ministri v. g. acolyti. Ratio est, qui tales actiones non sunt Sacramenta, neque peraguntur in persona & nomine Christi, nec immediate gratiam sanctificantem conferunt, cumque occasiones ejusmodi functionem exercendi sint frequentissimæ, obligatio semper procurandi statum gratiæ foret valde ardua, quin sufficienti fundamento probetur.

Objectiones.

274 Obj. 1. Ratio naturalis dictat, & SS. Patres ac Pontifices generatim gravissimis verbis inculcant, sancta sancte tractanda esse: ergo graviter peccat, qui in peccato mortali Eucharistiam distribuit, ut docet S. Thomas 3 p. q. 64 art. 1. Conf. Nicolaus I in Resp. ad Bulgaros diserte ait, quod mali bona administrando sibi dispendium præbeant. Resp. Dist. Ant. generatim inculcant, sancta sancte tractanda esse, sed non sub obligatione æqualiter gravi, Conc. Ant. sub obligatione æqualiter gravi, Neg. Ant. & Cons. S. Thomas in illo articulo nec verbum habet de distributione Eucharistiæ ut distincta a confectione, sed solum docet, ministrare Sacramenta in statu peccati gravis esse mortale, per administrationem autem Sacramenti ut sic intelligitur confectio. Ad Conf. Dist. Ant. quod sibi dispendium præbeant vel leve vel grave, Conc. Ant. semper grave, Neg. Ant. Imo Pontifex ibi loquitur conformiter ad ritum antiquæ Ecclesiæ, in qua sacrificans hostias a se consecratas sub missa distribuit, adeoque agit de distribuente & conficiente simul.

275 Dices 1. Distributio Eucharistiæ etiam ut contradistincta a confectione est actio sanctissima, & ut Suarius observat, nobilior quam confectio alterius Sacramenti: ergo. Conf. Per talem distributionem Christo longe major infertur irreverentia, quam si laicus tangat sacram hostiam, & tamen hic graviter peccat; Oza vero similem irreverentiam pœna mortis luit 2 Reg 6 v. 7. Resp. Dist. Ant. est actio sanctissima & nobilior &c. relata ad terminum seu Mysterium, quod tractatur, Conc. Ant. in se, ac ita, ut distribuens Eucharistiam gerat perso-

personam Christi, Neg. Ant. Etiam depositio Eucharistiæ in tabernaculo est actio sanctissima, & terminative nobilior, quam confectio alterius Sacramenti. Ad Conf. Si verum est antecedens, tunc propter gravem prohibitionem Ecclesiæ, quæ tamen sub mortali nunquam prohibuit indig[illegible]m distributionem Eucharistiæ. Ozam graviter peccasse teste Escobar negant gravissimi auctores, vel certe aliunde præcepto positivo sub pœna mortis prohibitum erat, profanis manibus arcam tangere, ut existimat Cornelius a Lapide.

Dices 2. Distribuens Eucharistiam nos pascit 276
corpore & sanguine Christi: ergo gerit personam Christi, & est minister Sacramenti. Conf. Distributio Eucharistiæ concurrit immediate ad sanctificationem ab ipso, qui porrigitur, auctore gratiæ conferendam: ergo. Resp. Trans. Ant. Neg. Cons. Licet distribuens Eucharistiam pascat aliquo modo materialiter producendo motum localem, & ponendo eam conditionem, qua posita Christus pascit formaliter; Christus tamen hanc actionem ministri non habet pro actione moraliter sua. Unde distribuens nec proprie agit nomine Christi, nec est minister Sacramenti, nisi ad summum in ordine ad distributionem, sicut reponens Eucharistiam in tabernaculum est minister in ordine ad depositionem. Ad Conf. Neg. Ant. Neque enim hæc distributio gratiam sanctificantem causat physice, sed hostia per illum tantum imponitur linguæ: neque causat moraliter, quia DEUS ad gratiam conferendam non movetur a distributione, sed a Sacramento, quod distribuitur, & sumitur.

Obj 2. Contra num. 273. Benedictio Chrysma- 277
tis est de essentia confirmationis, & per illam jam incipit fieri Sacramentum: ergo est actio Sacramentalis, & ponens illam in statu peccati mortalis graviter peccat. Conf. Sacerdos malus conficiens

Eucha-

Euchariſtiam peccat graviter, licet illam actu non diſtribuat: ergo etiam Epiſcopus conſecrans Chrysma. Reſp. Conc Ant. quoad 1 membrum, Diſt. quoad 2dum. Per illam incipit fieri Sacramentum remote, Trans. Ant. proxime, Neg. Ant. Chryſma eſt tantum materia remota confirmationis, quæ neque actu eſt pars illius, neque gratiam ſanctificantem cauſat, niſi dum actu applicatur, quod ſæpe nunquam fit: ergo Epiſcopus conſecrans Chryſma nondum ponit actionem moralem Chriſti, neque Sacramentum conficit, niſi ad ſummum remote, ferme ſicut pinſens hoſtias pro conſecranda Euchariſtia. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Cons. Diſparitas eſt, quia Euchariſtia jam ante ſumptionem eſt totum Sacramentum, continens virtutem cauſandi ſanctitatem, imo ipſum Chriſtum, cujus nomine etiam a Sacerdote conficitur.

278 Dices 1. Qui ex officio concionatur, fungitur legatione pro Chriſto 2. ad Cor 5. v. 20. eſt organum Spiritus Sancti, qui per ipſum loquitur, & cooperatur DEo ad ſalutem animarum, quod juxta S. Dionyſium eſt omnium operum diviniſſimum: ergo. Conf Pſal. 49. v. 16: *Peccatori autem dixit DEUS: quare enarras juſtitias meas & aſſumis teſtimonium meum per os tuum, . . . arguam te, & ſtatuam te contra faciem tuam.* Hinc S. Thomas in 4 diſt. 19 q. 2. art. 2. ad 2. illum, qui ex officio in ſtatu peccati mortalis concionatur, peccati mortalis arguit. Reſp. Conc. Ant. Neg. Cons. Concionator agit quidem ex ſpeciali quadam commiſſione aut deputatione Chriſti, & eſt organum Spiritus Sancti; attamen perſonam Chriſti non ſuſtinet, neque illius locutio eſt moraliter propria Spiritus Sancti; ad ſalutem vero animarum tantum cooperatur remote & mediate, excitando homines ad pœnitentiam, ferme ſicut Catechiſtæ, dum inſtruunt

in

in fide & pietate. Ad Conf. Comminatio hæc fit ad peccatores propter illorum peccata, quæ verſibus præcedentibus enarrantur, vel ob ſcandalum, quo ob peccata publica & notoria fructus Concionum notabiliter impeditur, in quo ſenſu etiam intelligi poteſt S. Thomas, qui hanc ſuam ſententiam, utpote nimis rigidam alibi virtualiter retractavit, ut Suarius putat.

Dices 2. Jus Canonicum indiſtincte omnes Cle- 279
ricos peccati mortalis damnat, qui in ſtatu peccati gravis miniſtrant in ſuis ordinibus: excommunicatis vero, ſuſpenſis, & irregularibus ſub peccato mortali prohibet, ne ſuum miniſterium exerceant, quod ita prohibere non poſſet, niſi ſupponeret, eſſe grave peccatum, in peccato mortali obire munus Diaconi aut Subdiaconi. Conf. Quia aſſiſtere in munere Diaconi eſt functio Sacerdotio proxima. Reſp. Textus juris Canonici pro qualitate materiæ accipiendos eſſe, alias etiam graviter peccarent Acolyti, lectores, oſtiarii &c. ſi functiones ordinis ſui in peccato mortali exercerent, quod nimium, & contra pleroſque. Itaque textus iſti vel intelligendi ſunt de miniſtratione, qua conficitur Sacramentum, vel per quam ob notoriam improbitatem grave ſcandalum præbetur, in quo ſenſu etiam exponi poteſt S Thomas in 4 diſt. 24, art. 3 q 5. Porro ſicut Eccleſia ex juſtis cauſis poteſt prohibere ſub gravi actiones quaſdam indifferentes, ita prohibere potuit actiones de ſe venialiter peccaminoſas, ut per ejusmodi pœnas eccleſiaſticas magis a delictis abſterreat. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Cons. Quamvis functiones Diaconi ſint Sacerdotio proximæ, tamen neutiquam ejus dignitatem & ſanctitatem adæquant, neque Diaconus ponit actionem moralem Chriſti, aut proprie ejus perſonam ſuſtinet.

QUÆ-

QUÆSTIO VII.

An a ministro indigno liceat suscipere, aut petere Sacramentum?

280 Minister indignus hic dicitur, cui deest probitas ad licitam administrationem Sacramenti requisita, seu qui existit in peccato mortali. Hinc alii possunt esse indigni occulte, ita tamen, ut suscepturo Sacramentum de illorum improbitate constet: alii indigni notorie, iique vel tolerati, vel non tolerati, quales post Concilium Constantiense sunt 1 nominatim excommunicati, & publice denuntiati. 2. Publice & nominatim suspensi. 3. Publice & in perpetuum degradati. 4. Publice per sententiam declarati irregulares. 5. Notorii percussores Clericorum, quibus secundum particularia statuta in quibusdam Diœcesibus annumerantur publici fornicarii seu concubinarii. Dicuntur isti non tolerati, quia fideles prohibentur cum illis communicare extra casum extremæ necessitatis, quo videlicet aliquis esset moriturus sine Baptismo & Pœnitentia, cujus nomine etiam viaticum, quod vere pœnitentibus exhibetur, intelligi voluit Innocentius III cap. quod in te 9 de pœnit. & remiss. Addit Escobar, Herincx, Dicast. etiam extremam Unctionem, si moriturus nullum aliud Sacramentum suscipere posset, quia per accidens causat primam gratiam, ut adeo non sit credibile, quod Ecclesia hoc medio talem privare velit.

281 Dicendum 1 A ministro indigno non tolerato non licet suscipere aut petere Sacramentum, nisi in extrema necessitate. Prima pars conclusionis patet ex numero superiore; quippe indignis non toleratis extra casum extremæ necessitatis non licet com-

communicare; atqui petitio aut susceptio Sacramenti sine communicatione fieri non potest. Altera quoque pars est communissima, & clare docetur a S. Augustino lib. 6 de Baptismo. cap. 5, ab Innocentio III. cap. quod in te cit. & a Concilio Tridentino sess. 14 cap. 7. ubi in extrema necessitate omnibus Sacerdotibus tribuit facultatem, quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis & censuris absolvendi. Ratio est, quia in tali casu Sacramentum pœnitentiæ vel in re vel in voto est necessarium necessitate medii & jure divino præceptum. Idem est de Baptismo; hinc in casu necessitatis a quocunque etiam pagano, schismatico aut hæretico peti potest, ut rursus clare docet S. Augustinus lib. 1 de Baptism. cap. 2.

Dicendum 2. Ex causa rationabili, & quando 282
alius haberi nequit, licet Sacramentum petere, & suscipere a quolibet ministro improbo quidem, attamen tolerato. Ita longe communior. Prob. Ex una parte fideles habent jus ad petendum & suscipiendum Sacramenta, quorum administratio de se est bona & honesta: ex altera parte minister posset illam actionem digne & sancte ponere: ergo si adsit rationabilis causa accipiendi & petendi, malitia ministri non debet aliorum juri præjudicare. Neque obstat, quod minister prævideatur peccaturus; hoc enim præcise provenit ex illius perversitate, quam posset, & deberet deponere, petens autem vel suscipiens utitur jure suo, & idcirco non censetur alterum inducere ad peccatum, aut ejus malitiæ moraliter cooperari: sic creditor pecuniam suam licite in judicio repetit, etsi prævideat debitorem pejeraturum. Sic pauper licite ab avaro petit mutuum, quamvis sciat, se illud non sine onere usuræ obtenturum.

283 Dixi tamen 1. Ex causa rationabili, qualis non solum censetur esse gravis necessitas, sed etiam notabilis utilitas aut commoditas, uti si urgeret præceptum Communionis Paschalis, si alias non posses lucrari jubilæum, aut alio notabili commodo spirituali vel temporali carere deberes. 2. Quando alius haberi non potest; si enim facile possum Sacramentum accipere a ministro probo, reverentia Sacramenti & charitas erga DEUM & proximum exigit, ut peccatum ministri impediatur, ne saltem consummetur, aut continuetur. 3. A quolibet tolerato, sive sit indignus notorie sive occulte; ubique enim idem est periculum irreverentiæ. Interim licet scias, ministrum antea graviter peccasse, potes adhuc de illo præsumere, quod confessus fuerit, vel contritionem elicuerit, nisi simul moraliter certus sis, quod sine cura salutis peccandi consuetudine teneatur.

284 Dices 1. Licitum est communicare cum excommunicato vitando, & non tolerato, quando id exigit gravis necessitas, aut notabilis utilitas fidelium, vel ipsius excommunicati: ergo non requiritur extrema necessitas, ut a ministro non tolerato administratio Sacramenti peti valeat. Conf. Utilitas spiritualis animæ & gratia sanctificans, quæ per Sacramentum obtinetur, est longe æstimabilior, quam quævis utilitas corporalis: ergo. Resp. Dist. Ant. Licitum est communicare cum excommunicato vitando, quando id exigit &c. in civilibus & politicis, Conc. Ant. in sacris & divinis, Neg. Ant. Id enim vetat auctoritas citata, propter quam a communissima per excommunicatum non toleratum intelligitur, cum quo extra casum extremæ necessitatis in sacris & divinis communicare prohibetur. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Cons. Sicut bona spiritualia sunt nobiliora quam temporalia, ita Ecclesia seve-

ſeverius prohibet, ne ab illis petantur, aut accipiantur, qui per publicam ſententiam a communione & adminiſtratione rerum Divinarum nominatim arcentur. Accedit, quod fructus Sacramenti, quo aliquis hic & nunc carere debet, plerumque facile alio tempore poſſit acquiri.

Dices 2. Quando Concilium Tridentinum ſeſſ. 285
14 cap. 7 ait, in articulo mortis omnes Sacerdotes a quibusvis peccatis & cenſuris abſolvere poſſe, ſolum loquitur de illis Sacerdotibus, qui alias habent jurisdictionem ordinariam vel delegatam in illo articulo abſolvendi: ergo licet in extrema neceſſitate ab excommunicato non tolerato poſſit peti Baptismus, non ideo licet petere Sacramentum pœnitentiæ. Conf. Finis hujus ſtatuti fuit: Ne hac occaſione aliquis pereat; atqui hic finis poteſt obtineri per contritionem perfectam: ergo. Reſp. Neg. Ant. Tridentinum loquitur univerſaliter & illimitate, neque de bonitate matris Eccleſiæ præſumi poteſt, quod fideles in articulo mortis velit privare uſu Sacramenti tam neceſſarii. Hinc etiam poteſt diſtingui Cons. ergo non licet petere Sacramentum pœnitentiæ ab excommunicato non tolerato, ſi illud obtineri poſſit ab alio, Conc. Cons. ſecus, Neg. Cons. Ad Conf. Conc. Maj. Diſt. Min. hic finis poteſt obtineri per contritionem abſolute, Conc. Min. moraliter, Neg. Min. Nam contritio perfecta ſicut alias difficilis, ita præſertim moribundis ſæpe moraliter eſt impoſſibilis, qui proin gravi periculo interitus exponerentur, niſi Sacramentaliter abſolverentur.

Dices 3. Non poteſt licite peti, quod alter non 286
poteſt licite dare; atqui miniſter improbus, licet ſit toleratus, non poteſt licite conficere & dare Sacramentum: ergo. Conf. Si proximus incurreret

vitæ discrimen, nisi omitterem sacrum die festo, ex charitate tenerer omittere: ergo multo magis tenetur aliquis omittere susceptionem Sacramenti, præsertim non præceptam, si prævidet, quod minister inde sit incursurus mortem animæ. Resp. Dist. Maj. Non potest licite peti, quod alter non potest licite dare, si res illa, quæ petitur, secundum se non sit bona, nec detur jus & rationabilis causa illam petendi, Conc. Maj. secus, Neg. Maj. & sic Dist. Min. Cons. Ad Conf. Dist. Ant. Quando proximus illud discrimen aliter vitare non potest, Conc. Ant. secus, Neg. Ant. & eodem modo Cons. Peccatum, quod minister malus administrando Sacramentum committit, provenit ex libera ejus malitia, & posset ab illo vitari, modo se ad dignam administrationem disponere vellet; unde nec mea petitio, nec res petita, sed ejus malitia in causa est, quod peccando grave malum animæ incurrat.

287 Dices 4. Qui a ministro malo petit Sacramentum, est ipsi scandalo; nam præbet illi occasionem ruinæ, ipsumque Sacramentum afficit injuria, quod sacrilegis manibus tractari sinit: ergo. Conf. Si prævidèrem medicum me sanaturum per artem magicam, non possem petere ab illo sanari, etsi me etiam posset sanare alio modo licito: ergo a pari. Resp. Dist. Ant. qui a ministro malo petit Sacramentum, est ipsi scandalo per se, & ex intentione sua, Neg. Ant. per accidens & præter suam intentionem, Conc. Ant. & Neg. Cons. Scandalum in tali casu non est datum a petente, qui utitur jure suo, sed acceptum a ministro, qui voluntaria perversitate Sacramentum indigne tractat, unde illi soli imputatur injuria, qua Sacramentum afficitur. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Cons. Disparitas est, quia acceptando maleficium ego ipse communicarem cum dæmone, a quo acceptarem auxi-

auxilium: nihil ſimile facit ex rationabili cauſa petens Sacramentum a miniſtro improbo.

DISPUTATIO IV.

De Intentione miniſtri Sacramentorum novæ legis.

INtentio in genere eſt actus voluntatis, quo per 288
media tenditur in finem Hic per illam intelligitur voluntas deliberata faciendi Sacramentum. Dicitur deliberata, quia voluntas non exit in actum niſi prævia cognitione; hinc in amente dormiente &c. nulla datur intentio. Dividitur 1 in materialem & formalem. Materialis eſt, qua miniſter tantum intendit ponere ritum externum absque intentione, quod ſit Sacramentum, aut ritus ſacer Eccleſiæ. Formalis eſt, qua miniſter intendit hunc ritum ponere ut Sacramentum, quod rurſus vel explicite vel implicite fieri poteſt. Intentio explicita datur, quando ritus externus ponitur cum cognitione clara & diſtincta Sacramenti, prout illud eſt ſignum practicum gratiæ ſanctificantis. Implicita datur, quando ritus externus ponitur ſub alio prædicato, reipſa vel convertibili, vel ſaltem per ſe connexo cum ratione Sacramenti, ut ſi quis intendit facere, quod Chriſtus inſtituit, quod facit Eccleſia &c. Porro intentio materialis etiam externa, formalis vero interna vocari ſolet, nempe ratione ſui objecti, in quod tendit, nam ſubjective & ratione ſui principii quævis intentio interna eſſe debet, utpote actus vitalis voluntatis.

Dividitur intentio 2 in actualem, virtualem, 289
habitualem & interpretativam. Actualis eſt, quæ

tunc, quando conficitur, Sacramentum actu datur, & actum principaliter quasi imperat, ut si quis animo sibi perfecte præsens attente facit, quod facit. Virtualis est, quæ, quando conficitur Sacramentum, actu quidem in se ipsa non existit, exstitit tamen aliquando in se ipsa, nunc vero existit in aliquo suo effectu ac veluti virtute, per quam in actiones Sacramentales suo modo influit, ut si Sacerdos ex intentione celebrandi ingreditur sacristiam, vestes sacras induit, accedit ad aram, & verba consecrationis profert, quin de priore intentione saltem perceptibiliter amplius cogitet. Habitualis est, quæ quidem aliquando in se ipsa exstitit, nec per actum contrarium fuit revocata, at dum Sacramentum fit, nec in se amplius durat, neque in aliquo suo effectu, per quem in actiones Sacramentales influat; hinc etiam dari potest in dormientibus & plene ebriis. Interpretativa est, quæ reipsa nec existit, nec unquam exstitit, prudenter tamen præsumitur existere, vel exstituram fuisse, si operans ad bonitatem & circumstantias suæ actionis intenderet. Quare non est intentio proprie dicta, & ab aliquibus præsumpta vocatur.

290 Dividitur 3 in directam & indirectam, determinatam & indeterminatam. Intentio directa vocatur, quando actio Sacramentalis sive explicite sive implicite intenditur in seipsa immediate, vel saltem mediate in alio, ex quo illa actio prævidetur esse secutura, ita ut illud alterum intendatur tanquam medium ad actionem Sacramentalem, ut si Sacerdos ingreditur confessionale, ut ibi audiat confitentes. Indirecta datur, quando intenditur quidem aliquid, ex quo actio Sacramentalis prævidetur esse secutura, quin tamen operans illam velit, imo potius nolit, aut saltem habeat pro neglecta, uti si Sacerdos se inebriaret prævidens

fore,

ſore, ut plena in ebrietate verba conſecrationis proferat, quamvis non ideo ſe inebriaverit, ut verba illa pronunciet. Intentio determinata dicitur, qua miniſter tendit in ſubjectum & materiam determinatam, ut ſi Sacerdos vult abſolvere hunc determinatum hominem, qui ipſi nunc fuit confeſſus, aut conſecrare has determinatas hoſtias, quas hic & nunc præſentes habet. Si vero tantum vellet abſolvere indeterminate unum ex pluribus, aut conſecrare aliquas hoſtias ex toto cumulo, intentio foret ſolum indeterminata.

Dividitur 4 in abſolutam, qua Sacramentum intenditur abſolute, & conditionatam, qua ſolum intenditur ſub aliqua conditione. Quibus adhuc addi poteſt intentio erronea; frequenter enim contingit, ut miniſter laboret aliquo errore circa materiam, formam &c. Sacramenti, ideoque habeat intentiones contrarias, & ſub uno conceptu velit, ſub altero non velit conficere Sacramentum, ut magis patebit ex dicendis. Interim in hac diſputatione examinabo 1. An ad valorem Sacramenti neceſſaria ſit intentio ſeria miniſtri? 2 An illa debeat eſſe formalis ſaltem implicite? 3. An debeat eſſe actualis aut virtualis? 4. An & quomodo poſſit eſſe conditionata? 5 Quomodo debeat eſſe directa, & determinata? 6. An valori Sacramentorum obſit error privatus miniſtri? 7. Quænam ex duabus intentionibus contrariis prævaleat? 291

QUÆSTIO I.

An ad valorem Sacramenti in ministro requiratur intentio seria faciendi Sacramentum?

292 Lutherus lib. de Captiv. Babil. docuit, sufficere ad valorem Sacramenti, si minister ponat actum externum, quamvis id faciat ex joco, modoque mimico ac histrionico, & absque intentione faciendi Sacramentum, quam doctrinam Calvinus in Antitod. Concil. Trident. sess. 7 can. 11. Kemnitius in Exam. ejusdem Concilii part. 2 ad can. 11 sess. cit. Marcus Antonius de Dominis, Ludovicus le Blanc aliique Recentiores Calvini discipuli ita temperare conantur, ut fateantur quidem, jocum & irrisionem externam ac manifestam obesse valori Sacramentorum, non vero irrisionem internam & latentem. Cum enim contendant Sacramenta justificare præcise, in quantum repræsentando promissiones Christi excitant fidem suscipientium, putant hanc vim illis esse inditam, quomodocunque administrentur serio, vel ludicre, quia ideo non desinunt esse apta ad excitandam fidem. Imo neque ex Catholicis defuere, qui putarunt simulationem præcise internam non obesse valori Sacramentorum. Ita sensisse dicuntur ex antiquioribus Petr. Cantor, Robert. Pullus, Palud. Sylvester, ex Recentioribus Marius, Scribonius, Contenson, Serry, Alexand. Natalis, Caspar Juenin &c.

293 Dicendum 1. Ad valorem Sacramenti in ministro est necessaria intentio faciendi Sacramentum.

Ita

Ita omnes Catholici. Prob. Chriſtus miniſtros Sacramentorum non tantum inſtituit tanquam nuncios, qui ejus mandata ad nos perferant, ſed tanquam diſpenſatores & procuratores, qui humano modo & fideliter negotia Domini ſui gerant, ejusque perſonam ſuſtineant. *Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti & tanquam diſpenſatores myſterio. rum DEI.* 1 ad Cor. 4 v. 1. atqui diſpenſator & procurator debet agere modo humano & cum intentione proprie dicta faciendi id, quod nomine ſui principalis agit. Hinc Martinus V in Concilio Conſtantienſi ſuſpectos de fide jubet interrogari: *Utrum credant, quod malus Sacerdos, cum debita materia & forma, & cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia . . . vere conficiat Sacramenta?* Eugenius IV decreto ad Armenos inquit: *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona miniſtri cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, quorum ſi aliquid deſit, non perficitur Sacramentum.* Concilium Tridentinum ſeſſ. 7 can. 11 definit: *Si quis dixerit in miniſtris, dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia, anathema ſit.*

Dicendum 2. Intentio debet eſſe ſeria ſine joco 294
& irriſione tam interna quam externa. Prob. Miniſter Sacramentorum juxta dicta debet velle facere id, quod vult ejus principalis e. g. baptizare, a peccatis abſolvere &c. atqui qui Sacramenta tantum adminiſtrat ficte & non ſerio, non vult facere, quod vult ejus principalis, ſed Baptismum, abſolutionem &c. tantum ſimulat, imo potius non vult baptizare, abſolvere &c. Neque inter jocum & irriſionem externam & internam aliud eſt diſcrimen, quam quod ſimulator internus ſit irriſor occultus, externus vero manifeſtus, in quo declara-

tio fictionis non addit intentioni specialem defectum, sed illum tantum supponit ac manifestat. Hinc Leo X damnavit articulum XII Lutheri: *Si per impossibile confessus non esset contritus, aut Sacerdos non serio sed joco absolveret, si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus.* Concilium Tridentinum vero sess. 14 can. 9 anathema dicit asserenti, *Absolutionem Sacramentalem Sacerdotis esse nudum ministerium declarandi, remissa esse peccata confitenti; modo tamen credat se esse absolutum, aut Sacerdos non serio sed joco absolvat.* Alexander VIII damnat Propositionem 28vam: *Valet Baptismus collatus a ministro, qui ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo resolvit, non intendo, quod facit Ecclesia.*

Objectiones.

295 Obj. 1. Nicolaus I a Bulgaris interrogatus, quid sentiendum de Baptismo, de quo dubium erat, an a Judæo, Christiano vel Pagano collatus fuerit, Dist. 4 de Consecr. can. a quodam Judæo 24 respondit, hunc Baptismum valere, si in nomine Trinitatis vel Christi fuerit collatus: ergo intentio ministri non est necessaria ad valorem, de hac enim Pontifex nihil dixit, imo addidit, veritatem Baptismi non pendere ex privata ministri sententia vel errore, sed ex virtute Christi. Conf. Innocentius IV in titul. de Baptis. q. 9 inquit: *Necesse non est, ut minister sciat, quid sit, aut quid sentiat Ecclesia, nec ut in mente gerat facere, quod facit Ecclesia.* Imo *si etiam in mente gereret contrarium, & nollet facere, quod facit Ecclesia, Baptismum taliturum, si formam servet.* Resp. Conc. Ant. Neg. Cons. Nicolaus nihil dixit de intentione, tum quia de ea non fuit interrogatus, tum quia ordinarie adest,

&

& adesse præsumitur, si ritus externus serio peragitur, & de mente contraria aliunde non constet. Cur autem, & quando error privatus ministri nec seriæ intentioni, nec valori Sacramentorum obsit, inferius dicetur. Ad Conf. Inprimis Innocentius hoc scripsit ante pontificatum tantum ut auctor privatus, dein statim addit: *dummodo intendat baptizare.* Unde solum voluit, quod ad valorem Sacramenti non sit necessaria intentio formalis explicita, aut intentio faciendi, quod facit Ecclesia vera, & quoad effectum Sacramenti.

Dices 1. S. Augustinus lib. 7 de Baptis. cap. 296
53 docet, *Integritati baptismi non officere, si fallaciter detur, dummodo debitus ritus observetur*, imo dubitat, an non sit validus baptismus, si a mimo conferatur Et Tract. 5 in Joann. positive asserit, *valere baptismum ab ebrio* collatum. Conf. S. Thomas variis in locis præsertim part. 3 q. 64 art. 8 ad 7, & art. 10 ad 3 videtur negare, quod intentio ministri ad valorem Sacramenti requiratur. Resp. Quamquam S. Augustinus videatur aliquibus propendisse in sententiam nobis contrariam, absolute tamen nihil voluit decidere, sed optat hac de re audire Concilium aliquod generale, cujus auctoritati doctrinam suam modeste subjicit. Unde si post Florentinum & Tridentinum scripsisset, utique clare nobiscum fuisset locutus. Interim loco objecto per fallaciam & jocum non intellexit fictionem vel omnimodum defectum debitæ intentionis, sed tantum fictionem probitatis, & defectum fidei circa virtutem & effectum Sacramentorum, ut ex contextu eruit Tournelyus de Sacram. in gener. q. 7. a. 1. Porro de Tractatu in Joann. notat Glossa, loco ebrii, legendum esse ebriosi, id est, proclivis ad crapulam, qui tempore, quo a crapula immunis est, jam potest habere debitam

intentionem, ut adeo ejus improbitas valori baptiſmi per ſe non obſit. Ad Conf. Subobſcuri textus S. Thomæ rurſus explicandi ſunt de intentione explicita & diſtincta; nam alibi ſæpe & in ipſo art. 8 cit. intentionem miniſtri clare ad valorem Sacramenti requirit: in articulo 10 autem agit de miniſtro, qui ſerio quidem Euchariſtiam perficit, ſed ob finem perverſum, ut illam adhibeat ad maleficia.

297 Dices 2. Alexander Epiſcopus Alexandr. approbavit baptiſmum, quem S. Athanaſius adhuc parvulus pueris ex joco contulit; & Eccleſia Conſtantinopolitana baptiſmum Judæo a ſociis colludentibus collatum. Idem dicunt de baptiſmo S. Geneſii, quem recepit, dum adhuc hiſtrio in publico theatro ritus Chriſtianos coram Diocletiano repræſentaret: ergo. Reſp. In caſibus his vel nullum fuiſſe baptiſmum, vel non valuiſſe ſine intentione ſaltem implicita faciendi, quod alii Chriſtiani baptizando facere ſolent. Talem intentionem S. Athanaſium habuiſſe colligitur ex eo, quia dicitur, ſolos catechumenos baptizaſſe exploratis prius per varias interrogationes eorum diſpoſitionibus. Idem ex circumſtantiis hiſtoriæ conſtat de pueris baptizantibus Judæum, quamvis poſtea hanc actionem ad recreationem puerilem tanquam finem extrinſecum referre potuerint, ſicut non nunquam ab aliis actiones Sacramentales ſerio & rite peractæ ad lucrum temporale ordinantur. Sed neque Deo difficilius fuit miniſtro Geneſium baptizanti ſeriam intentionem inſpirare, quam Geneſium convertere. Imo hiſtoria de hoc baptiſmo merito ſuſpecta eſt, eoquod nullus Scriptor usque ad Sæculum IX de ea mentionem fecerit, Recentiores vero in ea recenſenda plurimum diſcrepent, & S. Geneſius ſalvari potuerit per baptiſmum ſanguinis

guinis & fluminis. Similiter hiſtoriam de S. Athanaſio in dubium vacant Baronius, Natalis & Benedictus XIV in libro de Synod. & Bellarm. Lib. 1 de Sacram. in gener. cap. 27.

Dices 3. Eccleſia nunquam aliquid ſtatuit circa intentionem usque ad Martinum V, & Eugenium IV; imo in Concilio Nicæno fuit probatus baptiſmus Arianorum, quamvis credebant filium Dei eſſe creaturam, & Concilium Rotomagenſe, Rhemenſe, ac Turonenſe prohibuit, ne abjurantes hæreſin Calvinianam iterum baptizentur. Similiter Sæculo XVII in Gallia rata fuerunt habita Sacramenta a Gaufredo Parocho Maſſilienſi, atque Ordines a Petro Lavardino Epiſcopo Cremonenſi adminiſtrata, licet uterque perverſiſſimas intentiones habuerit. Conf. Epiſcopi ante ordinationes proteſtantur, quod nolint ordinare excommunicatos, aut legitimo titulo deſtitutos, & tamen illorum ordines valent, alias fruſtra in Jure Canonico ab illis ſuſpenderentur: ergo. Reſp. Si Eccleſia antiqua de intentione miniſtri nihil ſtatuit, tunc ideo, quia hæc quæſtio nunquam fuit in dubium vocata, nec cauſæ internæ de intentione miniſtri facile ad forum judiciale deferuntur; imo rariſſime contingunt, adeo ut neque in hæreticis facile debita intentio deeſſe ſoleat, quamvis ſit conjuncta cum errore privato. Rumorem de Gaufredo & Lavardino falſum fuiſſe oſtendunt continuatores Tournelii, nec Sacramenta ab illis collata unquam approbavit Eccleſia, ſed duntaxat aliqui Doctores Sorbonici; fatendum tamen, occaſione hujus rumoris præſentem controverſiam contentioſius agi cœptam. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Iſtæ proteſtationes Epiſcoporum ſolum fiunt ad incutiendum terrorem ſceleris, quibus non obſtantibus ſingulos, de quorum impedimento non conſtat, ordinare intendunt.

Obj.

299 Obj. 2. Etsi absit intentio ministri, possunt nihilominus dari omnes partes Sacramenti e. g. ablutio aquæ & invocatio SS. Trinitatis: ergo sine intentione ministri potest dari totum Sacramentum; hinc Christus, quando discipulos suos misit ad baptizandum, nullam fecit mentionem de intentione, sed tantum de materia & forma. Conf. Implicat ponere materiam & formam corporis naturalis, & non constitui corpus naturale: ergo a pari. Resp. Neg. Ant. Nam licet supponatur, quod intentio ministri non sit pars constitutiva Sacramenti, nihilominus ad illud necessario & essentialiter requiritur ita, ut deficiente intentione deficiat institutio Christi, quæ tanquam forma Sacramentum formaliter tale constituit; nam Christus non voluit quamcunque materiam & formam esse partem Sacramenti, sed illam, quæ debito modo, & cum debita intentione ponitur, quod in institutione baptismi satis indicavit, quia suos discipulos misit tanquam ministros, qui nomine & auctoritate sua baptizarent. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Si paritas subsisteret, Sacramentum esset validum, licet materia & forma tantum ponerentur casu ab amente, aut dormiente.

300 Dices 1. Sacramenta sunt signa publica, & virtutem suam habent ex institutione Christi: ergo illorum valor non dependet ab intentione ministri, sicut significatio verborum non dependet ab intentione proferentis, sed semper idem significant, sive ab homine, sive a psitaco proferantur. Conf. Medicamentum prodest ægroto, etsi præter intentionem detur; atqui Sacramenta sunt medicamenta animæ: ergo. Resp. Dist. Ant. Sacramenta sunt signa publica, mere speculativa, Neg. Ant. practica, Conc. Ant. quoad hoc membrum, & Dist. etiam quoad alterum, habent virtutem suam ex

ex institutione Christi, si debito modo applicentur, Conc. Ant. secus, Neg. Ant. & Conf. Significatio aliorum verborum est mere speculativa, Sacramenta autem sunt signa practica, & nihil efficiunt, nisi debito modo applicentur, atque a ministro proferantur nomine Christi, & potestate a Christo illi concessa, quod sine intentione fieri nequit. Ad Conf. Conc. Maj. Dist. min. Sacramenta sunt medicamenta animæ moralia, Conc. min. physica, Neg. min. & Conf. Medicamenta physica & corporalia habent virtutem sanandi ex natura sua, unde sicut quoad suam essentiam non dependent ab intentione medici, sic neque quoad operationem. At Sacramenta solum habent virtutem, quatenus sunt actiones morales Christi, ad quas ex divina institutione requiritur, ut modo humano & ministeriali peragantur.

Dices 2. Minister in Sacramentis se præcise 301
habet ut instrumentum; atqui intentio instrumenti impertinenter se habet ad effectum, quem intendit agens principale. Sic Dominus per famulum valide expungit debitum, lex per præconem promulgata obligat; etsi famulus non habeat intentionem solvendi, aut præco obligandi. Conf. Verbum Dei in animis audientium idem operatur, quacunque intentione proferatur: ergo etiam Sacramenta. Resp. Dist. Maj. minister se habet præcise ut instrumentum inanime, Neg. Maj. ut instrumentum animatum, Conc. Maj. & Dist. min. Intentio instrumenti se habet impertinenter, quando effectus ab agente principali jam est determinatus, & instrumento demandatur nuda executio, Conc. min. secus, Neg. min. & Conf. Minister Sacramentorum non est merus executor voluntatis Christi, sicut famulus, aut præco promulgans legem; sed est mysteriorum Divinorum dispensator, qui

debet

debet agere prudenter, & actiones externas sua intentione ad rationem Sacramenti determinare. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Verbum Divinum ex se ipso est operativum, & a ministro præcise recitatur, ferme sicut lex a præcone: econtra ritus externus Sacramentorum de se non est operativus, sed fit Sacramentum per ipsam intentionem & operationem ministri, materiam & formam debito modo conjungentis & subjecto applicantis.

302 Obj. 3. Quamvis ille, qui in corde non vult facere, quod facit Ecclesia, non velit uti potestate a Christo sibi concessa per voluntatem privatam, vult tamen per voluntatem publicam, & ministerialem, modo materiam & formam Sacramenti ponat sine simulatione externa: ergo jam habet seriam intentionem, & se gerit ut ministrum Christi, sicut judex se gerit tanquam ministrum reipublicæ, si pro tribunali sedens auditis antea partibus vultu habituque senatorio sententiam profert. Conf. Mercator ex metu naufragii projiciens merces in mare serio agit, licet interius habeat voluntatem eas retinendi: ergo etiam minister, qui præter intentionem ponendi ritum externum habet voluntatem Sacramentum simulandi. Resp. Neg. Ant. Nam talis minister reipsa se non gerit ut ministrum Christi, sed tantum simulat, quasi exterius serio ageret, quod tamen præcise facit præsumptuose & apparenter. Idem in casu posito est de judice; hinc ejus sententia reipsa esset nulla, & quidquid roboris haberet, duntaxat desumeret ab extrinseco, nempe a consensu reipublicæ, cujus auctoritate sæpe firmantur ea, quæ in seipsis non valent, quando exterius servatæ videntur formalitates a legibus præscriptæ. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Mercator habet diversas voluntates de eodem objecto, proin altera tantum est inefficax

vel-

velleitas; Minister vero haberet duas voluntates efficaces circa objecta omnino diversa, videlicet positionem externam ritus, & internam irrisionem.

Dices. Christus in republica Christiana voluit 303
Sacramenta peragi eo modo, quo negotia peraguntur in republica profana; neque enim Christianismus angelorum, sed hominum cœtus est; atqui in republica profana ad valorem actuum, contractuum functionumque judicalium sufficit, modo ritus externus serio peragatur, quacunque intentione id fiat. Conf. Qui cum debita intentione ponit ritum externum, non solum conficit Sacramentum, sed etiam confert illius effectum, esto nolit illum conferre: ergo a pari. Resp. Neg. Maj. Quamvis Christus voluerit, ut Sacramenta peragantur modo humano, non tamen voluit observari omnimodam paritatem cum actibus profanis, alias sicut per L. Barbarius 3 ff. de Offic. prætor. valent acta & sententia servi, si per communem errorem habetur legitimus judex, sic valeret consecratio vel absolutio Sacerdotis mere putatitie talis. Si igitur respublica civilis ad acta & contractus civiles consensum internum non requirit, quod num. super. cum communiore negavi, aut potius illius defectum ad evitandas innumeras fraudes supplet, ideo fit, quia nequit secreta cordium inspicere. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Sacramenta rite confecta sunt causa necessaria gratiæ, adeoque minister privata sua intentione nequit eorum effectum suspendere: ut vero Sacramenta sint & conficiantur, Christo volente dependet ab intentione ministri, qui ritum externum nomine Christi, vel alio modo ponere potest.

Obj.

304 Obj. 4. Quando Concilium Tridentinum anathematizat afferentem, valere abfolutionem joco, & non ferio datam, folum voluit profcribere jocum externum, quem admiferat Lutherus: ergo in fenfu Concilii minifter jam agit ferio, modo absque joco externo ritum ponat in iis circumftantiis, in quibus Sacramenta confici folent. Conf. Intentio, qua talis minifter diceret: Non intendo facere, quod facit Ecclefia, tantum foret inefficax, & contraria facto, ficut intentio illius, qui admoveret ignem ftupæ, nolens, ut ignis illam comburat. Refp. Sicut gratis fingitur, quod Lutherus de fola irrifione externa locutus fit, fic Tridentinum reprobavit omnem jocum, excludentem animum vere & ferio agendi, ut colligitur ex verbis: *Aut Sacerdoti animus ferio agendi, & vere abfolvendi defit.* Atqui etiam jocus internus excludit animum ferio agendi, & vere abfolvendi, licet per figna externa fe non prodat, de quo cafu expreffe loquitur propofitio 28va ab Alexandro VIII. damnata. Ad Conf. Neg. Ant. Ut ignis ftupæ admotus illam non comburat, non eft in poteftate ignem admoventis: at in poteftate miniftri eft, utrum ritum externum velit ponere tanquam in Ecclefia facrum, vel tanquam actionem mere naturalem & politicam. Unde licet illum ponendo nequeat efficaciter apud fe refolvere: Nolo ritum externum, poteft nihilominus efficaciter ftatuere: Nolo per hunc ritum facere, quod facit Ecclefia.

305 Dices. Propofitio 28va folum fuit damnata propter errorem Lutheri, qui a nonnullis in Belgio recudebatur, & Serryus teftatur, fe Romæ, cum decretum Alexandri ederetur, a primæ notæ confultoribus didiciffe, fententiam fuam prorfus manfiffe intactam; hinc non folum adhuc ævo noftro defenditur in celeberrimis Academiis, fed etiam

etiam Romæ in publicis thesibus approbante sacri Palatii Magistro. Eandem tuetur Genetus in Theologia morali Clementi XI. nuncupata, & auctor Summæ Alexandrinæ Romæ typis impressæ. Resp. Sicut nullus potest assignari scriptor, qui in Belgio errorem Lutheri resuscitasset, sic Serryus nullum ex consultoribus Romanis pro se nominat: propositio damnata vero expresse loquitur de eo, qui omnem ritum externum observat, & intus in corde suo resolvit. Porro licet aliqui contrarium adhuc defendant, existimantes se fulmen Tridentini, & Alexandri damnationem adhuc evadere posse, sunt tamen respective pauci, & forte quidam in sensu mitiore explicari possunt, ut quæst. seq. dicam. Quod de thesibus Romæ editis, de Geneto & auctore Summæ Alexandrinæ additur, falsum esse probant continuatores Tournelii, neque de ullo constat, quod post decretum Alexandri publice in Urbe ausus sit defendere sententiam, quam hic impugnavi.

Quæres. An intentio ministri sit pars Sacra- 306
menti? Resp. cum Thomistis, Scotistis & communiore nostrorum contra Lug. Marin. Viva negative, excepto matrimonio, quia nulla est necessitas partes Sacramentorum ita multiplicandi. Cum enim Christus omnes materias & formas Sacramentorum futuras per scientiam infusam præviderit, solas illas ad causandam gratiam instituere voluit, quæ cum debita intentione ministri erant conjungendæ, ipsam intentionem vero non assumpsit pro parte constitutiva signi practici, sed eam respexit tanquam aliquem terminum necessario requisitum, sicut dicimus de intentione suscipientis, persona ministri, charactere baptismi &c. Neque obstat, quod actiones Sacramentales sint ministeriales, & juxta Concilium Florentinum decret. ad Armen. Sa-

cramenta etiam intentione miniſtri perficiantur. Nam ideo actiones non ſunt forma & materia qua miniſteriales, Florentinum autem etiam dicit Sacramenta perfici perſona miniſtri. Unde vides, quod in hac providentia non quælibet e. g. ablutio in aqua ſit materia proxime apta ad conſtituendum Sacramentum, quamvis ſit apta remote, & etiam proxime foret, ſi Chriſtus prævidiſſet, quod cum intentione miniſtri, aliisque ab ipſo requiſitis eſſet conjungenda. Dixi excepto matrimonio; cum enim conſiſtat in contractu civili & legitimo, utique intentionem & mutuum contrahentium conſenſum tanquam partem involvit.

QUÆSTIO II.

An intentio miniſtri debeat eſſe formalis & explicita?

307 Quoniam ritus externus Sacramentorum ſerio, & ſine ſimulatione tam externa quam interna poni poteſt, quin ideo miniſter intentionem formalem poſitive eliciat, aut excludat, quæritur hic, utrum in miniſtro ita præciſive ſe habente intentio pure externa & materialis ad valorem ſufficiat ſaltem tunc, quando ritus externus aliunde a circumſtantiis ad rationem Sacramenti videtur determinari, ut docuiſſe videntur Alphonſus Salmeron in Comment. in Epiſt. S. Pauli part. 3 diſp. 2 & Ambroſius Catharinus in opuſc. de intent. Miniſt. Nam licet non pauci exiſtiment, illos contendiſſe Sacramenta valere, etiamſi miniſter interius ſimulet, & poſitive nolit Sacramentum, utrumque tamen cum aliis vindicat Tournelius, & ex ipſorum verbis probat, quod ſolum negaverint neceſſitatem intentionis for-

formalis explicitæ, aut effectus Sacramentalis, quando videlicet minister ex errore privato non credit ritum, quem ponit, a Christo esse institutum, aut gratiam internam conferre. Certe Catharinum ab errore sectariorum immunem pronunciavit Palav. in hist. Concil. Trident. Lib. 9 cap. 6. Bened. XIV in Lib. de Synod. & ipse Ant. de Dominis Lib. 5 de Republ. Eccles. cap. 12. Si tamen revera simulationem internam admisisset, ejus sententiam, ait Tournelius, rejiciendam, & ab errore novatorum vix distare arbitramur.

Dicendum 1. Ad valorem Sacramenti in ministro requiritur intentio formalis faciendi Sacramentum. Ita contra Auctores hic & in præced. quæst. citatos alii communissime. Prob. Juxta Concilium Florentinum & Tridentinum cit. Num. 293 ad valorem Sacramenti præter materiam & formam requiritur, ut minister intendat facere, quod facit Ecclesia, sed qui præcise habet intentionem materialem & externam, non intendit facere, quod facit Ecclesia. Nam 1. Ecclesia ponendo ritum externum non ponit tantum ceremoniam quandam materialem aut politicam, sed sacram a Christo institutam. 2. Intentio ponendi ritum externum est inseparabilis a materia & forma, cum utique nemo vigilans & mentis compos aliquid exterius faciat, quin illud facere intendat: ergo decisio Conciliorum, nisi aliam adhuc intentionem requirerent, esset ridicula, sicut ridiculum foret, si servo tuo diceres, debes ire in urbem, sed simul debes habere intentionem eundi in urbem. 3. Tridentinum Sess. 14 cap. 6 ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ expresse requirit, ut Sacerdoti non desit animus serio agendi, & vere absolvendi: ergo præter intentionem ponendi actum externum requirit animum & intentionem vere absolvendi. 308

Conf. Quando nutrix lavat infantem, ſimulque invocat ex devotione SS. Trinitatem, habet intentionem ſeriam ponendi ritum externum, nec tamen juxta ipſos adverſarios conficit Sacramentum: non ex defectu circumſtantiarum; ſi enim reipſa vellet baptizare, baptiſmus valeret: ergo ex defectu intentionis formalis.

309 Prob. 2. Ex una parte miniſter Sacramenti debet agere nomine Chriſti: ex altera parte ritus præciſe externus eſt indifferens, ut ponatur nomine Chriſti vel mere materialiter ex alio fine profano: ergo ad eſſe Sacramentale debet determinari per intentionem formalem miniſtri. Sicut enim legatus non ageret nomine ſui Principis, ſi nulla illius habita ratione tantum vellet negotia ſua privata curare: ſic miniſter Sacramenti non ſuſtinet perſonam Chriſti, ſi ritum externum absque omni reſpectu ad Chriſti inſtitutionem & poteſtatem ab ipſo acceptam ponit, eſto, quod alii ex circumſtantiis putent, ipſum ponendo hunc ritum velle Sacramentum conficere. Conf. In rubricis Miſſalis Romani, quod cura & auctoritate Clementis VIII editum eſt, & aliæ quam plurimæ Eccleſiæ obſervant, cap. 7 de defectu intentionis habetur: *Si quis habeat coram ſe undecim hoſtias, & intendat ſolum conſecrare decem, non determinans, quas decem intendat, non conſecrat, quia requiritur intentio;* atqui in hoc caſu non deeſt intentio exterior, eoquod omnes hoſtiæ ſint ſufficienter applicatæ, & forma exterior ſupra omnes pronuncietur: ergo conſecratio præciſe eſt nulla ex defectu intentionis internæ, per quam verba ad determinatas hoſtias debuiſſent applicari.

310 Dicendum 2. Intentio formalis non debet neceſſario eſſe explicita, ſed ſufficit etiam implicita: imo

imo ne quidem requiritur, ut minister explicite intendat effectum Sacramenti, aut facere, quod facit Ecclesia Romana & Catholica, modo simpliciter & generatim velit facere, quod facit Ecclesia, aut ritum externum velit ponere tanquam ceremoniam sacram, & per eam suscipienti prodesse meliore modo, quo potest; ita communis & certa. Nam Concilium Florentinum & Tridentinum non requirunt aliam intentionem, quam faciendi, quod facit Ecclesia; atqui hæc tantum est intentio implicita faciendi Sacramentum. Præterea per illam ritus externus sufficienter determinatur ad esse Sacramentale, & minister vult agere nomine Christi, alioquin plurima Sacramenta, quæ ab Ecclesia valida censentur, essent nulla, præsertim quæ administrantur ab hæreticis & infidelibus, qui neque Ecclesiam tanquam veram agnoscunt, neque dari Sacramenta vel per illam gratiam conferri credunt. Vid. num. 295 & 298.

Objectiones.

Obj. 1. Quando Concilium Tridentinum de- 311
finivit, quod in ministro requiratur intentio faciendi, quod facit Ecclesia, egit contra hæreticos, qui volebant Sacramenta esse valida, etsi absque ulla intentione, imo etiam cum intentione contraria ponantur: ergo in præsenti quæstione nihil probatur ex Concilio. Conf. Ipsum Tridentinum Sess. 14 cap. 6 sufficienter declarat, quod nihil aliud in ministro requirat, quam animum serio agendi; ait enim, *illum salutis suæ fore negligentissimum, qui Sacerdotem jocose absolventem agnosceret & non alium serio agentem sedulo requireret*: ergo. Resp. Dist. Ant. Egit contra hæreticos, ita tamen, ut voluerit simul declarare doctrinam Ecclesiæ, Conc.

Ant. ſecus, Neg. Ant. & Conſ. Quamvis Concilium Tridentinum principaliter egerit contra hæreticos, voluit tamen ſimul declarare naturam & proprietates Sacramentorum: cum igitur (ſicut & Florentinum) ſatis clare indicet, ad valorem Sacramentorum in miniſtro requiri intentionem formalem, recte ex illo argumentum theologicum deducitur. Ad Conf. Neg. Ant. Nam Tridentinum in eodem capite a Sacerdote non ſolum voluntatem ſerio agendi, ſed etiam vere abſolvendi requirit, neque opus eſt, ut omnia ſemper & in omni textu exprimat.

312 Dices 1. Tridentinum ſolum definit, quod neceſſaria ſit intentio *faciendi, quod facit Eccleſia*, non item *quod intendit Eccleſia*; atqui Eccleſia tantum facit ritum externum, Sacramentum autem formaliter tale intendit: ergo. Conſ. Sicut Eccleſia facit ceremoniam ſacram, ita confert effectum Sacramenti: ergo ſi miniſter debet omnia intendere, quæ facit Eccleſia, deberet etiam intendere effectum Sacramenti. Reſp. Tranſ. Maj. Diſt. min. Eccleſia tantum facit ritum externum & Sacramentalem, Conc. min. qualemcunque, Subdiſt. phyſice, Tranſ. min. moraliter, Neg. min. & Conſ. Multæ actiones præter ſuum eſſe phyſicum habent etiam eſſe morale dependenter ab intentione operantis, ut ſiquis nomine alterius celebrat contractum vel aliud quid agit: licet itaque Eccleſia Sacramentum qua tale non faciat phyſice, nihilominus illud facit in ſenſu morali, & ideo, dum exigit, ut miniſter intendat facere, quod facit Eccleſia, ſimul exigit, ut aliquo modo ſaltem implicite etiam intendat, quod Eccleſia intendit. Ad Conf. Conc. Ant. Diſt. Conſ. Debet intendere effectum in ſeipſo, Neg. Conſ. in ſua cauſa, Subdiſt. explicite, Neg. Conſ. implicite, ſicut ſolum impli-

implicite debet intendere Sacramentum, Conc. Conſ. vid. num. 310.

Dices 2. Eſt incredibile, quod Concilium Tri- 313
dentinum voluerit proſcribere ſententiam Catharini, & Salmeronis, qui ipſimet Concilio interfuerunt, & illius mentem optime perſpectam habebant. Conf. Catharinus opuſculum ſuum edidit paucis poſt conceptum Seſſionis 7 decretum annis, durante adhuc Concilio, cui illius ſententia adeo non fuit ſuſpecta, ut poſtea a Julio III ad Archiepiſcopatum Campſenſem promotus fuerit. Reſp Diſt. Ant. Quod Tridentinum ſententiam Catharini voluerit proſcribere directe & expreſſis verbis, Conc. Ant. indirecte, & ita, ut ex verbis Concilii efficax contra illam poſſit formari argumentum, Neg. Ant. Licet Concilia directe, & in propriis terminis communiter non proſcribant ſententias inter Catholicos adhuc controverſas, ipſos tamen hæreticorum errores ſæpe talibus verbis damnant, ut illis quasdam etiam ſcholaſticorum ſententias implicite rejiciant. Porro Catharinus & Salmeron Concilio non interfuerunt cum jure ſuffragii, ſed tanquam Theologi & conſultores, inter quos poſt Concilium adhuc multæ fuerunt altercationes de mente Patrum e. g. circa juſtificationem, augmentum gratiæ, pia opera &c. quam proin ad privatas ſuas opiniones detorquere conati ſunt, ut patet in Bajo. Hinc ex Conf. tantum ſequitur, quod ſententia Catharini non fuerit damnata clare & expreſſe, ut ait Benedictus XIV. Interim noſtram ſententiam vocat communiorem, tutiorem & ſervandam in praxi, imo addit, ſententiæ Catharini grave vulnus inflictum eſſe ab Alexandro VIII per damnationem propoſitionis 28væ.

314 Obj. 2. Quando minister serio vult, & ponit ritum externum in iis circumstantiis, in quibus Sacramenta administrari solent, ritus externus per ipsas circumstantias determinatur ad esse Sacramentale: ergo jam agit ut minister & procurator Christi. Conf. Qui inter publica sacrificia curvaret genu coram idolo, idolum adoraret: ergo a pari. Resp. Neg. Ant. Ritus externus etiam in talibus circumstantiis positus manet indifferens ad esse Sacramentale, cujus determinationem Christus ministro relinquere voluit ita, ut licet e. g. metu adactus externe ageret ludicre, aut formam & materiam poneret in talibus circumstantiis, in quibus Sacramenta administrari non solent, nihilominus Sacramentum conficeret, modo illud serio & formaliter conficere vellet; sicut vicissim invalide agit, si absolute non vult conficere Sacramentum, etsi actum externum ponat modo & ritu externo, quo publice & ex præscripto Ecclesiæ conficiuntur. Ad Conf. Imprimis ita externe adorans idolum non ageret nomine alterius sed proprio; dein nisi haberet intentionem adorandi, non esset idololatra directe & formaliter talis, sed tantum indirecte & præsumptive.

315 Dices 1. Est inexplicabile, quid minister præter ritum externum ex parte objecti debeat velle, ut formaliter intendat Sacramentum; non enim debet velle institutionem Christi, quæ aliunde jam præsupponitur: non effectum Sacramenti, ut ipsimet fatemur: non actum aliquem internum; alias intentio deberet se ipsam habere pro objecto: ergo. Resp. 1. quærendo, quid juxta adversarios minister non velit, si præcise intendat ritum externum? nam & ipsi inter intentionem formalem & materialem discrimen agnoscunt, cum unam asserant, alteram negent esse necessariam. Resp. 2. Neg.

Neg. Ant. Quando miniſter formaliter vult facere, quod facit Eccleſia, vult ritum externum tanquam ceremoniam ſacram, & habentem aptitudinem ad gratiam ſubjecto diſpoſito conferendam. Unde ritum externum, non quidem vult præciſe ſecundum ſe, neque expreſſe & abſolute gratiam, neque ſuam intentionem aut inſtitutionem Chriſti, ſed ritum externum, prout illum cognoſcit ſub ratione actionis a Chriſto inſtitutæ ad effectum gratiæ. Sic qui vult cum alio loqui, non vult mere ſonum materialem, neque abſolute cognitionem ſui conceptus, ſed vult ſonum materialem, ut ex inſtitutione hominum habentem aptitudinem ad excitandam auditionem ac cognitionem ſui conceptus, & qui odit peccatum ut oppoſitum dictamini rationis, non ideo odit dictamen rationis, per quod peccatum conſtituitur.

Dices 2. Hæretici non credunt, quod Sacra- 316
menta cauſent gratiam, imo gentiles ne quidem agnoſcunt, quod ſint a Chriſto inſtituta: ergo ritum externum non poſſunt intendere ſub ratione actionis a Chriſto inſtitutæ, & ordinatæ ad effectum gratiæ. Conf. Ut conferatur gratia, non requiritur, ut miniſter illam intendat: ergo etiam ut conficiatur Sacramentum, non requiritur, ut intendatur. Reſp. Trans. Ant. Diſt. Conſ. ergo ritum externum non poſſunt intendere ſub ratione actionis &c. explicite, Conc. Conſ. implicite, Neg. Conſ. Quando hæretici valide conficiunt Sacramenta, ſaltem volunt facere, quod Chriſtus inſtituit, gentiles vero, quod vident fieri a Chriſtianis, cumque ſuſcipientibus meliore modo prodeſſe velint, hoc ipſo ritum externum implicite intendunt ſub ratione actionis a Chriſto ad effectum gratiæ ordinatæ. Ad Conf. Inprimis nego ſuppoſitum, quod effectus Sacramenti non debeat intendi ſaltem in alio

 impli-

implicite & conditionate. Dein Neg. Cons. Nam quando minister vult Sacramentum, hoc ipso vult aliquid, ex quo gratia tanquam effectus necessario sequitur; qui autem præcise vult ritum externum, non hoc ipso vult aliquid, ex quo necessario sequitur Sacramentum, ut ex dictis constat.

317 Obj 3. Christus potuit Sacramenta ita instituere, ut valerent cum intentione tantum externa: ergo ita instituit; nam hoc modo melius est consultum utilitati hominum, & honori ac dignitati Sacramentorum, quæ hac ratione non tam facile maliriose possunt impediri. Conf. quia alias posset aliquis perire ob solam malitiam alterius, quod foret injustum, ut advertit S. Chrysostomus Homil. 85 in Joann. Resp. Conc. Ant. Neg. Cons. Quomodo Christus Sacramenta instituere, eorumque dignitati ac saluti hominum consulere voluerit, dependebat a libera ejus determinatione, quam ex S. Litteris & Conciliis optime colligimus Unde hic non valet argumentum a potentia ad actum; neque ex majore utilitate hominum, aut honore Sacramentorum solide aliquid probatur, alias dici deberet, Sacramenta valere sine omni intentione ministri, aut licet occulte eorum materiam & formam corrumperet. Ad Conf. Neg. sequel. Siquis periret ex defectu ministri intentionem retinentis, non damnaretur propter malitiam ministri, sed ob peccatum proprium vel actuale vel originale. Quamquam DEUS facienti, quod in se est, non esset denegaturus gratiam, qua per contritionem perfectam ad salutem se posset disponere, si foret adultus; si vero esset parvulus, qui forte non rite baptizaretur, culpa non posset rejici in DEUM, qui gratiam finalem per se nemini debet. Porro S. Chrysostomus loco objecto non loquitur de intentione, sed improbitate ministri.

Dices

Dices. Ideo ad valorem Sacramentorum non 318
requiritur fides & probitas miniſtri, quia alias ab illo facile poteſt impediri valor; ſed hæc ratio æque pugnat contra noſtram ſententiam: ergo. Conf. Juxta nos poſſet contingere, ut integra provincia vel tota Eccleſia careret legitimis Sacramentorum miniſtris; ponamus enim Petrum absque intentione miniſtri baptizatum promoveri ad Epiſcopatum, & per plures annos ordinare omnes Sacerdotes ſuæ Diœceſeos; ſi jam ex his Sacerdotibus invalide ordinatis rurſus aliqui fiant Epiſcopi, malum iſtud late graſſabitur, & tandem totum regnum, aut Eccleſiam inficere poterit. Reſp. Trans. Maj. hæc enim non eſt ſola nec præcipua ratio, ex qua probavi fidem & probitatem miniſtri ad valorem Sacramenti non eſſe neceſſariam. Neg Min. Quia longe frequentius contingit, ut in miniſtro deficiat probitas, quam vera intentio, quam quisque etiam ſceleſtiſſimus facile habere poteſt, dum econtra ſtatus gratiæ a multis difficulter longo tempore conſervatur, vel amiſſus ſtatim iterum reparatur. Ad Conf. Sicut ad providentiam DEI pertinet impedire, ne per corruptionem formæ aut intentionem contrariam miniſtri tota provincia, & multo minus tota Eccleſia, contra quam portæ inferi nunquam prævalebunt, legitimis Sacramentorum miniſtris privetur, ſic ad illam ſpectat providere, ne hoc fiat ob defectum intentionis formalis.

Obj. 4. Chriſtus Sacramenta ita inſtituit, & 319
Eccleſia vult, ut de illorum valore ſimus certi; atqui hoc non poſſet fieri in noſtra ſententia, ſed quia intentionem miniſtri non poſſumus cognoſcere, deberemus perpetuis ſcrupulis & anxietatibus torqueri. Conf. Saltem hac ratione ſæpius deberet iterari Baptismus, utpote ſumme neceſſarius,

&

& ad valorem aliorum Sacramentorum essentialiter prærequisitus. Resp. Dist. Maj. ut simus certi positive, & omnimode, Neg. Maj. negative & moraliter, Conc. Maj. & sic Dist. Min. Neg. Cons. Cum intentio formalis facillime possit haberi, & ejus omissio ministro nullum afferret commodum, sed potius gravissimum damnum, nullum habetur prudens fundamentum suspicandi, quod illi debita intentio defuerit, si omnia externa rite peregerit, quamquam de hoc ipso non simus positive & omnimode certi, quia etiam potuisset corrumpere formam. Hinc ad Conf. dico, Baptismum tunc solum esse iterandum, si de invaliditate Sacramenti prudens & gravis habetur suspicio. Profecto incertitudo Sacramenti minime tollitur per sententiam Adversariorum, cujus veritas neutiquam est certa, imo ejus falsitas longe probabilior; hinc illius usus in praxi certo est illicitus.

QUÆSTIO III.

An intentio ministri debeat esse actualis aut saltem virtualis? an vero etiam sufficiat habitualis & interpretativa?

320 Quid per primum nominatas quatuor intentiones intelligatur, dixi num. 289. In quonam autem virtus illa, in qua intentio actualis virtualiter adhuc existere & operari censetur, reipsa consistat, inter Auctores non convenit. Nam 1 aliqui illam constituunt in ipso exercitio potentiarum externarum; verum potentiæ externæ per intentionem præcedentem ad actiones postea subsequentes sine novo actu

actu interno non possunt determinari; posita enim una actione sunt prorsus indifferentes ad aliam similem vel dissimilem, aut omnino nullam, neque in iis admittitur habitus, aut alia qualitas impressa. Hinc 2 Lug. Dicastil. Maurus &c. ad virtualem perseverantiam intentionis actualis requirunt continuos actus intellectus, quamquam isti actus frequenter sint admodum exiles, & sub experientiam cadere non possint. Sed licet ejusmodi actus communiter phantasiam, dum hæc operatur, comitentur, negat tamen cum S. Thoma in 3 part. q. 64 a. 8 ad 3. Suario, Mastrio &c. communis, illos per se esse necessarios. Sed 3 existimant intentionem virtualem sufficienter explicari posse per actus internos phantasiæ, & appetitus sensitivi, qui per intentionem actualem excitatus dein mediantibus spiritibus animalibus potentias externas ad continuandas actiones Sacramentales movere pergat, modo minister compos sit rationis, & priorem intentionem actualem aliunde moraliter non interruperit. Quidquid de hac controversia philosophica sit,

Dicendum 1. Ad valorem Sacramenti sufficit 321
non solum intentio actualis, sed etiam virtualis. Ita cum S. Thoma part. 3 q. 64 art. 8 ad 3 omnes Doctores, ut ait Lugo. Pars 1 patet, quia intentio actualis est omnium optima. Pars 2 prob. Quia Christus Sacramenta ita instituit, ut illorum valor sit in morali potestate hominum; atqui non esset, si intentio virtualis non sufficeret. Cum enim homines communiter sint obnoxii innumeris distractionibus, quos cohibere si non physice, saltem moraliter impossibile est, superat communem hominum facultatem, semper habere intentionem actualem. Unde si hæc ad valorem Sacramentorum esset necessaria, Sacramenta semper dubia, & sæpissime

pissime nulla forent, indeque tam suscipientes, quam administrantes continuis involverentur anxietatibus.

322 Dicendum 2. Non tamen ad valorem Sacramenti sufficit intentio habitualis, multo minus interpretativa. Ita rursus communissima. Prob. 1 pars. Actio Sacramentalis debet poni nomine Christi, & efficaciter procedere ab intentione formaliter faciendi, quod facit Ecclesia; atqui hoc non fit, si intentio tantum est habitualis; sicut enim tunc intentio actualis, nec in se, nec in sua virtute amplius existit; sic nec immediate per se ipsam, nec mediate per virtutem a se relictam efficaciter influit, sed minister præcise se habet tanquam instrumentum Christi mortuum, neque agit ministerialiter modo humano, & rationabili. Prob. 2 pars. Intentio interpretativa reipsa nunquam exstitit, neque existit in se vel in sua virtute, dum Sacramentum conficitur: ergo nullo modo in actionem Sacramentalem influit, quod ad valorem Sacramenti necessarium esse, patet ex primum dictis.

Objectiones.

323 Obj. 1. Actiones Sacramentales debent poni libere & modo humano; atqui cum intentione tantum virtuali non ita ponuntur; nam actio, quæ per solam phantasiam & appetitum sensitivum dirigitur, etiam potest poni in somno & plena ebrietate. Conf. Ejusmodi actiones non dependent a prima intentione actuali: ergo. Resp. Conc. Maj. Neg. Min. Quamvis dum perficitur Sacramentum, minister actu ad illud non advertat, neque agat immediate libere, nihilominus ejus actio dependet a præcedente intentione actuali & libera, idque longe

longe perfectius, quam si in somno aut ebrietate phantasia sine freno exerrat; hinc intentio virtualis sufficit ad contractus, aliaque negotia humana, quæ in somno & ebrietate valide non celebrantur. Ad Conf. Neg Ant. Quando elicitur intentio actualis, imprimis excitantur species phantasticæ primarum actionum Sacramentalium, has propter earum coordinationem & connexionem sequuntur aliæ servientes ad proxime dirigendas actiones subsequentes, donec tandem finis per actualem intentionem imperatus plene obtineatur.

Dices 1. Minister debet intendere actiones Sacramentales formaliter, & qua tales; atqui ad hoc non sufficit intentio virtualis: ergo Conf. intentio virtualis non sufficit ad meritum; alias oratio inter distractiones peracta esset meritoria: ergo etiam non sufficit ad conficiendum Sacramentum. Resp. Conc. Maj. Dist. Min. ad hoc non sufficit intentio virtualis, si præcise consideretur secundum actus phantasiæ & appetitus sensitivi, Conc. Min. si simul consideretur secundum intentionem actualem præteritam, Neg Min Intentio virtualis adæquate sumpta duo complectitur, intentionem actualem præteritam, & virtutem, ab ipsa relictam, ad valorem Sacramenti autem sufficit, modo actio Sacramentalis qua talis intendatur per intentionem actualem, eaque postea mediantibus actibus phantasiæ, & appetitus sensitivi ad illas efficaciter determinet. Ad Conf. Dist. Ant. Si aliquid interveniat, quod turbet meritum, Trans. Ant. secus, Neg. Ant. & Conf. Esto, quod oratio voluntarie distracta fiat potius culpabilis, quam ut aliquid mereatur, manet nihilominus meritoria, si distractio tantum sit involuntaria, eoquod tunc nulla culpa interveniat, per quam ratio meriti destruatur. 324

Dices

325 Dices 2. Ergo ſaltem intentio virtualis tunc non ſufficit, ſi miniſter in confectione Sacramenti eſt voluntarie diſtractus; atqui hoc communiter negatur: ergo. Conf. Forma Extremæ Unctionis eſt quædam oratio: *Orent ſuper eum*, Jac. 5 v. 14; atqui per diſtractionem voluntariam ſubſtantia orationis tollitur: ergo. Reſp. Neg. ſequel. tum quia diſtractio voluntaria non impedit, quo minus actio Sacramentalis ponatur modo humano & vi primæ intentionis, imo non nunquam animum minus avertit, quam diſtractio involuntaria: tum quia ad valorem Sacramenti non requiritur, ut illud miniſtretur meritorie & ſine peccato. Hinc ad Conf. Diſt. Maj. Forma Extremæ Unctionis eſt oratio poſita nomine Chriſti, Conc. Maj. nomine ſolius Sacerdotis, Neg. Maj. & ſic proportionaliter Diſt. Min. Cons. Si enim Chriſtus pro actione moraliter ſua poteſt habere conſenſum matrimonialem intrinſece & graviter peccaminoſum, cur non etiam orationem miniſtri voluntarie diſtracti. Porro qualis attentio ad ſubſtantiam orationis requiratur, diſputant Theologi morales. S. Anton. Hoſtienſ. Abb. Palud. Comit. Dicaſt. Lugo docent ſufficere virtualem intentionem ad verba, eamque ſolum tolli per actus cum advertentia ad verba incompoſſibiles.

326 Obj. 2. Intentio actualis, quamdiu non eſt retractata, moraliter perſeverat, & actus ſubſequentes denominat voluntarios: ergo per ipſam negationem retractationis in actiones Sacramentales influit, præſertim ſi hæc negatio ſit conjuncta cum habitu per frequentatos actus acquiſito. Conf. S. Thomas q. 64 art. 4 ad 3 expreſſe docet, quod intentio habitualis ad perfectionem Sacramenti ſufficiat. Reſp. Trans. Ant. Neg. Cons Quamvis intentio actualis, quamdiu non retractatur, aliquo modo

modo moraliter perſeveret, & actus ſubſequentes denominet voluntarios, in quantum non ſunt oppoſiti inclinationi præcedenti & habituali, ſi tamen in nulla ſui virtute amplius exiſtit, per meram negationem nequit in actiones Sacramentales proprie influere, eosque ita nomine Chriſti ad exiſtentiam determinare, ut ſtricte voluntarii, & ad finem ſuum ordinati dici poſſint: neque habitus præacquiſitus ad hoc ſufficit, niſi miniſtrum ad intentionem ſaltem virtualem excitet, quo caſu non amplius datur intentio mere habitualis. Ad Conf. Tempore S. Thomæ omnis intentio, quæ non erat actualis, vocabatur habitualis, quod autem S. Doctor revera intellexerit virtualem, patet ex contextu; ait enim: *Ex virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum.*

Dices 1. Intentio actualis tempore matutino fa 327
cta, quamdiu non retractatur, influit in omnia opera diurna, illaque reddit meritoria novi augmenti gratiæ & gloriæ, licet hæc intentio per diem tantum habitualiter perſeveret: ergo ſimilis intentio ſufficienter influit in actiones Sacramentales. Conf. Intentio habitualis ſufficit ad ſuſcipiendum Sacramentum: ergo etiam ad conficiendum. Reſp. Neg. Ant. quod aliqui Aſcetæ quidem aſſerunt, ſed Theologi cum S. Bonavent. Suarez, Laym. Bellarm. communiſſime requirunt, ut intentio actualis in opera diurna influat per ſe vel mediante aliqua ſua virtute. Neque tamen ideo intentio matutina inutiliter elicitur, tum quia in ſe ipſa eſt valde meritoria, tum quia ratione ipſius, aut ſpecierum per frequentatos actus per illam acquiſitarum longe facilius obtinetur intentio virtualit, aut actualis repetitur. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Per ſe loquendo univerſaliter plus requiritur in agente, quam in patiente; jam vero mini-

minister se habet per modum principii activi, agentis nomine Christi, & ritum externum determinantis ad rationem Sacramenti : suscipiens vero est præcise subjectum patiens, in quo aliqua intentio tantum ideo requiritur, ne Sacramenta obtrudantur invitis; hinc quandoque valent sine omni intentione, ut Baptismus parvulorum.

328 Dices 2. Saltem intentio habitualis sufficit ad Sacramentum matrimonii; nam 1 matrimonium valide potest contrahi per epistolam aut procuratorem, etsi tunc principalis contrahens nihil de matrimonio cogitet, aut dormiat. 2. Valet matrimonium contractum sub conditione de futuro, etsi tempore, quo conditio impletur, contrahentes de hac purificatione nihil sciant. Resp. Dist. Ant. Intentio habitualis sufficit ad Sacramentum matrimonii, quando illud primo contrahitur, & partes Sacramenti principales ponuntur, Neg. Ant quando illud completur, Conc. Ant. Ad prob. 1 dico, quod in hoc casu actualis intentio adhuc influat per virtutem a se relictam, nempe epistolam, aut verba procuratoris, qui intentionem saltem virtualem habere debet, quando nomine sui principalis contractum matrimonii perficit. Ad 2. Sicut in aliis contractibus conditionatis intentio actualis vel virtualis solum tunc requiritur, quando contractus primo initur, quando autem completur, habitualis sufficit, ita in Sacramento matrimonii, quod per modum contractus legitimi fuit institutum. Neque obstat, quod sic eventus conditionis videatur esse pars Sacramenti, quia ideo non est ceremonia primaria, sed tantum complementum consensus legitimi, partes autem principales sunt ipse consensus & signa externa, quibus contrahentes consensum externum sibi mutuo manifestant.

Obj.

Obj. 3. Ut Sacerdos fructum craſtini ſacrificii 329
valide applicet Paulo; ſufficit ſi hodierna intentio actualis cras habitualiter perſeveret: ergo etiam ſufficit, ut Sacerdos valide conſecret. Conf. Applicare ſacrificium Paulo, & offerre ſacrificium, vel ſacrificare pro Paulo ſunt idem: ergo. Reſp. Trans. Ant. quod cum aliquibus negat Vasquez, Neg. Conſ. Applicatio ſacrificii non eſt operativa Sacramenti, neque actiones externas debet ad rationem ſacrificii determinare, ſed eſt tantum quædam anticipata obligatio & donatio fructus ex ſacrificio redundantis; ſi nempe cras legatur ſacrum, & voluntas hæc interim non mutetur; jam ut donatio conditionata tranſeat in abſolutam, non requiritur, ut prior voluntas adhuc actualiter aut virtualiter duret, modo non fuerit revocata, dum conditio purificatur. Aliud foret, ſi Sacerdos hodie tantum feciſſet propoſitum, ſacrificium craſtinum Paulo applicandi, quia ſic fructum ſacrificii ne quidem conditionate Paulo jam donaſſet. Ad Conf. Neg. Ant. Sacrificare vel ſacrificium offerre pro Paulo dicit duo, primo ſacrificare, & ad hoc requiritur intentio ſaltem virtualis, dein applicare fructum ſacrificii, & ad hoc juxta dicta ſufficit habitualis.

Dices. Ut Sacerdos ſacrificium valide applicet, 330
debet id facere ut miniſter Chriſti: ergo ſicut intentio habitualis ſufficit ad ſacrificium applicandum, ſic ſufficit ad ſacrificium. Conf. Si valet applicatio anticipata, poterit Sacerdos hodiernum ſacrificium applicare illi, qui proxime ſtipendium pro ſacro offerret; atqui hoc ſub Paulo V a Congregatione Cardinalium graviter fuit prohibitum, ut teſtatur Lugo. Reſp. Diſt. Ant. debet id facere ut miniſter Chriſti, qui eſt talis, in quantum videlicet hanc poteſtatem a Chriſto per ſacros Ordines

accepit, Conc. Ant. ut minister Christi qua talis, quasi applicatio sacrificii esset actio moralis Christi, Neg. Ant. & Conf. Ad Conf. Neg. Maj. Ratio hujus prohibitionis esse potuit, quia qui stipendium pro sacro offert, ordinarie saltem implicite vult, ut fructus satisfactorius pro omnibus suis peccatis applicetur; a qui fructus satisfactorius hodierni sacrificii se non extendit ad peccata crastina, nondum commissa, sicut per indulgentias & satisfactionem Sacramentalem non tollitur reatus pœnæ correspondens peccatis postea committendis.

331 Obj. 4. Intentio mere interpretativa vel præsumpta non raro sufficit, ut actio procuratoris vel famuli contrahentis in favorem sui Domini, censeatur moraliter esse actio sui principalis. 2. Si Sacerdoti sacrificanti apponantur hostiæ minores pro communicantibus, valide illas consecrat, saltem si positæ fuerint intra corporale, etsi sub ipsa consecratione non amplius cogitet de illis consecrandis, modo hanc intentionem habuerit initio sacri. 3. Jurisdictio præsumpta, fundata in titulo colorato & communi errore sufficit in ministro pœnitentiæ: ergo a pari. Resp. ad 1. Licet intentio mere interpretativa vel potius præsumpta quandoque possit sufficere in principali, nunquam sufficit in procuratore, ut nomine sui principalis agat. Ad 2. Sacerdos ita consecrans hostias minores habet intentionem virtualem; consecrat enim ex vi primæ intentionis actualis, quæ in sua virtute perseverat. Ad 3. Ejusmodi minister pœnitentiæ non tantum habet jurisdictionem præsumptam, sed veram, licet ex alio titulo, quam ex quo illam habere putatur. Nam Ecclesia ad præcavendam animarum ruinam in his circumstantiis illi jurisdictionem confert: econtra Christus actionem externam non elevat ad rationem Sacramenti; nisi ponatur

suo

ſuo nomine, & per intentionem miniſtri ad eſſe Sacramentale determinetur.

QUÆSTIO IV.

An & qualis intentio conditionata in miniſtro ſufficiat ad valorem Sacramenti?

Conditiones, ſub quibus Sacramenta confici 332 poſſunt, ſunt variæ; nam 1 aliquæ ſunt intrinſecæ & eſſentiales, quia earum purificatio ad valorem Sacramenti ſemper requiritur, ut ex parte miniſtri: Si habeo poteſtatem; ex parte ſucipientis: Si rite es diſpoſitus; ex parte materiæ: Si aqua eſt naturalis. Aliæ ſunt extrinſecæ & accidentales, quarum purificatio per ſe ad valorem Sacramenti non eſt neceſſaria, ſed a ſuſcipiente vel miniſtro pro libitu adduntur. Ex iſtis 2 aliquæ ſunt de præſenti, aliquæ de futuro, aliæ de præterito. 3. Ex quibus rurſus aliæ ſunt humano modo cognoſcibiles, de quarum purificatione jam conſtat, aut ſuo tempore humanitus conſtabit. Aliæ humano modo non ſunt cognoſcibiles, ut ſi dico: baptizo te, ſi es prædeſtinatus. Denique 4 aliæ ſunt honeſtæ, aliæ turpes & inhoneſtæ, aliæ impertinentes, ut baptizo te, ſi Imperator Turcarum nunc dormit.

Dicendum 1. Intentio ſtricte conditionata, id 333 eſt, ſub conditione de futuro, non ſufficit ad valorem Sacramenti, excepto ſaltem matrimonio. Communiſſima. Prob. quia conditio ſtricte talis ſuſpendit valorem & effectum Sacramenti, ſed hoc repugnat inſtitutioni Chriſti, ut colligitur tum ex communi ſenſu Doctorum, & perſuaſione fidelium,

tum ex forma Sacramentorum: Ego te baptizo: Ego te abſolvo &c. quæ collationem gratiæ in ſubjecto rite diſpoſito de præſenti ſignificant; hinc Eccleſia ejusmodi intentiones conditionatas nunquam approbavit ut validas, nec ullum datur fundamentum, quod Chriſtus miniſtris dederit poteſtatem valorem & efficaciam Sacramenti ad tempus futurum reſtringendi, excepto matrimonio; nam quando Chriſtus illud elevavit ad rationem Sacramenti, non immutavit naturam contractus civilis de jure naturæ & poſitivo alias validi, ſed tantum ſuperaddidit ſignificationem Sacramentalem; atqui matrimonium ſub conditione de futuro initum in ratione contractus civilis de jure naturæ & poſitivo valet, quin impleta conditione conſenſus debeat renovari, ut cum S. Bonavent. Suarez, Lug. docent ferme omnes Canoniſtæ ad tit. de cond. appoſ.

334 Dicendum 2. Intentio ſub conditione de præterito vel præſenti regulariter ad valorem Sacramenti ſufficit, poſito, quod conditio illa ſit impleta. Ita rurſus communiſſima. Prob. quia licet ejusmodi intentio formaliter, & quoad modum tendendi ſit conditionata, tamen per purificationem conditionis tranſit in abſolutam, & in æſtimatione morali de præſenti pro abſoluta habetur. Præterea ſimiles intentiones ad alios actus & contractus ſufficiunt, nec eſt ratio, quare Chriſtus ad validam adminiſtrationem Sacramenti aliud exegerit, imo contrarium colligitur ex communi ſenſu Doctorum. Dixi autem 1, poſito, quod conditio ſit impleta, alias intentio eſſet pure conditionata, cumque miniſter voluntatem ſuam eventui conditionis alligaſſet, Sacramentum non impleta conditione non perficeretur. Dixi 2. regulariter; nam de intentione turpi, impertinente, aut humanitus incognoſcibili aliqui

aliquit dubitant; alii tamen exiſtimant, etiam iſtas conditiones, licet graviter ſint illicitæ, probabilius non obeſſe valori, modo non repugnent ipſi ſubſtantiæ Sacramentorum.

Nam 1. Intentio ſub conditione turpi jam pu- 335
rificata moraliter & æqualiter eſt abſoluta; imo conditio de præſenti & præterito non eſt ſtricte ac proprie conditio; hinc juxta S. Thomam, Palud. Sylveſt. valet matrimonium ſub tali conditione initum; eadem autem eſt ratio de reliquis Sacramentis. 2. Licet miniſter neſciat, & humanitus ſcire nequeat, an conditio appoſita reipſa ſubſiſtat, nihilominus illa ſubſiſtente intentio tranſit in abſolutam, ut advertit Compt. Mezger, Arriag, alias ne quidem valeret hic Baptismus: baptizo te, ſi nondum es baptizatus. 3. Aliud foret, ſi adjecta conditio repugnaret ipſi ſubſtantiæ Sacramenti; quod enim nulla res poſſit ſine ſubſtantia ſubſiſtere, per ſe patet. Quare licet ſupra dixerim, matrimonium ſub conditione de futuro initum valere, id non procederet ſub his conditionibus: duco te, ſi poſitive & modis illicitis evites generationem prolis: Si pro quæſtu adulterandam te tradas, vel donec invenero aliam ditiorem; nam prima repugnat bono prolis, altera fidei conjugali, tertia indiſſolubilitati, quæ ad ſubſtantiam matrimonii pertinere cenſentur.

Objectiones.

Obj. 1. Non eſt de ratione Sacramenti, ut 336
ſtatim operetur tunc, quando complete ponitur materia & forma; nam gratiæ actuales primum conferuntur tempore opportuno, & ipſa gratia ſanctificans primum producitur obice remoto, ſi Sacra-

mentum cum obice susceptum fuit. Conf. Intentio sub conditione de futuro necessaria aut certo implenda habetur pro absoluta: *Qui enim sub conditione stipulatur, quæ omnino exstitura est, pure videtur stipulari*, ut dicitur l. si pupillus 9 de Nov. & Oblig. ergo valebit e. g. Baptismus sic collatus: baptizo te, si sol cras oritur. Resp. Dist. Ant. Non pertinet ad rationem Sacramenti, ut statim operetur effectum secundarium, quales sunt gratiæ actuales, Conc. Ant. effectum primarium seu gratiam sanctificantem, Subdist. per se, & quantum est ex parte ministri, Neg. Ant. per accidens, & si suscipiens ponat obicem, Conc. Ant & Neg. Conf. Ad Conf. Conc. Ant. Dist. Conf. si potius intendat hunc sensum absolutum: Quam verum nunc est, cras solem oriturum, tam vere te baptizo, Trans. Conf. si minister revera velit suspendere effectum Sacramenti ad realem eventum conditionis, Neg. Conf. nam tunc propositio facit sensum absolutum, eumque vulgarem esse existimant Compt. Herincx, Arriag.

337 Dices. Sub conditione de futuro valide datur absolutio ab excommunicatione aliisque censuris, imo etiam a reatu pœnæ, dum imponitur satisfactio Sacramentalis: ergo etiam a reatu culpæ, v. g. hoc modo: Absolvo te, si cras restitueris. Conf. Sacramentum pœnitentiæ est institutum per modum judicii: atqui sententia judicialis sub conditione de futuro valet: ergo. Resp. Trans. Ant. Neg. Conf. Cum forma absolutionis justificationem & collationem gratiæ sanctificantis significet de præsenti, quæ gratia cum reatu culpæ mortalis & pœnæ æternæ stare nequit, ab hoc reatu Sacerdos nunquam potest absolvere sub conditione de futuro, a reatu autem pœnæ temporalis proprie omnino non absolvit, sed si talis reatus remanet,

deleri

deleri debet per ſatisfactionem. Porro abſolutio a cenſura non eſt Sacramentalis, nec a Chriſto inſtituta. Ad Conf Diſt. Ant. eſt inſtitutum per modum judicii quoad aliqua, Conc. Ant. quoad omnia, Neg. Ant. & Conſ. Quod Sacramentum pœnitentiæ non quoad omnia ſit ſimile judicio humano, certum eſt; alias etiam valeret abſolutio data per internuncium & abſenti. Sicut ergo propter formam inferimus, quod Chriſtus Sacerdoti non dederit poteſtatem his modis abſolvendi: ſic juxta communem ſenſum, doctrinam & praxin Eccleſiæ non dedit poteſtatem ſuſpendendi valorem & effectum Sacramenti.

Obj. 2. Forma matrimonii non minus ſignificat conſenſum de præſenti, quam aliæ formæ collationem gratiæ: ergo licet matrimonium ſit inſtitutum per modum contractus, non poteſt iniri ſub conditione de futuro, ſicut ſub tali conditione non poteſt abſolvi pœnitens. Conf. Urbanus III cap. 5 de condit. appoſ. ait, quod ille, qui contrahit ſub hac conditione: ſi pater conſenſerit, non ſit cogendus ab matrimonium contrahendum, niſi conſenſus patris fuerit poſitus. Reſp. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Quia Chriſtus ad matrimonium voluit ſufficere omnem contractum de jure validum, eumque ſimpliciter ac illimitate ad Sacramentum elevavit; aliud eſt de actu judiciali in ordine ad Sacramentum pœnitentiæ, ut patet ex numero ſuperiore. Ad Conf. Urbanus III per to *contrahendum* intellexit conſummandum, ut reſponſio concordet cum interrogatione; fuerat enim interrogatus de obligatione poſt impletam conditionem matrimonium conſummandi. Quodſi etiam reſpondiſſet de matrimonio contrahendo, ideo feciſſet, quia dubium erat, an non prior conſenſus ante impletam conditionem fuerit revocatus. 338

339 Dices. In Capitulo cit. additur, quod consensus per verba de præsenti sub conditione de futuro expressus non sit habendus de præsenti: ergo consensus conditionatus tantum facit sponsalia de futuro. Hinc si quis post matrimonium sub conditione cum una initum, contrahat absolute cum alia, hoc posterius valet, soluto priore. Conf. Juxta nos valeret matrimonium sub conditione de futuro cum duabus contractum, si videlicet, ut fieri posset, utraque conditio simul purificaretur. Resp. Dist. Ant. Quod non sit habendus pro consensu de præsenti perfecto, absoluto, & irrevocabili, Conc. Ant. Pro consensu conditionato, incompleto, & quamdiu pendet conditio, adhuc revocabili, Neg. Ant. Consensus de futuro obligat ad exspectandum eventum conditionis, potest tamen adhuc revocari, & per matrimonium absolute cum alia contractum revocari censetur. Quamvis igitur aliquo modo se habeat ut sponsalia, revera tamen est matrimonium conditionatum, & fit absolutum per solam purificationem conditionis sine novo consensu. Ad Conf. dico, in tali casu neutrum matrimonium fore validum; non ob conditionem adjectam, sed quia in lege nova non valet simultanea bigamia, ut omnes dicere debent, casu quo Titius cum duabus simul absolute contraheret.

340 Obj. 3. Sacramentum debet esse signum sensibile ac certum invisibilis gratiæ; atqui tale signum non est, si additur conditio de præsenti vel præterito, præsertim quando nec constat, nec constare potest, an sit impleta: ergo. Conf. Matrimonium initum sub conditione impossibili statim valet, sub conditione incogniscibili vero non valet: ergo. Resp. Dist. Maj. Sacramentum debet esse signum sensibile & certum gratiæ sub conditione,

ne, si omnia adsint ad valorem & fructum requisita, Conc. Maj. aliter, Neg. Maj. & sic Dist. min. Conf. Nam sæpe etiam conditio intrinseca, cum qua sacramentum confertur, est humanitus incognoscibilis, nec raro Sacramentum est quidem validum, sed infructuosum ob defectum debitæ dispositionis in recipiente. Ad Conf. Quando cap. final. de cond. appos. statuitur, ut conditio impossibilis habeatur pro non adjecta, id fit ex præsumptione, quod sub illa contrahentes maluerint jocari, quam graviter peccare, & invalide contrahere; si tamen revera consensum suum tali conditioni alligassent, matrimonium pro foro interno esset nullum, & contrahens deberet ponere novum consensum. Quodsi matrimonium sub conditione incognoscibili non valeat, tunc ideo, quia nullum potest habere effectum, & ad contractum legitimum requiritur, ut consensus internus per signa externa comparti manifestetur, quæ ratio non datur in aliis Sacramentis.

Dices. Qui confert Sacramentum sub conditione incognoscibili, non agit serio, sed nugatorie; hinc ab omnibus rideretur, qui alteri equum suum venderet sub conditione, si stellæ sint numero pares. Conf. Baptismus collatus sub hac forma: baptizo te, si es prædestinatus, deberet repeti. Resp. Neg. Ant. Quamvis hic modus agendi ordinarie sit ineptus & prohibitus, nihilominus quandoque licite & decenter potest adhiberi, si conditio incognoscibilis est intrinseca. Dein ponitur in casu, quod minister addens conditionem extrinsecam incognoscibilem, serio velit conficere Sacramentum; neque hoc implicat, eoquod Sacramenta possint habere suum effectum, modo Deus, a quo solo id dependet, sciat conditionem impletam esse: at venditio sub conditione incognosci- 341

gnoſcibili celebrata, nunquam ſortietur effectum, & nullam emptori aut venditori utilitatem afferret. Ad Conf. Conc. Quod talis baptismus ſub conditione: ſi nondum es valide baptizatus, debeat repeti, ſed non ideo, quia fuiſſet invalidus, ſi impleta eſſet conditio, ſed quia neſcitur, an ſit impleta vel non.

342 Obj. 4. Chriſtus poteſtatem conferendi Sacramenta miniſtris non dedit ad deſtructionem, ſed ad ædificationem: ergo ſub conditione turpi non valent, quæ ideo in matrimonio cap. final. de cond. appoſ. habetur pro non adjecta. Conf. Quia intentio conficiendi Sacramentum eſt intentio agendi nomine Chriſti, imo in matrimonio ipſum Sacramentum conſtituit. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Licet miniſter abutens ſua poteſtate agat illicite, nihilominus hæc poteſtas ſuſcipienti rite diſpoſito eſt ad ædificationem, quia illi confertur gratia, modo conditio ſit impleta. Quod autem conditio turpis in matrimonio habeatur pro non adjecta, fit ob ſpecialem illius favorem & tunc ſolum, quando conditio eſt de futuro, non contraria ſubſtantiæ matrimonii; nec contrahentes eidem voluntatem ſuam poſitive alligent. Ad Conf. Intentio conficiendi Sacramentum non eſt intentio agendi nomine Chriſti, nec matrimonium conſtituit, quatenus eſt mala; nec enim Chriſtus intentionem malam exigit, aut vult, ſed ex ſuppoſito, quod perverſus miniſter illam ponat, Deus intuitu meritorum Chriſti gratiam confert, in quo non debemus ponere limites infinitæ miſericordiæ, quæ etiam ex malis multa bona eruere novit, ut dum ex occaſione peccati originalis in hunc mundum miſit Filium ſuum.

Quæres:

Quæres: An Sacramenta ſub conditione aliquando poſſint adminiſtrari licite. Reſp. 1. Quando prudens habetur dubium, an adſit conditio intrinſeca, non ſolum licite poteſt, ſed juxta multos debet exprimi, quia reverentia Sacramenti exigit, ut in tali caſu non diſpenſetur abſolute. Quamvis autem de expreſſione conditionis ante Sæculum VIII nulla inveniatur mentio; illam tamen Sæculo XII præcepiſſe videtur Alexander III, quæ conſtitutio poſtea a Gregorio IX in corpus juris relata fuit, & habetur cap. 2 de baptiſ. Neque tamen ideo verba, quibus conditio exprimitur, ſunt pars formæ Sacramentalis, ſed hæc de ſe eſt abſoluta, & conſiſtit in ſolis verbis a Chriſto inſtitutis, & ab Eccleſia determinatis. Reſp. 2. Quando non habetur prudens ratio dubitandi, utrum adſit conditio intrinſeca, ſaltem venialiter peccat, qui illam adjicit, quia agit contra conſuetudinem totius Eccleſiæ, & fideles non parum offenderentur, ſi e. g. Confeſſarius paſſim abſolveret appoſita conditione: Si ſufficienter es diſpoſitus. Reſp. 3. Apponere conditionem extraneam ordinarie eſt grave peccatum, ſaltem ſi non certo ſciatur impleta; nam tunc Sacramentum exponitur periculo nullitatis, & ſi conditio palam exprimitur, ſuſcipiens de valore Sacramenti dubius relinquitur. Si tamen per accidens prudens eſſet dubium, an ſuſcipiens ſit rite diſpoſitus ad fructum, conditio videtur apponenda ob morale periculum, ne Sacramentum ſit infructuoſum. 343

QUÆ-

QUÆSTIO V.

An & quomodo intentio ministri debeat esse directa & determinata?

344 Quando minister Sacramentum directe tantum intendit in alio, ex quo prævidet actionem Sacramentalem esse secuturam, potest illud aliud medium esse duplex; aliquando enim privat usu rationis, aliquando non. Exemplum primi esset in Sacerdote ideo se inebriante, quia prævidet fore, ut in illa ebrietate verba consecrationis super idoneam materiam proferat, & per ea, quantum potest, efficiat. Exemplum posterioris est in eo, qui ex intentione consecrandi ingreditur sacristiam, sacras vestes induit, ad altare accedit &c. Quod hæc intentio ad valorem Sacramenti sufficiat, si aliud nihil desit, non est dubium; nam talis minister agit modo humano, & Sacramentum directe intendit per intentionem saltem implicitam & virtualem in nomine Christi faciendi, quod facit Ecclesia. Restat itaque

345 Dicendum 1. Ad valorem Sacramenti in ministro non sufficit intentio indirecta, vel directa quidem, sed per medium privans usu rationis. Communis. Prob. 1 pars. Ad valorem Sacramenti requiritur intentio formalis faciendi Sacramentum; sed qui habet intentionem solum indirectam, non habet intentionem faciendi Sacramentum; imo nequidem habet intentionem ponendi ritum externum, eoquod actionem Sacramentalem tantum habeat pro motivo neglecto. Prob. 2 pars. Actio Sacramentalis non tantum debet intendi, sed etiam poni modo humano, tanquam effectus aliquis moralis; sed hoc non fieret, si poneretur e. g. in somno

mno vel ebrietate, quando minister est privatus usu rationis, tunc enim non operatur moraliter, & ut homo, sed potius ut brutum modo mere physico; hinc iste modus nequidem sufficit ad celebrandos contractus, neque Princeps haberet actionem pro sua, quam legatus in ebrietate, aut somno ponere vellet.

Dicendum 2. Ut intentio ministri ad valorem 346
Sacramenti sufficiat, debet esse aliquo modo determinata ad materiam & subjectum. Ita rursus communis. Prob. ex formulis Sacramentorum: Ego te absolvo: Ego te baptizo, quæ sunt demonstrativæ, & subjectum ac materiam determinatam hic & nunc præsentem designant; adeoque non verificantur, nisi cum intentione determinata proferantur. Dein intentio ministri debet esse efficax & operativa, actiones autem sunt circa singularia; hinc si Sacerdos ex pluribus hostiis minoribus in ara positis vellet tantum consecrare unam non determinando qualem, nihil efficeret, quia non esset ratio major pro una quam pro altera. Dixi tamen aliquo modo, ordinarie enim non est necessarium, ut intentio ita feratur determinate v. g. in Petrum, ut nisi Petrus sit præsens, minister nollet baptizare, absolvere, imo per se loquendo, & seclusa speciali ratione non debet ita tendere, ne Sacramentum exponatur periculo nullitatis: sufficit itaque, ut intendat baptizare, absolvere &c. hic & nunc præsentem, sive dein sit Petrus sive Paulus.

Excipiendum hic rursus est matrimonium, cum 347
enim individuam vitæ societatem inter conjuges exigat, interest plurimum, quænam sit persona, quacum contrahitur; atque idcirco contrahens ita valorem contractus individuæ personæ alligare censetur, ut error circa individuum personæ sit sub-

stantia-

ſtentialis, & conſenſum omnino tollat. Hinc matrimonium Jacobi cum Lia, quam Laban fraudulenter Rachaeli ſubſtituit, fuiſſet nullum, niſi Jacob poſt deprehenſam deceptionem de novo cum Lia contraxiſſet. Aliud foret, ſi error tantum verſaretur circa qualitatem e. g. nobilitatem, divitias &c. perſonæ, quia ejusmodi error accidentalis non tollit ſubſtantiam conſenſus, alias plurima matrimonia dubia aut omnino nulla forent. Nihilominus ſicut in foro interno valide contraheret, qui circa individuum perſonæ erraret quidem, attamen vellet ducere præſentem, quæcunque illa ſit, ita contraheret invalide, qui errori circa qualitatem perſonæ voluntatem ſuam abſolute alligaret. Hinc dicunt, invalidum fore matrimonium per procuratorem contractum, ſi ſponſus interea in perpetuam amentiam incidiſſet, quia non poteſt præſumi, quod ſponſa velit contrahere cum perpetuo amente.

348 Dices 1. Intentio indirecta ſufficit ad peccandum; nam poſito quod aliquis ſe inebriet, prævidens, quod tunc ſit blaſphematurus, per blaſphemiam peccat, etſi illam non intendat, ſed potius abeſſe velit: ergo a pari. Conf. Ad actum humanum ſolum requiritur, ut ſit liber in ſua cauſa: ergo ſaltem intentio directa per medium privans uſu rationis ad valorem Sacramenti ſufficit. Reſp. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Si talis blaſphemia eſt peccatum, tunc ideo, quia ad peccandum non requiritur intentio malitiæ formalis, & æquitas naturalis ea lege, qua peccatum prohibet, hominem etiam obligat ad impediendam illius cauſam proximam: econtra ad valorem Sacramenti neceſſarium eſt, ut Sacramentum formaliter intendatur, & modo humano ponatur. Ad Conf. Diſt. Ant. Ad actum humanum qualemcunque & præciſe denominative talem ſolum requiritur libertas in caſu, Conc. Ant.

Ad

Ad actum humanum, qui sit formaliter moralis, & qualis requiritur in commerciis, aliisque ordinariis hominum actionibus, Neg. Ant & Conf. Actio Sacramentalis in ministro non tantum debet poni physice, sed moraliter tanquam a dispensatore prudente.

Dices 2. Actio Sacramentalis posita ab homine 349
plene distracto sufficit ad valorem Sacramenti: ergo etiam actio posita ab homine ebrio aut dormiente, modo hoc agat ex intentione Sacramentum conficiendi. Conf. Ponamus, quod Sacerdos nocte Natalis Domini ob largius haustum ante duodecimam vinum adustum sub sacro plene fiat ebrius, sed nihilominus formam consecrationis rite pronunciet, in hoc casu intentio ante sacrum facta non minus mediante phantasia in consecrationem influit, quam in homine plene distracto. Resp. Conc Ant. Si distractio non sit nimium vehemens & incompossibilis cum actione Sacramentali, Neg. Conf. Disparitas est, quod actiones positæ ab homine voluntarie etiam & plene distracto ex communi usu & commercio hominum habeantur pro actibus modo humano & morali positis, non item actiones ebrii, aut dormientis. Ad Conf. Dist. Ant. In tali casu ambæ intentiones æque influunt in consideratione physica, Conc. Ant. In consideratione morali, Neg. Ant. & Conf. Intentio ante ebrietatem facta moveret quidem efficaciter ad sacrum humano modo inchoandum, & excitaret species phantasticas, ut illarum ope Sacerdos pergeret & consecraret, consecratio tamen ipsa per hoc non fieret actio moralis & humana, qualem Christus vult habere pro sua.

Dices 3. Matrimonium per procuratorem 350
contractum valet, etsi sponsus illo tempore, quo procurator nomine ipsius contrahit, dormiat aut

ebrius ſit: ergo non eſt neceſſe, ut miniſter ſit compos rationis. Conf. Si Sacerdos poſt pronunciatam formam & aquam effuſam ſubito moreretur, antequam aqua infantem contingeret, valeret baptiſmus: ergo. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Sicut matrimonium per procuratorem aut epiſtolam poteſt contrahi, ſic ſponſus in procuratore vel epiſtola cenſetur ſibi moraliter præſens. Aliud foret, ſi ſponſus prius eſſet mortuus, quia matrimonium nec per epiſtolam, nec per procuratorem poteſt contrahi cum mortuo. Ad Conf. Tranſ. Ant. Diſt. Conſ. Ergo miniſter non debet eſſe rationis compos in illo inſtanti phyſico, in quo Sacramentum conficitur, Tranſ. Conſ in illo inſtanti morali, Neg. Conſ. Quia ex effuſione miniſtri in hoc caſu ſtatim, & neceſſario ſequitur ablutio infantis, baptiſmus videtur eſſe validus, & ipſa ablutio moraliter tribuenda Sacerdoti, ut rationis adhuc compoti.

QUÆSTIO VI.

An & quando valori Sacramentorum obſit error privatus miniſtri?

351 Miniſter errare poteſt 1. circa ſubſtantiam Sacramenti, ſi putet non eſſe Sacramentum, quod revera eſt, ut putant Gentiles, Judæi & multi hæretici. 2. Circa materiam & formam, ſi exiſtimet, aliquid ad illas eſſe neceſſarium, quod ita neceſſarium non eſt, vel viciſſim, ut Græci putantes in conſecratione panis neceſſario addenda eſſe verba: *Quod pro vobis tradetur.* 3. Circa ſenſum formæ, ut ſi rudis Sacerdos exiſtimet particulam hic in conſecratione calicis non eſſe pronomen demonſtrativum, ſed adverbium ſignificans idem, ac in hoc loco. 4. Circa finem

finem & effectum Sacramenti, ut si Pelagianus baptizet, non credens, per baptismum remitti peccatum originale. 5. Circa personam suscipientis, ut cum Sacerdos existimat confiteri Bertam, & confitetur Sempronius, de quo errore jam egimus quæst. præced.

Dicendum 1. Error privatus & mala intentio 352
ministri non obstat valori Sacramenti, nisi voluntatem suam huic errori alliget. Communis cum S. Augustino L. 4 de baptis. cap. 15. Prob. Quia nullum ex sacra auctoritate habetur fundamentum, quod ejusmodi error internus Sacramenta irritet, sed potius ab Ecclesia habetur ratus baptismus collatus a gentilibus, Arianis, Donatistis, aliisque sectariis, quos constat variis de hoc Sacramento erroribus inhærere, imo inter ipsos fideles graves sunt controversiæ circa materias & formas, opinionesque contrariæ, quin ideo in ipsa Sacramenta defectus substantialis dirivari credatur. Ratio est, quia si minister voluntatem errori suo non alligat, præter intentionem particularem in errore fundatam, habet voluntatem generalem faciendi Sacramentum, vel quod facit Ecclesia; hinc Concilium Tridentinum Seff 7 can. 4 anathema dicit asserenti: *Non valere baptismum in nomine SS. Trinitatis ab hæreticis collatum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia.*

Dicendum 2. Si autem minister voluntatem 353
suo errori privato & pravæ intentioni alligat, nullum fit Sacramentum. Ita rursus communis. Prob. Minister tunc dicitur voluntatem suam errori, & falsæ opinioni alligare, quando expresse vel tacite ita comparatus est, ut nolit aliter conficere Sacramentum, nisi juxta suum sensum & judicium erroneum: ergo tunc non habet intentionem facien-

 di,

di, quod facit Ecclesia, nisi ad summum conditionate, si verum sit illius judicium privatum, quæ conditio cum nunquam impleatur, nec impleri possit (error enim verus esse non potest) Sacramentum sub tali conditione factum nullum est. Quodsi minister omnino aliquid omittat, quod per errorem existimat pertinere ad essentiam, saltem dubium erit, utrum serio velit facere, quod facit Ecclesia. Idem videtur, si ex errore & mala fide verbis æquivocis tribuit sensum falsum, quia tunc non videntur retinere significationem a Christo institutam, & ab Ecclesia determinatam.

Objectiones.

354 Obj. 1. Ad valorem Sacramenti requiritur, ut verba proferantur in sensu a Christo intento; hoc non fit, si minister errat circa sensum verborum, præsertim si verba de se sint æquivoca; hæc enim per intentionem ministri determinari debent. Conf. Si Sacerdos diceret: hoc loco est calix sanguinis mei, non consecraret: ergo neque si per particulam *hic* intelligit hoc loco. Resp. Conc. Maj. Neg. min. Ad rationem additam dico, verba æquivoca ad legitimum sensum satis determinari tum per intentionem Ecclesiæ, illis in certo sensu utentis, tum per ministri intentionem generalem faciendi, quod facit Ecclesia. Hinc mulier valide baptizat forma Latina, licet illam nullatenus intelligat. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Nam in primo casu forma substantialiter mutatur, non item in secundo. Sic Arianus invalide uteretur hac forma: baptizo te in nomine Patris majoris, & Filii minoris &c. econtra baptismus ab ipso collatus valet, si sola mente Patre majorem, & Filium minorem intelligat.

Dices.

Dices. Ad valorem formæ non sufficit externa 355
prolatio, sed requiritur, ut sit locutio humana: ergo forma debet esse manifestatio conceptus interni; atqui hæc verba: Patris & Filii ab Ariano prolata non sunt vera manifestatio conceptus interni, si Arianus in mente habeat Patrem majorem & Filium minorem: ergo. Conf. Propositio Ariana revera est falsa: ergo. Resp. Conc. Ant. & primam Conf. Neg. min. subsumptam. Nam licet Arianus per conceptum particularem & clarum sibi repræsentet Patrem majorem & Filium minorem, simul tamen habet etiam conceptum confusum & implicitum Patris & Filii æqualis, in quantum per intentionem prævalentem vult intelligere id, quod Christus intelligi voluit. Hinc ad Conf. Neg. Ant. Quia non obstante errore interno forma retinet sensum a Christo & publica auctoritate Ecclesiæ determinatum, & hunc ipsum Arianus per intentionem generalem intendit.

Obj. 2. Quando Zacharias Papa can. *Retulerunt* 86 de consecr. distinct. 4 approbavit baptismum 356
in nomine Patria & Filia &c. collatum, addidit hanc limitationem: *Si baptizans non animo errorem aut hæresin inducendi, sed ex sola ignorantia linguæ latinæ formam ita corrupit*: ergo saltem non valet Sacramentum collatum ex errore, quo minister vult ritum novum in Ecclesiam inducere. Conf. Juxta dicta, qui aliquid omittit, quod ex errore putat pertinere ad essentiam, vel verba æquivoca in falso sensu adhibet, non conficit Sacramentum, & tamen reipsa potest habere intentionem generalem faciendi, quod facit Ecclesia. Resp. Conc. Ant. Dist. Conf. Quo vult ritum novum introducere in Ecclesiam ex ignorantia, & mente bona, Neg. Conf. scienter & mente perversa, Trans. Conf. Tunc enim merito potest præsumi, vel saltem

dubitari, an habeat seriam intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. Ad Conf. eadem est responsio; nam licet etiam talis minister revera possit habere intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, id tamen de ipso non facile potest præsumi.

357 Dices. Modo aliquis adhibeat alium ritum cum intentione illum introducendi in Ecclesiam, non amplius potest habere intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, quæ talem ritum neque vult, neque facit: ergo. Conf. Qui scienter agit contra morem Ecclesiæ, non potest habere intentionem faciendi, quod facit Ecclesia; sed qui scienter mutat ritum Ecclesiæ, scienter agit contra morem Ecclesiæ: ergo. Resp. Dist. Ant. Si adhibeat ritum essentialiter ac substantialiter diversum, Conc. Ant. si tantum accidentaliter diversum, Subdist. non amplius potest habere intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, quoad modum, Transf. Ant. Quoad substantiam, Neg. Ant. & Cons. Sicut ille, qui utitur ritu substantialiter diverso, ipsam materiam & formam immutat, sic qui adhibet materiam & formam a Christo institutam cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, intendit totum Sacramentum, quoad substantiam, licet in modo administrandi a mente Ecclesiæ accidentaliter recedat; hinc ad Conf. redit primum data distinctio.

358 Obj. 3. Significatio verborum non dependet a privata intentione ministri, quæ a forma omnino est distincta, sed ex institutione publica: ergo licet minister voluntatem errori suo alliget, valide Sacramentum conficit, modo debitum ritum observet. Conf. Qui baptizat adultum, quem putat rite esse instructum, ita est constitutus, ut nollet ipsum baptizare, si sciret defectum instructionis, & tamen

tamen baptiſmus valet : ergo. Reſp. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Quia nihilominus Sacramentum eſt invalidum ex defectu intentionis. Dein verba quandoque nec ex auctoritate publica, nec ex uſu Eccleſiæ ad certam ſignificationem ſunt determinata, ſed determinatio ſenſus æquivoci a mente proferentis dependet, quo caſu duplex intentio diſtinguenda eſt, una generalis faciendi, quod facit Eccleſia, altera verba accipiendi in hoc ſenſu : ſecunda pertinet ad formam, prima eſt ab eadem diſtincta ; neutram habet, qui intentionem ſuam ſenſui erroneo alligat. Ad Conf. Diſt. Ant. Eſt ita conſtitutus habitualiter, Tranſ. Ant. actualiter, Neg. Ant. & Conſ. Sicut in contractibus, ſic in confectione Sacramentorum non debet ſpectari voluntas, quæ daretur, ſi error abeſſet, ſed quæ actu datur; qui autem ita baptizat, ſuppoſita ſua ignorantia actu & abſolute vult baptizare, & non ſolum ſub conditione debitæ inſtructionis.

QUÆSTIO VII.

Quænam ex intentionibus contrariis miniſtri prævaleat?

Ex dictis patet, quod miniſtri Sacramenti non 359
raro ob privatum errorem habeant intentiones quodammodo contrarias, inter quas illa dicitur appretiative major, vi cujus voluntas formaliter aut virtualiter ita adhæret uni objecto, ut ſi alterutro eſſet carendum, mallet carere iſto, quam illo, quod magis appretiat. Sic in miniſtro, qui vere vult baptizare, appretiative major eſt intentio generalis faciendi Sacramentum, quam intentio privata, & erronea non conferendi gratiam, quia baptiſmo

ita adhæret, ut si sciret, utramque suam intentionem non posse simul consistere, potius vellet conferre gratiam quam baptismum omittere. Ex quibus vides, quæstionem præsentem a præcedente ferme quoad solum modum loquendi differre, ut tamen mos in scholis receptus servetur, & voces intelligantur.

360 Dicendum. Inter duas intentiones contrarias prævalet illa, quæ est appretiative major. Conclusio videtur manifesta; nam intentio appretiative major est absoluta, & objectum suum vult simpliciter, sive dein simul possit obtinere alterum, sive non: intentio autem appretiative minor est tantum conditionata, si videlicet simul haberi possit alterum objectum; atqui intentio absoluta conditionatæ prævalet, præsertim si conditio non potest purificari, ut patet in mercatore, qui in periculo naufragii ad servandam vitam merces projicit, quamvis simul habeat voluntatem illas servandi, si absque vitæ dispendio posset. Conf. Vel minister Sacramenti, dum habet intentiones contrarias, voluntatem errori suo alligat? vel non? si prius, nullum facit Sacramentum; si posterius, facit: ergo prævalet intentio appretiative major; nam in priori casu major est intentio non faciendi Sacramentum; in posteriori intentio faciendi Sacramentum. Quodsi dubium sit, quænam prævaleat, præsumitur pro illa, quæ vult Sacramentum, quia quisque præsumitur velle potius agere valide & modo meliore, quam invalide, minusque utiliter.

361 Dices 1. Sacramenta Christianorum Judæis & paganis sunt ineptiæ, aut omnino superstitiones diabolicæ: ergo non est credibile, quod intentio faciendi Sacramentum apud illos prævaleat. Conf. Quando e. g Lutheranus baptizat, potius vult facere,

facere, quod facit Ecclesia Lutherana, quam Romana, quæ a multis illorum creditur esse Lupanar Antichristi. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Quando Judæi vel pagani aliquem baptizant, plerumque vel ipsimet jam sunt catechumeni, vel id faciunt ex amicitia, ut gratificentur baptizato, ejus parentibus &c. unde facile credi potest, quod apud ipsos prævaleat intentio faciendi id, quod alii petunt. Atque de his casibus potissimum intelligendi sunt antiqui Canones, Judæorum & paganorum baptismata approbantes, in aliis forte baptismus non male repeteretur. Ad Conf. Dist. Ant. Lutheranus potius, id est magis explicite, vult facere, quod facit Ecclesia Lutherana, Conc. Ant. potius, id est, magis appretiative, Neg. Ant. Lutheranus quando baptizat, ante omnia vult facere, quod facit Ecclesia vera, etsi nesciat, quænam illa sit. Hinc teste Tamburino Theologi in Sicilia responderunt, valere baptismum, etsi Lutheranus expresse dicat, se velle baptizare auctoritate a Luthero sibi concessa.

Dices 2. Voluntas non ita comparat objecta, 362
ut unum alteri præferat: ergo non datur intentio appretiative major, vel certe ambæ possunt esse æque fortes, quid ergo tunc fiet. Conf. Ponamus, quod Sacerdos heri voluerit sacrum legere pro amico recens defuncto, hodie autem oblitus intentionis hesternæ sacrum offerat pro se ipso; in hoc casu prior intentio videtur esse major, quia Sacerdos non fecisset novam applicationem, si hesternæ intentionis meminisset: & tamen prævalet intentio posterior, quia per illam prior fuit retractata. Resp. Dist. Ant. Voluntas non comparat objecta signate & formaliter, Conc. Ant. Exercite & virtualiter, in quantum uni magis adhæret, quam alteri, Neg. Ant. & eodem modo Conf. Ad id,

 quod

quod additur, dico, per intentiones contrarias æqualiter fortes nihil futurum, ſicut moles immobilis perſiſteret, quam duo equi æqualiter robuſti in partes contrarias trahere niterentur. Ad Conf. Imprimis hic tantum agimus de intentionibus eodem tempore ſimul exiſtentibus: dein quia intentio miniſtri in Sacramentum debet influere, utique prævalet poſterior, ſi prima, ut plerumque fit, non amplius virtualiter exiſtat. Aliud videtur eſſe in caſu poſito, quia Sacerdos heri tacite & virtualiter ita videtur eſſe comparatus, ut non voluerit valere aliam applicationem ex oblivione prioris hodie faciendam.

363 Dices 3 Qui ex poculo bibit latens venenum, habet duas voluntates contrarias, unam firmiſſimam, qua non vult bibere venenum, alteram remiſſiorem, qua vult ſumere potum, & tamen intentio poſterior prævalet: ergo. Conf. Qui tale venenum ſumit, ultimato, ac virtualiter ita ſe reſolvit: Quamvis forte lateat venenum, tamen abſolute magis volo ſumere potum, quia puto, venenum non adeſſe; ergo etiam Sacerdos, qui ex errore in conſecratione calicis particulam *hic* ſumit adverbialiter, ultimato ſic eſt reſolutus: Licet forte errem, tamen abſolute magis volo particulam *hic* ſumere adverbialiter, quam nominaliter. Reſp. Diſt. Ant. Habet voluntatem firmiſſimam non bibendi venenum, ſed pure conditionatam, Conc. Ant. abſolutam, Neg. Ant. Cum ille, qui ſemper vellet abſtinere potu, quoties non evidenter ſciret, non latere venenum, brevi deberet perire ſiti, magis abſolute vult bibendo ſe exponere levi remotoque periculo, quam abſtinendo longe majus, ac certius malum ſubire. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Intentio bibentis nihil confert ad nocumentum veneni promovendum vel propulſandum:

ſandum : econtra intentio miniſtri plurimum confert ad effectum Sacramenti ; cum igitur miniſter non obſtante errore ſuo poſſit obtinere Sacramentum, ultimato ac virtualiter magis abſolute vult particulam *hic* ſumere nominaliter.

Dices 4. Juxta noſtram doctrinam omnia ma- 364
trimonia hæreticorum eſſent invalida ; nam hæretici non volunt aliter contrahere, quam cum jure in certis caſibus apud ipſos permiſſis iterum diſſolvendi matrimonium & alias nuptias contrahendi, quod non raro reipſa faciunt. Conf. Hæretici non credunt matrimonium eſſe Sacramentum : ergo ſaltem non habent intentionem Sacramentum conficiendi. Reſp. Diſt. Ant. Hæreticorum matrimonia eſſent nulla, ſuppoſito quod voluntatem ſuis erroribus alligent, Conc. Ant. ſecus, Neg Ant. Utrum hæreticorum matrimonia ſint valida, controvertunt Canoniſtæ, communior affirmat, quia non eſt præſumendum, quod velint tantum habere commercium fornicarium, & facere contra primævam matrimonii inſtitutionem, quæ nexum inſolubilem importat ; hinc ſi ad fidem orthodoxam convertuntur, non jubentur contrahere de novo, imo tranſitus ad alias nuptias ipſis nequidem permittitur. Ad Conf. Conc. Ant. Diſt. Conſ. Si ratio Sacramenti etiam in matrimonio Chriſtianorum poſſit ſeparari a ratione contractus civilis validi & legitimi, Tranſ. Conſ. ſecus, Neg. Conſ. Hic iterum nova movetur quæſtio canonica, quam decidere non eſt hujus loci. Interim poſſe celebrari matrimonium in ſola ratione contractus civilis validum docent Scotus, Vaſquez, Cajetanus, Pontius, Hurtad. Dicaſt. Platel, & omnes illi, qui contendunt ejus formam in benedictione Sacerdotis conſiſtere.

DISPUTATIO V.

De subjecto Sacramentorum novæ Legis.

365 Per subjectum intelligitur, qui Sacramentum suscipit, aut saltem capax est illud suscipiendi, ut juxta communem Doctorum & traditionem Ecclesiæ est solus homo viator; nam *omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum*, ad Hebr. 5 v. 1. Ratio est, quia ut docet Tridentinum Sess. 7 in proœm. omnia Sacramenta instituta sunt ad dandam vel augendam gratiam sanctificantem, cujus effectus soli homines viatores capaces sunt. Non tamen quilibet est capax cujuslibet Sacramenti; nam non baptizatus nullum aliud valide potest suscipere, fœmina est incapax ordinis, homo sanus extremæ Unctionis, Religiosus matrimonii. Nos de subjecto Sacramenti in genere quæremus 1. an ad illorum valorem in suscipiente necessaria sit intentio formalis? 2. Et qualis? 3. An ad fructuose suscipienda requiratur status gratiæ? 4. Aut aliæ quædam dispositiones? 5. An Sacramenta liceat administrare indigno? 6. An illa aliquando liceat simulare?

QUÆSTIO I.

An ad valorem Sacramentorum in suscipiente requiratur intentio formalis?

366 Sicut ex Concilio Tridentino Sess. 6 cap. 7 certum est, quod intentio & consensus suscipientis adulti sit necessarius ad fructum Sacramento-

rum, quia ut Seff. 6 cap. 7 ajunt Patres Tridentini, *Juftificatio eft renovatio interioris hominis per voluntariam fufceptionem gratiæ & donorum*: ita Catholici facile conveniunt, intentionem non requiri ad valorem Euchariftiæ; cum enim Euchariftia jam ante fufceptionem fit confecta, manet verum & validum Sacramentum, quamvis reluctanti per vim obtrudatur. Quæftio itaque folum movetur de reliquis Sacramentis, quæ confiftunt in ipfo ufu, & quidem quando fufcipiuntur ab adultis, qui ufum rationis habent, aut faltem aliquando habuerunt; nam pro infantibus & perpetuo amentibus fufficere publicam & generalem intentionem Ecclefiæ, rurfus docent omnes Catholici cum S. Auguftino Lib. 4 de baptif. cap. 24. Decens nempe eft, ut ficut parvuli per alienam (Adami) voluntatem fubjecti fuerunt fervituti dæmonis, ita per aliorum quoque voluntatem ab eadem fervitute liberari valeant.

Dicendum 1. Ad valorem Sacramenti confi- 367
ftentis in ufu in adulto requiritur intentio pofitiva. Ita longe communior contra Cajet. Ledef. aliosque paucos contendentes, fufficere intentionem neutram, qua fufcipiens negative fe habeat, & pofitive non refiftat. Prob. Paulus V in Rituali Romano tit. de baptif. non folum ftatuit, ne quis nifi fciens volensque baptizetur, fed etiam prohibet baptizari eum, qui adulta ætate in amentiam incidit, nec ftante ufu rationis baptifmum petiit, idque conformiter doctrinæ Concilii Carthaginenfis III cap. 34, & Araufìcani I Can. 12, totiusque Ecclefiæ praxi, quæ fupponit invalide conferri baptifmum adulto, qui nullam ejus recipiendi habet, aut habuit voluntatem, ut ibidem ait Pontifex. Et fane nifi confenfus fufcipientis ad valorem effet neceffarius, hæc prohibitio pro articulo mortis effet nimis fevera; unde a fortiori intelligenda

genda est de aliis Sacramentis minus necessariis, quæ cum sint dona Dei præstantissima, non decet illa invitis, aut negligentibus obtrudere.

368 Dicendum 2. Intentio suscipientis ad valorem Sacramenti requisita debet esse seria, & aliquo modo formalis. Nam 1. qui ritum Sacramenti susciperet cum fictione sive externa sive interna, revera non haberet voluntatem illud suscipiendi, sed hanc voluntatem solum simularet, quemadmodum dictum est de ministro Sacramenti. 2. Qui a ratione Sacramenti, dum ritum externum suscipit, præscinderet, & neque implicitam intentionem formalem illud suscipiendi haberet, merito censeretur Sacramentum qua tale negligere, vel omnino contemnere; atqui non decet, ut Sacramenta obtrudantur invitis aut negligentibus. In foro tamen externo asserenti, quod Sacramentum sine intentione interna susceperit, non facile foret adhibenda fides, ideoque censuris & pœnis Ecclesiasticis esset cogendus ad ea omnia observanda, ad quæ tenentur, qui Sacramentorum facti sunt participes, ut advertit Tournelius de Sacram. in genere q. 8 art. 2.

Objectiones.

369 Obj. 1. Concilium Florentinum in decret. ad Armen. ad essentiam Sacramenti solum requirit materiam, formam & intentionem ministri, nulla facta mentione suscipientis: ergo. Conf. Innocentius III cap. *Majores* 3 de baptism. ait: *Tunc characterem imprimit Sacramentalis operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenerit obsistentem*: ergo ad valorem Sacramenti sufficit, si suscipiens positive non resistat. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Florentinum

tinum tantum voluit indicare id, quod semper & universaliter tam respectu parvulorum, quam adultorum est necessarium, neque ideo negat plures alias conditiones requiri; alias Sacramentum valeret, etsi suscipiens positive repugnaret. Ad Conf. iterum Neg. Conf. Innocentius per voluntatem contrariam intelligit illam, qua prior voluntas suscipiendi Sacramentum ita retractatur, ut ne quidem habitualiter amplius maneat; nam in eodem capitulo ait, dormientes & amentes tunc solum characterem suscipere, *Si prius catechumeni exstitissent.*

Dices. S. Augustinus Tract. 26 in Joann. ait: 370
Intrare quisquam in Ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, accipere potest Sacramentum nolens, credere non potest nisi volens. Et S. Thomas in 4 dist. 6 q. 1 art. 2 quæstiunc. 3 in corp. docet, sufficere adultis ad Sacramenta percipienda, *Si ipsis non insit voluntas habitu contraria.* Resp. S. Augustinus loco objecto loquitur de S. Eucharistia, & si etiam de baptismo locutus fuisset, posset dici eum alludere ad infantes, qui sine proprio consensu baptizantur, vel etiam ad adultos non quidem plenarie & simpliciter, attamen secundum quid invitos. S. Thomas per verba: Nisi eis insit habitu voluntas contraria, solum vult excludere necessitatem intentionis actualis & virtualis; nam expresse ait in habentibus usum rationis requiri intentionem ad recipiendum Sacramentum; hinc Tournelius ex hoc ipso loco nostram conclusionem probat, uti etiam ex auctoritate S. Augustini Lib. 4 contra Donat. cap. 4.

Obj. 2. Concilium Toletanum can de Judæis 371
approbavit baptismum jubente Sisibuto Principe Hispano Judæis invitis collatum. S. Augustinus Lib.

Lib 4 Confeſſ. cap. 4 narrat, amicum ſuum, cum diu ſine ſenſu jacuiſſet, neſcientem baptizatum fuiſſe. Dioſcorus mimus cum inſultaret myſteriis Catholicorum, ſuſcepit baptismum ſine omni intentione, ut refert idem S. Doctor Epiſt. ad Alip. ergo. Reſp. ad 1. Judæi illi tantum fuerunt inviti ſecundum quid, utpote metu adacti; metus autem non tollit voluntarium, ut explicat Innocentius III cap. *Majores* 3 de baptis. Cæterum factum Siſibuti Patres Toletani adeo non laudarunt, ut vim coactivam decreto prohibuerint. Ad 2. Amicus beati Auguſtini probabilius antea petiit baptismum; nam poſtquam præter ſpem convaluit, ſummopere de illo ſibi collato gaviſus eſt. Quod de Dioſcoro objicitur, falſum eſſe patet ex Epiſtola citata, in qua refertur, quod baptizatus fuerit in Eccleſia, & quidem non antea, quam voto ſe obſtrinxit ad Chriſtianam Religionem amplectendam, ſi ægrotam filiam ſalvam reciperet, quod votum poſtea repetiit.

372 Dices. Paulinianus frater S. Hieronymi teſte Epiphan. Epiſt. ad Joann. Hieroſol. ordinatus eſt adhibita vi, ne reluctari poſſet. Similiter Macedonius ſenex anachoreta a Flaviano Antiocheno Epiſcopo ſacris fuit initiatus, prorſus ignarus, quid de ſe fieret, adeoque invitus, ut poſtquam rem intellexit, conviciis & maledictis omnes laceſſeret, & ipſum Epiſcopum baculo perſequeretur, ut narrat Theodoret. in Religioſ. hiſtor. cap. 13. Reſp. Duplex genus hominum hic eſſe diſtinguendum, horum aliqui ex humilitate ſacros ordines refugiebant, dein vero precibus populi aut ſuperiorum imperio acquieverunt, & licet exterius reluctarentur, non omnino inviti ordinati ſunt, ut teſtatur S. Auguſt. Epiſt. ad Donat. 173. Alterum genus eſt illorum, qui plane inviti aut omnino ignari ordines

ordines recipiunt, adeoque nihil valet, quidquid minister circa illos agit. Ad primum genus videtur referendus Paulinianus, qui meritò censetur tandem interne consensisse, postquam ipsi timorem Dei proposuerunt. Ad alterum genus juxta Tournelium spectat Macedonius, quia etiam post peractam ordinationem nunquam sacris interesse voluit. Attamen Pater Simonet cum aliis etiam Macedonium implicite & confuse consensisse, & voluntatem suam cum intentione Episcopi conformasse existimat.

Obj. 3. Id, sine quo Sacramentum validum 373
potest haberi aliquando, non pertinet ad illius essentiam; atqui Sacramentum in parvulis potest haberi sine intentione suscipientis: ergo. Conf. Suscipiens in confectione Sacramenti est tantum patiens; atqui ad passionem non requiritur voluntas; hinc Sacramentum extremæ Unctionis confertur moribundis, quin illud petierint. Resp. Neg. Maj. Cum enim tota ratio Sacramenti pendeat ex libera institutione Christi, potuit ad illius confectionem indispensabiliter aliquid requirere respectu adultorum, quin illud requisiverit respectu infantum. Sic licet in parvulis non requiratur ad justificationem motus liberi arbitrii, nihilominus est necessarius iis, qui ratione utuntur. Ad Conf. Dist. Maj. est tantum patiens qualecunque, Neg. Maj. voluntarium, Conc. Maj. & sic Dist. min. Neg. Conf. Extrema Unctio infirmis tunc solum confertur, quando præsumi potest, quod habeant intentionem illam suscipiendi, saltem implicitam & generalem, in quantum quilibet fidelis vult ipsi applicari ea Sacramenta, quibus indiget, & quorum capax est.

374 Obj. 4. Glossa in Can. *solet* 31 de consecr. dist. 4. & in Cap. *Majores* 3 de baptis. docet, validum esse baptismi Sacramentum ab eo susceptum, qui corde dissentit, modo dicat ore, se consentire: ergo in suscipiente saltem non requiritur intentio seria & interna. Conf. Adrianus I Epist. 8 decrevit, Saxones vere baptizatos esse, etsi foris duntaxat, non in animo consenserint: ergo. Resp. Conc. Ant. Neg. Cons. Nam Glossa hæc nullius est momenti, & Gregorius XIII illam expungi jussit. Ad Conf. Dist. Ant. Etsi in animo non consenserint consensu lubenti & spontaneo, Conc. Ant. Consensu metu extorto, Neg. Ant. Quia Saxones armis devicti fuerant, probabilius non consenserunt in baptismum animo lubenti ac prompto, sed secundum quid fuerant inviti. Adde, quod multæ Adriani epistolæ multis non videantur legitimæ.

QUÆSTIO II.

Qualis intentio interna ad valorem Sacramenti in suscipiente requiratur?

375 Dicendum 1. Ad valorem Sacramenti in suscipiente non est necessaria intentio actualis aut virtualis, sed sufficit habitualis. Communis. Prob. 1. pars tum negative, quia necessitas intentionis actualis aut virtualis non potest sufficienter probari, tum positive ex praxi & declaratione Ecclesiæ, secundum quam amentes & moribundi sensibus destituti possunt, imo debent baptizari, modo constet illos antea baptismum desiderasse, ut patet ex quæstione præcedente. Prob. 2 pars. Quia suscipiens in confe-

confectionem Sacramenti nullum habet influxum,
quare ad valorem plus non requiritur, quam ut il-
lius perceptio ipſi ſit voluntaria ; atqui ſi aliquan-
do habuit voluntatem Sacramentum ſuſcipiendi,
eamque non retractavit , perceptio Sacramenti
ipſi manet voluntaria : ergo.

Dicendum 2. In ſuſcipiente ad valorem Sa- 376
cramenti ſufficit intentio implicita , modo non ſit
tantum indirecta, aut conditionata ſub conditione
de futuro contingente. Ita rurſus communis. Prob.
Ex una parte ſacra auctoritas tantum requirit, ut
ſuſcipiens habeat voluntatem Sacramentum ſuſci-
piendi : ex altera parte qui aliquid vult implicite,
vult illud ſimpliciter : ergo intentio implicita ſuffi-
cit, idque multo magis quam in miniſtro, de quo
egi num. 330. Quod autem non ſufficiat intentio
indirecta aut conditionata de futuro (excepto ma-
trimonio) ſatis colligitur ex num. 365 & 364.
Quia videlicet, qui tantum habet intentionem in-
directam , Sacramentum habet pro motivo negle-
cto, imo poteſt illud poſitive nolle ; poteſtatem
vero ſuſpendendi valorem Sacramenti Chriſtus tam
parum dedit ſuſcipienti, quam conferenti : ergo.

Dixi in ſuſcipiente ſufficere intentionem habi- 377
tualem implicitam , quæ tamen non eodem modo
pro omnibus Sacramentis adeſſe præſumitur. Sic
extrema Unctio , Confirmatio & Euchariſtia poteſt
conferri moribundo, etſi jam a mente ſit amotus,
præſertim ſi antea confeſſus eſt , quia quilibet ho-
mo, qui Chriſtiane vixit, præſumitur velle Chri-
ſtiane mori , & uti conſuetis Eccleſiæ remediis,
adeoque ſibi conferri Sacramenta non tantum ne-
ceſſitate præcepti neceſſaria , ſed etiam ad ſalutem
multum conducentia. Econtra quia per Ordinem
& Matrimonium immutatur totus vitæ ſtatus , &

ſuſcipienti gravia onera imponuntur, intentio generalis utendi Eccleſiæ remediis non cenſetur ſe extendere ad iſta Sacramenta, ſed requiritur intentio magis explicita. Similiter intentio magis explicita juxta Lug. requiritur ad Sacramentum pœnitentiæ, eoquod ad illud neceſſaria ſit confeſſio externa, & ipſe dolor internus ad abſolutionem ordinari debeat, de quibus plura ſuo loco.

378 Dices 1. In Sacramento matrimonii ipſi contrahentes ſunt miniſtri: ergo debent habere intentionem actualem vel ſaltem virtualem. Conf. Si intentio habitualis ſufficeret, S. Euchariſtia utiliter poſſet accipi a dormiente & neſciente, qui caſu deglutiret hoſtiam conſecratam, putans non eſſe conſecratam. Reſp. Tranſ. Ant. Diſt. Conſ. Debent habere intentionem actualem vel virtualem, quatenus ſunt miniſtri, Conc. Conſ præciſe quatenus ſunt ſuſcipientes, Neg. Conſ. Etiam celebrans ſacrum, & in eo recipiens Euchariſtiam debet habere intentionem ſaltem virtualem non propter ſuſceptionem, ſed propter confectionem Euchariſtiæ. Ad Conf. Neg. Sequel. quia de nemine poteſt prudenter præſumi, quod S. Euchariſtiam velit accipere modo indecenti, & præciſe ut alium cibum naturalem. Aliud eſt de articulo mortis, ubi vel præceptum urget, vel ſuſceptio Sacramenti ſaltem valde utilis eſt.

379 Dices 2. Eccleſia vetat baptiſmum conferre dormienti, etſi antea habuerit voluntatem illum ſuſcipiendi; nec interea illam retractaverit: ergo. Conf. Saltem ſi aliquis recens baptizatus, qui nunquam aliquid audivit de Sacramento Confirmationis, repente in vitæ diſcrimen v. g. in lethargum incideret, confirmatio illi non poſſet conferri valide: ergo. Reſp. Conc. Ant. Diſt. Conſ. Ergo intentio

tentio habitualis non sufficit ad valorem Sacramenti, Neg. Conf. ad licentiam, Subdist. extra casum necessitatis, Conc. Conf. in casu necessitatis, Neg. Conf. Nam in tali casu actu dormienti & nescienti licite & valide baptismus administrari posset. Ad Conf. Neg. Ant. Quia talis saltem haberet intentionem implicitam, inclusam in voluntate generali Christiane moriendi. Quod autem Ecclesia non soleat fideles in hoc articulo constitutos confirmare, ratio est, tum quia hoc Sacramentum non adeo est necessarium, tum quia minister ordinarius est solus Episcopus, qui non semper potest adesse.

Dices 3. Si sufficeret dicta intentio implicita, 380
baptismus valide posset conferri Gentili, vel Judæo, qui repente in amentiam aut mortis articulum incideret, licet baptismum antea non petiisset; atqui hoc est contra praxim Ecclesiæ. Conf. Quando Christus misit Apostolos ad baptizandum, jussit prius doceri gentes, & postea baptizari; ergo. Resp. Circa hunc casum non conveniunt Auctores, Suarez, Lugo, Arriaga negant Majorem, quia baptismus est initium omnium Sacramentorum, & professio Religionis Christianæ, ad quam proin intentio magis explicita requiri videtur: econtra Rhod. Bernal. Compton. Dicast. Sporer concedunt Majorem, eaque apparet verisimilis saltem tunc, quando talis Gentilis vel Judæus jam aliquam instructionem de nostris fidei Mysteriis audivisset, vel aliunde colligi posset, quod contritionem vel attritionem elicuerit, quia in illis includitur votum servandi omnia præcepta, & adhibendi media necessaria ad salutem. Ad Conf. dici potest, Christum catechismum solum prærequisivisse ad licitam susceptionem baptismi.

381 Quæres. An ad valorem Sacramentorum in ſuſcipiente neceſſaria ſit fides ? Reſp. Negative; nam ſicut Eccleſia ratum habet baptiſmum ab hæretico collatum, ſic etiam approbat baptiſmum ab hæretico ſuſceptum. Sic ratum habuit baptiſmum Neſtorianorum, Macedonianorum, Arianorum &c. licet ipſum Myſterium Trinitatis negaverint. Sic pro valido agnoſcit baptiſmum Lutheranorum, Calviniſtarum &c. etſi circa Sacramenta & Sacramentalia graviter errent. Hinc nihil intereſt, quando de Sacramenti integritate & ſanctitate agitur, quali fide ſit imbutus, qui Sacramentum accipit, ut diſerte docet S. Auguſtinus L. 3 de baptiſmo cap. 14. excipi tamen hic debet Sacramentum pœnitentiæ, quod ab aliis hac in parte ideo differt, quia pro materia involvit dolorem ſupernaturalem, qualis eſſe non poteſt, niſi fide informatus ſit.

QUÆSTIO III.

An ad fructum Sacramenti in ſuſcipiente prærequiratur ſtatus gratiæ?

382 Dicendum 1. Ad Sacramenta mortuorum cum fructu percipienda non requiritur ſtatus gratiæ. Communiſſima Prob. Tum negative, quia neceſſitas ſtatus gratiæ nulla ſufficiente ratione probatur: tum poſitive, quia hæc Sacramenta per ſe ſunt inſtituta ad conferendam primam gratiam: ergo hunc effectum cauſant, modo adſint reliquæ diſpoſitiones ad illorum valorem & operationem requiſitæ, de quibus agetur quæſt. ſeq. Dixi reliquæ diſpoſitiones ad illorum valorem requiſitæ; quippe non ſolum ille, qui Sacramentum reddit invalidum,

dum, sed etiam qui illud suscipit cum obice, sive cum impedimendo gratiæ, per se loquendo peccat graviter, eoquod in re maximi momenti abutatur Divina institutione, juxta quam omnia Sacramenta gratiam absolute & proxime significant.

Dicendum 2. Ad Sacramenta vivorum cum 383
fructu recipienda per se loquendo requiritur status gratiæ. Ita rursus communis ac certa. Prob. Quia hæc Sacramenta per se & primario non sunt instituta, ut conferant primam gratiam, sed ut illam augeant: ergo in subjecto statum gratiæ jam præsupponunt, ac propterea Sacramenta vivorum vocantur. Unde qui sibi conscius est peccati mortalis, priusquam ad illa accedat, statum gratiæ tenetur procurare per contritionem perfectam, aut quod consultius, per Sacramentalem confessionem, imo ante sumptionem S. Eucharistiæ determinate debet sacramentaliter confiteri juxta illud S. Pauli 1 ad Cor. 11. v. 28: *Probet autem se ipsum homo &c.* in quæ verba Concilium Tridentinum Sess. 13 cap. 7 ita habet: *Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad S. Eucharistiam accedere debeat - - modo non desit copia Confessarii. Quodsi necessitate urgente Sacerdos absque prævia Confessione celebraverit, quam primum confiteatur.*

Ex quibus ultimis verbis colliges 1 perfectam 384
contritionem etiam ad licitam & fructuosam sumptionem Eucharistiæ sufficere, quando urget gravis necessitas, & deest copia Confessarii, quia absque gravi incommodo nullus potest adiri, aut confitenti imminet periculum e. g. violationis sigilli. 2. Quod gravis necessitas sumendi Eucharistiam aut celebrandi tunc adesse censeatur, si alias incurre-

retur periculum gravis infamiæ, si moribundus sine viatico deberet decedere, aut populus die festo absque sacrificio a Parocho dimitti. 3. Quod particula *quam primum* non debeat accipi physice pro primo instanti aut prima hora, sed moraliter ac ita, ut confessio postea saltem non differatur ultra tres dies; nam ut Sanchez & Hostiensis notant, statim intelligitur fieri, quod intra triduum fit, L. finali cod. de error. advoc. Interim Alexander VII. damnavit hanc propositionem num. 39: *Illa particula quamprimum intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.*

385 Dices 1. Sacramenta mortuorum possunt licite suscipi in statu gratiæ: ergo vicissim Sacramenta vivorum extra statum gratiæ. Conf. Etiam Sacramenta vivorum per accidens causant primam gratiam: ergo modo habeat aliquis attritionem supernaturalem, illa potest fructuose suscipere. Resp. Conc. Ant. Neg. Consf. Status gratiæ non repugnat sanctitati Sacramentorum, quæ mortuorum dicuntur, sicut repugnat peccatum grave dignitati Sacramentorum, quæ dicuntur esse vivorum, neque decet, ut cuiquam noceat sua sanctitas, quamvis alteri noceat sua malitia. Ad Conf. Conc. Ant. Dist. Consf. Illa potest fructuose suscipere mere per accidens, quia obligationem melius procurandi statum gratiæ invincibiliter ignorat, Conc. Consf. per se, Neg. Consf. & supposititum, quod advertens ad obligationem procurandi statum gratiæ, possit habere veram attritionem de suis peccatis, nisi quantum est in se, conetur huic obligationi satisfacere.

386 Dices 2. Ad Sacramenta vivorum cum fructu suscipienda non requiritur, ut quis non habeat conscientiam peccati venialis, vel etiam actualem affectum ad illud: ergo neque requiritur, ut non habeat conscientiam peccati mortalis. Conf. Peccatum

catum veniale non poteſt eſſe cauſa gratiæ, ſed communio, quæ peragitur e. g. cum vana gloria, aut voluntaria diſtractione, eſt peccatum veniale: ergo. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Peccatum grave opponitur gratiæ ſanctificanti, eamque tollit, cum qua peccatum leve ſtare poteſt, adeoque non impedit ejus augmentum, præſertim ſi illud non ex opere operantis, ſed operato provenit, alias graviter peccaret, qui cum actuali peccato veniali Euchariſtiam acciperet. Ad Conf. Neg. ſuppoſ. quod communio ſeu ſumptio Euchariſtiæ ſit cauſa gratiæ; eſt enim tantum applicatio Sacramenti. Si vero ponas ipſam actionem Sacramentalem e. g. contractum matrimonialem venialiter peccaminoſum eſſe, id non obſtat, quo minus ſit actio moraliter Chriſti, ut patet ex dictis num. 83.

Dices 3. S. Euchariſtia Luc. 22 v. 20 vocatur 387
Novum Teſtamentum, & Matth. 26. v. 28. Chriſtus de ſangune ſuo dixit: *Effundetur in remiſſionem peccatorum:* ergo ad illam non prærequiritur ſtatus gratiæ. Conf. SS. Patres ſæpe docent, & Eccleſia orat, ut hoc Sacramentum ſit ablutio ſcelerum, imo Concilium Florentinum in decret. ad Armen. ait, hominem per Euchariſtiam Chriſto incorporari: ergo. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Euchariſtia dicitur Novum Teſtamentum, in quantum eſt ſignum voluntatis ultimæ Chriſti, ſimulque cauſa inſtrumentalis acquirendæ hæreditatis. Matth 26 autem ſermo eſt tantum de ſanguine Chriſti effundendo in cruce, non item in Euchariſtia, niſi repræſentative. Ad Conf. Patres & Eccleſia ſolum volunt, quod Euchariſtia mundet & abluat a peccatis venialibus, & pravis affectibus, aut etiam pœna peccatorum gravium quoad culpam jam remiſſorum. Florentinum denique expreſſe docet, incorporationem illam fieri per augmentum gratiæ.

388 Dices 4. Christus optime novit infirmitatem hominum: ergo non est credibile, quod fructum Eucharistiæ alligaverit eorum dignitati; alias nemo ad sacram communionem posset accedere, nisi de statu gratiæ esset certus. Conf. Christus in terra se etiam a peccatoribus tangi passus est: ergo. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Christus ab hominibus non requirit æqualitatem dignitatis, sed proportionatam eorum infirmitati, nempe statum gratiæ, ad quam procurandam ipsis sufficientia impetravit media, neque necessarium est, ut de hoc statu simus certi, sed Apostolus solum jubet, ut nos probemus, adeoque non accedamus cum conscientia peccati mortalis. Ad Conf. rursus Neg. Conf. Quod Christus plura hominibus circa se permiserit, quamdiu cum illis familiariter conversatus est in terra, omnes fateri debent, cum non solum a peccatoribus, sed etiam ab ethnicis se tangi passus sit, quin ideo Eucharistiam cum fructu suscipere valeant.

QUÆSTIO IV.

An ad Sacramenta cum fructu suscipienda adhuc aliæ dispositiones sint necessariæ?

389 Dicendum 1. Ad Sacramenta mortuorum fructuose suscipienda in adultis requiritur aliqua dispositio supernaturalis, nempe ad Sacramentum baptismi fides & spes: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*, ad Hebr. 11 v. 6. Et siquidem baptizandus præter peccatum originale afferat peccatum grave personale, insuper debet habere dolorem supernaturalem saltem imperfectum cum proposito non amplius

amplius peccandi de cætero, juxta ilud act. 2. v. 38: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque veſtrum in nomine JEſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum.* Iidem actus requiruntur ad Sacramentum pœnitentiæ, ut pluribus declarabitur Tract. VIII. quod autem debeant eſſe ſupernaturales, colligitur ex eo, quia dolor & propoſitum proxime debent diſponere ad gratiam ſanctificantem, adeoque ad illum habere proportionem, & procedere ex inſpiratione Spiritus Sancti.

Dicendum 2. Ad Sacramenta vivorum fructuo- 390
ſe ſuſcipienda præter ſtatum gratiæ nulla alia requiritur diſpoſitio poſitiva actualis. Ita contra Cajet. Marſil. aliosque paucos Suarez, Victor, Sotus &c. communis. Prob. Quia neceſſitas diſpoſitionis actualis ad conſequendum effectum primarium Sacramenti neque ex Scriptura, neque ex Patribus aut Concillis colligitur, imo potius contrarium; nam Tridentinum expreſſe docet, Sacramenta novæ Legis conferre gratiam non ponentibus obicem, & quando explicat illud Apoſtoli: *Probet autem ſe ipſum homo &c.* tantum exigit, ut nemo ſibi conſcius peccati mortalis absque Sacramentali confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedat. Dixi diſpoſitio actualis poſitiva; quasdam enim diſpoſitiones habituales & negativas requiri, dubium non eſt. Sic ſumens S. Euchariſtiam a media nocte debet eſſe jejunus, ſuſcipiens ſacros Ordines & primam tonſuram liber ab omni irregularitate, accedens ad alia Sacramenta immunis ab excommunicatione & interdicto perſonali.

Dices 1. Concilium Tridentinum Seſſ. 6. cap. 6. 391
ad juſtificationem requirit ſpem, fidem, timorem Divinæ Juſtitiæ, initialem dilectionem Dei, deteſtationem vitæ veteris, & propoſitum melioris: ergo

ad

ad vivorum Sacramenta fructuose suscipienda non sufficit status gratiæ. Conf. Idem Concilium Sess. 7 Can. 7 ait, gratiam in Sacramentis, quantum est ex parte Dei, omnibus dari: ergo supponit ex dispositione hominis pendere, ut gratiam recipiat. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Tridentinum Sess. 6. agit de justificatione prima per baptismum obtinenda, neque affirmat omnes actus enumeratos ad illam esse necessarios; quis enim dicat, neminem per baptismum justificari posse, nisi v. g. subitaneo Divinæ Justitiæ timore concussus? Ad Conf. Neg. Conf. in sensu ab adversariis intento: sicut enim in potestate hominis est tum intentio Sacramenti, tum status gratiæ: sic suo modo ab illo dependet fructus Sacramenti primarius, imo etiam secundarius, in quantum melior dispositio conducit ad accipiendam gratiam uberiorem.

392 Dices 2. Voluntas suscipiendi Sacramentum est dispositio ad fructum supernaturalem; & tamen non debet esse supernaturalis: ergo neque dolor & propositum. Conf. Ad Martyrium fructuose tolerandum non requiritur voluntas supernaturalis: ergo neque ad Sacramenta mortuorum. Resp. Dist. Ant. Voluntas suscipiendi Sacramentum est dispositio proxima & proprie talis, Neg. Ant. remota & improprie talis, Transf. Ant. Nam potius est aliquod requisitum, quam dispositio causativa gratiæ, eoquod requiratur ad ipsum valorem Sacramentorum, qui sine intentione supernaturali dari potest. Hinc licet fideles de illis Sacramentis, quæ suscipere volunt & tenentur, prius debeant instrui, & fidem explicitam de illis elicere; non tamen tenentur hanc fidem ante quamlibet perceptionem Sacramenti repetere. Ad Conf. Neg. Ant. Quippe Martyrium non justificat, nisi toleretur pro Christo, adeoque ex fide in Christum, & cum intentione supernaturali.

Dices

Dices 3. Sacramentum Euchariſtiæ eſt infini- 393
tæ excellentiæ, & inſtitutum ad nutriendam charitatem: ergo, ut cauſet gratiam, merito ab homine exigit actualem reverentiam, & exercitium actuum ſupernaturalium, per quos amicitia foveatur & creſcat. Conf. Quandocunque SS. Patres de hoc Sacramento loquuntur, requirunt magnam devotionem: ergo. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Quando Chriſtus inſtituit Sacramenta, ita reſpexit illorum dignitaten, ut ſimul rationem habuerit infirmitatis humanæ: propter illam requiſivit in ſuſcipiente ſtatum gratiæ: propter hanc noluit requirere actualem devotionem tanquam abſolute neceſſariam ad quamlibet fructuoſam perceptionem, alias homo in illa diſtractus nullum fructum haberet. Porro finis primarius Euchariſtiæ eſt nutritio gratiæ habitualis, quæ gratiam ſanctificantem comitatur, & ex opere operato augeri poteſt, modo ſuſcipiens ſit in ſtatu gratiæ, & debitam intentionem habeat. Ad Conf. dico, SS. Patres magnam devotionem non exigere, ne Sacramentum fiat omnino infructuoſum, ſed ut obtineatur effectus copioſior

Dices 4. Cibus naturalis non nutrit corpus, niſi 394
comedens per proprios actus vitales concurrat cibum maſticando, digerendo &c. ergo ut Euchariſtia nutriat, a ſuſcipiente debet præmitti devotio actualis. Conf. Sacerdotes, qui ſine actuali devotione quotidie celebrant, non nunquam magis ſunt debiles in via virtutis quam laici, qui rarius ſed cum devotione actuali ad S. Communionem accedunt. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Quod Euchariſtia operetur per modum cibi ad ſummum probat, in ſuſcipiente requiri actionem aliquam, non tamen determinate conſiſtentem in devotione actuali. Imo cum cibus Euchariſticus non ita nutriat, ut convertatur in nutrientem, ſed illum potius in ſe convertat, longe

longe alia eſt ratio, quam de cibo naturali, qui ut nutriat, in comedentem converti debet, quod ſine opere operantis fieri nequit. Ad Conf. Neg. Conſ. Habitus infuſi, qui gratiam ſanctificantem comitantur, non dant facilitatem bene operandi, neque excludunt pravos habitus, aut paſſiones inordinatas ſubjugant. Interea autem ob negligentem diſpoſitionem dantur gratiæ actuales pauciores, & forte multi ex ejusmodi Sacerdotibus deterius viverent, niſi ex Sacramentis ſaltem aliquas gratias perciperent.

QUÆSTIO V.

An liceat Sacramenta adminiſtrare indignis?

395 Dicendum. Miniſter per ſe loquendo graviter peccat, ſi Sacramentum miniſtret indigno, id eſt, tali, qui quidem ad valorem, non tamen ad fructum illius diſpoſitus eſt. Communis cum S. Thoma q. 60 art. 6. ubi licet præcipue loquatur de Euchariſtia, tamen de reliquis Sacramentis eſt eadem ratio; nempe 1. præceptum Chriſti Matth. 7. v. 6: *Nolite dare ſanctum canibus, nec mittatis margaritas veſtras ante porcos.* 2 Officium miniſtri, qui tanquam adminiſtrator fidelis ex lege naturæ pretioſa Domini dona tenetur non aliter diſpenſare, quam ſecundum Domini voluntatem, & ad finem ab ipſo intentum. 3. Virtus religionis poſtulans caveri irreverentiam, quam indigne ſuſcipiens Sacramento infert. 4. Lex charitatis, quam miniſter graviter lædit, ſi ſine juſta cauſa cooperetur alterius ſacrilegio; unde niſi prudenter poſſit præſumere ſuſcipientem eſſe rite diſpoſitum, obligatur providere, ut ad Sacramentum licite ſuſcipiendum diſponatur.

Dixi

Dixi per se loquendo; si enim ex negatione 396
Sacramenti ipsi ministro immineret grave periculum vitæ, aut suscipienti gravis infamia, etiam indigno licite administraretur, ut colligitur ex can. placuit 3 caus. 6 q. 2 & cap. 2. si Sacerdos de offic. jud. ord. ubi Eugenius Papa id confirmat exemplo Christi, qui Judam a sacra mensa non removit, licet illum occulte noverat indignum. Ratio est, quia alias orirentur gravissimæ inordinationes, offensiones, scandala, inimicitiæ &c. ob quas Christus maluit permittere suam inhonorationem, quam ut peccator in talibus circumstantiis infametur. Unde præceptum non ministrandi Sacramentum indigno vel non est mere negativum, sed resolvitur in affirmativum prudenter & fideliter illa dispensandi, vel saltem se non extendit ad omnes circumstantias, ferme sicut præceptum non occides est naturale negativum, non tamen obligat pro omnibus circumstantiis e. g. ubi necessaria est occisio injusti aggressoris ad conservandam vitam propriam.

Colliges 1. Peccatori publico, cujus crimen 397
jure, facto, vel fama notorium est, non licet ministrare Sacramentum, etiamsi publice id petat, nisi de seria illius pœnitentia sufficienter constet, quia non amplius habet jus ad famam, sed aliunde jam infamis supponitur. 2. Idem juxta Suar. Arriag. aliosque est, si crimen quidem non sit simpliciter publicum, attamen sciatur ab illis, coram quibus Sacramentum petit; nam etiam in hoc casu suscipiens non incurrit infamiam, & crimen censetur publicum respective ad præsentes. 3. Econtra si ille, qui privatim scitur indignus, Sacramentum petat publice, debet eidem ministrari. 4. Imo etiam si petat privatim coram solo ministro, qui crimen tantum novit ex confessione. 5. In dubio de acta pœnitentia in possessione est certitudo de crimi-

crimine; in dubio autem de crimine in possessione est bona fama. In articulo tamen mortis non est negandum Sacramentum petenti, quia tunc quisque præsumitur serio ad æternitatem se disponere, & necessitas levat scandalum, vel illud tollet minister publicando occultam pœnitentiam moribundi.

398 Dices 1. Inter duo mala minus est eligendum: ergo cum infamatio proximi sit longe minus malum, quam sacrilega Sacramenti receptio, minister potius debet consulere reverentiæ Sacramenti, & ne quidem peccatori occulto illud ministrare, etsi publice petat. Conf. Si minister privata notitia sciret Eucharistiam ab aliquo peti eo animo, ut illam projiciat in cloacam, deberet illam negare etiam publice petenti: ergo a pari. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Infamatio proximi est quidem minus malum, quam peccatum sacrilegii, & ideo suscipiens quodvis malum pœnæ potius admittere, quam Sacramentum percipere indigne debet; at infamatio proximi non est minus malum quam permissio sacrilegii, & materialis tantum cooperatio ad opus externum: quare minister ex gravi & justa causa indignam perceptionem Sacramenti potest permittere, quin ideo peccatum sacrilegii ipsi imputetur. Ad Conf. Transf. Ant. quod negat Bernal. Dist. Conf. Si suscipiens peteret Eucharistiam eo fine, ut sacrilege communicando eam positive inhonoret, Transf. Conf. secus, Neg. Conf. Sacrilege communicantes inhonorationem Christi ordinarie non intendunt directe, sed tantum volunt servare suam famam, ex quo habetur disparitas ad casum in antecedente positum.

399 Dices 2. Per se malum & iniquum est, innocentem injusto aggressori trucidandum offerre: ergo a fortiori iniquum erit Christum tradere sacrilego susceptori. Conf. Quando constat, quod Pe-

trus

trus ſe ipſum velit gladio perimere, non licet illi reddere gladium, etſi repetat: ergo quando quis vult occidere animam ſuam, & ſimul Chriſtum quaſi de novo crucifigere, non licet illi miniſtrare Euchariſtiam. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. & ſuppoſ. quod miniſter in ſenſu morali Chriſtum ſacrilego ſuſceptori tradat, quia ex rationabili cauſa tantum ponit actionem de ſe indifferentem, quæ in talibus circumſtantiis non eſt inhonoratio Chriſti, ſed potius honoratio Sacramenti, ne illud reddatur odioſum. Ad Conſ. Tranſ. Ant. Si enim gladius non poſſet negari ſine graviſſimo incommodo, liceret illum reddere, Neg. Conſ. In priori caſu Petrus per negationem gladii non infamatur, imo infamiam primum incurreret, ſi gladius redderetur; contrarium eſt in caſu poſteriore, in quo inſuper ille, qui Euchariſtiam indigne petit, jam antecedenter ſacrilega ſua voluntate animam ſuam peremit, & Chriſtum quaſi crucifixit.

QUÆSTIO VI.

An indigno ſaltem liceat Sacramentum miniſtrare ſimulate?

Simulatio in genere eſt poſitio ſigni de ſe indif- 400
ferentis ad plura cum intentione aut præviſione deceptionis aliorum. Reſpectu Sacramentorum alia eſt formalis, alia materialis; formaliter miniſter Sacramentum tunc ſimulat, ſi e. g. infundat aquam infanti dicens: ego te baptizo &c. ſimulque intendat, ut præſentes putent ſe vere baptizare, cum tamen ipſe intentionem baptizandi non habeat. Si formam vero & materiam baptiſmi adhiberet quidem, alios tamen non intenderet in errorem inducere, ſed tantum alia de cauſa hic & nunc baptizare nollet, foret ſimulatio materialis, quam aliqui etiam fieri dicunt, quando miniſter nolens conficere

Sacramentum ponit præcise aliquid aliud e. g orationem vel verba, quæ ad ritum sacramentalem se præcise indifferenter habent. Verum hoc modo Sacramentum non nisi improprie simulatur, eoquod nec adsit intentio Sacramentum conficiendi, nec ulla ejusdem pars a ministro ponatur.

401 Dicendum 1. In nullo casu licitum est Sacramentum simulare formaliter. Prob. ex propositione 29 damnata ab Innocentio XI: *Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.* Quæ propositio cum sit indefinita, & ratio illam damnandi ubique subsistat, de quocunque metu intelligi debet. Qui enim ex intentione formaliter simulandi Sacramentum formam sacramentalem super materiam profert, exercite & ipso facto dicit, se nomine Christi baptizare, absolvere, consecrare &c. probe sciens, nihil horum fieri: ergo verbis sacris abutitur, gravem irreverentiam Sacramento irrogat, & in re maxima mendacium committit. Quippe ut S Thomas 2. 2 q. 111 art. 1 advertit, signa æquivoca ad unam significationem determinantur per intentionem illius, qui signum ponit, & quoad mendacium nihil interest, sive verbo, sive facto loquaris.

402 Dicendum 2. Etiam simulatio Sacramenti materialis semper est illicita. Ita cum Carden. & Gormaz defacto communior contra Mojam aliosque, qui ante propositionem damnatam oppositum tanquam probabile sustinuerunt. Prob. Quia etiam ille, qui Sacramentum simulat materialiter, abutitur verbis sacris, & Christo, cujus personam se gerere simulat, quasi illudit. Nec obstat, quod non intendat alios decipere; etenim qui videntibus aliis thus projicit in thuribulum coram idolo, non excusatur a peccato, eoquod id faciat simulatione tantum materiali, & sine intentione affectum adorationis aliis significandi: sufficit ergo ad peccatum cultus externus, & reve-

reverentia erga rem non ſacram, ac irreverentia erga rem ſacram pari paſſu procedunt. Hinc Innocentius III cap. de homine 7 de celebr. Miſſ. ait, Sacerdotem in peccato mortali conſtitutum, nec potentem confiteri vel conteri gravius peccaturum, ſi Miſſam celebraret ſine intentione conſecrandi, quam ſi in peccato mortali conſecraret & communicaret: cum hic *in ſolius miſericordis Dei manus incidat, ille vero non ſolum Deo, cui non veretur illudere, ſed populo, quem decipit, ſe adſtringat.*

Hæc de ſimulatione materiali proprie tali intellecta volo; nam improprie talis non eſt ſimulatio Sacramenti, ſed ſecluſis intentione decipiendi, contemptu Religionis, aliisque vitioſis circumſtantiis utique ex rationabili cauſa poteſt eſſe licita. Sic quando pœnitens non eſt diſpoſitus ad abſolutionem, confeſſarius ſuper illum poteſt aliquid orare & facere crucem non obſtante errore, quo alii putant, eidem impertiri abſolutionem. Similiter ſi mors intentaretur, niſi abſolvatur indiſpoſitus, poſſet Confeſſarius dicere ſubmiſſa voce: Ego te non abſolvo, quia nullam poneret partem Sacramenti, ſed ſimulatio eſſet circa ſola verba indifferentia. Cæterum ſicut ſimulatio Sacramenti prohibita eſt miniſtro, ſic etiam prohibita eſt ſuſcipienti, quia intentio ſuſcipiendi in adulto rationis compote æque requiritur ad eſſentiam Sacramenti tranſeuntis, ac intentio conficiendi: ergo æque eſt contra reverentiam Sacramenti, aut reale mendacium ſimulare ſuſceptionem, quam confectionem, ut notat Gormaz de Sacrament. in genere Diſp. 5 a num. 354. 403

Dices 1. Qui Sacramentum tantum ſimulat materialiter, nec committit dolum, nec mentitur: ergo ſimulatio materialis ex urgente cauſa poteſt eſſe licita. Conf. Qui ex metu gravi injuſte incuſſo materialiter ſimulat ſe contrahere matrimonium, non peccat: ergo. Reſp. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Quia talis nihi- 404

lominus gravem irreverentiam irrogat Sacramento, & illud juxta communem modum loquendi proprie ſimulat. Si enim aliquis Sacerdos ex ſola intentione gloriandi de recta pronuntiatione verba conſecrationis ſupra panem proferret, apud omnes prudentes de ſimulatione Sacramenti damnaretur, ait Gormaz. Ad Conf. Neg. Ant. ſi ipſum Sacramentum ſimulet: aliud eſt, ſi præciſe intendat celebrare contractum civilem, qui tamen eſt invalidus, ſi non ex defectu conſenſus liberi, ſaltem propter legem irritantem; hinc in circumſtantiis, quo ipſum Sacramentum ſimulari videretur, adhibenda eſſet manifeſtatio æquivoca ipſius contractus humani, quæ ex gravibus cauſis e. g. ob latens impedimentum, & metum incuſſum licita foret.

405 Dices 2. Per ſimulationem materialem improprie talem homines non minus decipiuntur, quam per proprie talem; ſive enim Confeſſarius ſupra pœnitentem indiſpoſitum pronunciet formam, ſive aliquid aliud recitet, circumſtantes æque putant pœnitentem revera abſolvi: ergo. Conf. Si hæreticus Sacerdoti minitaretur mortem, niſi conſecret panem, venditioni in platea expoſitum, juxta nos talis Sacerdos poſſet dicere: Hoc non eſt corpus meum, quia ſic nullam partem Sacramenti poneret; hoc eſt nimium: ergo. Reſp. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Qui ex juſta cauſa profert verba indifferentia, nullam Sacramento infert irreverentiam, ſed utitur jure ſuo; unde deceptionem aliorum tantum permittit. At nulla poteſt dari juſta cauſa ſimulandi ritum externum Sacramenti, quia ejusmodi ſimulatio etiam externa intrinſece mala, & ſemper cum irreverentia Sacramenti conjuncta eſt. Ad Conf. Sequelam videtur concedere Cardenas in Criſi, poſito, quod ejusmodi ſimulatio fiat ſine animo decipiendi, & contemptu Religionis, quod tamen Gormaz Diſput. cit. in tali hypotheſi vix fieri poſſe exiſtimat.

PARS





PARS II.

De quibusdam Sacramentis in ſpecie.

De tribus Sacramentis in ſpecie nempe Baptiſmo, Confirmatione, & S. Euchariſtia in hac parte agendum eſt; ne tamen hic Tractatus ultra præſcriptos limites excurrat, ſuppoſitis iis, quæ de Sacramentis in genere dicta ſunt, fere ea ſolum ſtrictim recenſebo, quæ vel inter heterodoxos & orthodoxos controverſa ſunt, vel magis neceſſaria videbuntur: reliqua Theologia moralis ſupplere ſolet.

DISPUTATIO I.

De Sacramento Baptiſmi.

Baptiſmus Chriſti a Catechiſmo Romano part. 2 406
cap. 2 apte definitur Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ; nam licet etiam reliqua Sacramenta gratiam ſanctificantem conferant, & peccator per pœnitentiam ad vitam ſpiritualem quaſi de novo regeneretur; hæc tamen regeneratio non fit per aquam, neque in illa eadem forma eſſentialis adhibetur, qua ex inſtitutione Chriſti baptiſmus conſecrari debet. Tribuuntur huic Sacramento in Scriptura va-

ria alia nomina. Sic quia in illo fidem SS. Trinitatis profitemur, mundamur, & Christo quasi consepelimur, vocatur Sacramentum fidei, ablutio peccatorum, sepultura veteris hominis. Quia per illud Deo consecramur, justificamur, & filii Dei ac hæredes efficimur, dicitur Sigillum, Unctio Spiritus Sancti, & Arrha hæreditatis. Quia denique per baptismum nobis infunditur habitus fidei, aliaque dona Spiritus Sancti, a S. Paulo ad Hebr. 6 v. 4 vocatur Illuminatio.

407 Porro Sacramentum hoc probabilius fuit institutum, quando Christus in Jordane baptizatus est, ubi tota SS. Trinitas, cujus nomine baptismus confertur, præsens aderat; vox enim Patris audita est, Filius Deus homo abluebatur, Spiritus Sanctus columbæ specie descendit, quin & cœli aperti sunt, quo nobis per baptismum via pateret, ut tradit S. Matthæus cap. 3 v. 15 & seq. Hinc SS. Patres apud Tourneiyum ajunt, aquas in Christi baptismo vim sanctificandi accepisse, ibi designatam fuisse hujus Sacramenti formam, & præcipuum effectum. Certe Christus ejusque discipuli jam Joann. 3 & 4 baptizasse leguntur; ergo baptismus jam ante mortem Christi fuit institutus. Neque enim dici potest, quod tunc solum baptizaverint baptismo Joannis; nam ut Joan. 3 v. 25 legitur, inter Judæos orta est contentio, utrum baptismus Christi, an Joannis esset melior; atqui huic contentioni locus non fuisset, eamque Joannes facile potuisset sopire, si utriusque baptismus fuisset idem; imo ipse Joannes inter suum, & Christi baptismum Marc. 1 v. 8 clare distinguit: *Ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit in Spiritu Sancto.*

QUÆ-

QUÆSTIO I.

Quænam sit materia Baptismi?

Omissis illis hæreticis, qui omnia Sacramenta 408
sensibilia rejecerunt, Baptismum in aqua repudiarunt 1. Cainani, Quintiliani, item Manichæi, Seleuciani, & Henriciani, quorum illi aquæ simplicitatem & vilitatem aspernabantur, isti vero eam a principio malo productam autumabant 2. Cathari loco aquæ adhibuerunt ignem, alii in necessitate vinum, oleum, lac & cerevisiam, a quibus non multum recessit Lutherus in colloq. sympos. cap. 17 dicens, aqua deficiente ad Baptismum sufficere, quidquid loco balnei esse potest, quem errorem multi novatores adoptasse dicuntur. 3. Pauliani loco aquæ adhibuerunt illa verba Evangelii: *Ego sum aqua viva.* 4 Denique Græci schismatici, quando post Concilium Florentinum se iterum ab unitate Ecclesiæ Latinæ segregarunt, inter alias separationis suæ causas etiam hanc prætexuere, Baptismum a se mersione trina collatum alium esse a Baptismo, quem infusione præbet Romana Ecclesia, & ideo hanc a vera fide secessisse dicente ad Ephes. 4 v. 5 Apostolo; *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma.*

Dicendum 1. Sola aqua naturalis est materia 409
Baptismi. Prob. 1 ex Scriptura: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest intrare in regnum Dei,* Joann. 3 v. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, mundans eam lavacro aquæ,* ad Ephes. 5 v. 25. hinc Eunuchus ad Philippum Act. 8 v. 36 dixit: *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari.* Deus vero jam in antiquo testamento per Ezechielem cap. 36 v 25 promisit: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini* ab

ab omnibus iniquitatibus vestris. Prob. 2 ex unanimi consensu Patrum, & perpetua Ecclesiæ praxi, quæ baptismum aliter, quam in aqua collatum, semper tanquam invalidum rejecit, ut adductis exemplis ostendit Tournelyus. Hinc Concilium Florentinum in decret. ad Armen. inquit : *Materia hujus Sacramenti est aqua vera & naturalis.* Tridentinum vero sess. 7 can. 2 anathema dicit asserenti : *Aquam veram & naturalem non esse de necessitate Baptismi.* Ratio congrua, cur Christus Baptismum in aqua instituere voluerit juxta S. Thomam 3 part. q. 66 art. 3 est, quia hæc materia pro Sacramento regenerationis est omnium facillima, & ablutio corporis per aquam congruentissime significat internam animæ ablutionem a peccatis.

410 Dicendum 2. Baptismus est validus, & substantialiter unus idemque, sive per immersionem sive per infusionem aut aspersionem trinam vel unicam conferatur. Prob. 1. Ex una parte quocunque modo aqua fundatur, manet Sacramenti substantia, & analogia signumque interioris ablutionis, a Christo institutum : ex altera parte nullum exstat mandatum Divinum determinate immersionem præcipiens, alias illud Ecclesia utique novisset, & ritum immergendi inviolabiliter observasset; atqui hoc non fecit ; nam S. Cyprianus Epist. 76 ad Magnum testatur, jam suo tempore Clinicos, id est, infirmos in lecto decumbentes, infusione baptizatos esse. Idem antiquissimis exemplis probat Martene ex vita S. Laurentii, ex actis S. Gratiliani, S. Bachi Junioris & Ludigeri Episcopi, in quibus baptismum infusione collatum esse ipsa Sanctorum gesta confirmant. Sane non est verisimile immersionem fuisse adhibitam, quando baptizandus erat parvulus animam agens, aut deficiente non nunquam aquæ copia ad eundem Sacerdotem confluxit ingens hominum

minum multitudo, e. g. quando S. Petrus una die baptizavit tria, alia quinque millia, vel quando S. Paulus baptizavit custodem carceris & domum ejus, ut in actis Apostolorum refertur.

Quod immersionem trinam attinet, ea quidem 411
in solemni administratione Baptismi ab Apostolis usurpata, & ab Ecclesia tum Græca tum Latina retenta fuit usque ad sæculum XIII, quo paulatim ab ea recesserunt Latini, imo quoad numerum jam sæculo VI eandem immutarunt Hispaniarum Episcopi occasione Arianorum, qui ex ea petebant argumentum ad oppugnandam SS. Trinitatis consubstantialitatem. Inductam ab Hispanis consuetudinem dein approbavit Gregorius Magnus Epist. 43 ad Leandrum Episcopum Hispalensem, ubi ait: *Reprehensibile esse nullatenus potest infantem in baptismate vel ter vel semel mergere, quando & tribus mersionibus Personarum Trinitas, & in una potest Divinitatis singularitas designari.* Gregorii judicium secutum est Concilium Toletanum IV cap. 6, & Wormatiense can. 5. Quare audiendus non est Alcuinus, dum Epist. ad Clerum Lugdunensem mutationem Hispanorum velut erroneam traducit, & epistolam Gregorii in suspicionem falsitatis & suppositionis trahere nititur; illam enim genuinam esse, patet ex allegatis Conciliis & S. Isidoro in Catal. vir. illustr. In praxi cuilibet observanda est consuetudo suæ Ecclesiæ.

Objectiones.

Obj. 1. Matth. 3 v. 11 S. Joannes de se ait: 412
Ego vos baptizo in aqua. De Christo autem: *Ipse vos baptizabit in Spiritu & igne:* ergo Baptismus Christi non debet conferri in aqua, alias quoad ritum sensibilem non differret a baptismate Joannis. Conf. Per Spiritum & ignem in citato textu intelligitur

Spiritus igneus : ergo etiam quando Joann. 3 v. 5 dicitur : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto*, nihil aliud intelligitur quam Spiritus aqueus, id est, instar aquæ mundans. Quippe ut S. Chrysostomus Homil. 31 observat, gratia Spiritus Sancti in Scriptura modo Ignis, modo aqua appellatur. Resp. Conc. Ant. Neg. Cons. Vox Ignis in objecto textu vel accipitur metaphorice pro cœlesti virtute Spiritus Sancti, quæ instar Ignis animam mundat, ut exponunt S. Cyrillus & Macarius : vel refertur ad effusionem Spiritus Sancti Ignis specie super Apostolos ; differt nihilominus baptismus Christi a baptismo Joannis sensibiliter ratione formæ Ad Conf Conc. Ant. Dist. Conf. significat Spiritum aqueum, id est, in aqua operantem, Conc. Conf. id est, aquam spiritualem, Neg. Conf Nunquam enim Scripturam ita intellexerunt Patres & Ecclesia : neque S. Chrysostomus unquam dixit in objecto textu per Spiritum Sanctum & aquam idem significari.

413 Dices 1. Nulla est ratio, cur in adductis textibus potius metaphorice accipiatur ignis quam aqua, aut cur hæc potius dicatur materia Baptismi quam Spiritus Sanctus : ergo. Conf. Quando Christus Joannis 3 v. 3 ad Nicodemum dixit : *Nisi quis renatus fuerit denuo &c. ille* v. 4 stupefactus exclamavit : *Quomodo homo potest nasci, cum sit senex?* propter quod Christus illum reprehendit v. 10 dicens : *Tu es Magister in Israel, & hoc ignoras?* atqui hanc reprehensionem Nicodemus non meruisset, nisi Christus fuisset locutus tantum de regeneratione per gratiam Spiritus Sancti, quæ jam a Prophetis prænunciata fuerat ; ergo. Resp. Neg. Ant. Quod aqua naturalis, & quidem in sensu proprio accepta sit materia Baptismi, patet tum ex eo, quia omnia Sacramenta constant verbis tanquam

quam forma, & rebus tanquam materia, tum ab exemplo Eunuchi, qui a Philippo aqua baptizatus est; hinc Christus, dum advertit Nicodemum hæsitare, non respondit, hominem per solum Spiritum Sanctum regenerari, sed ex aqua & Spiritu Sancto. Cum vero Nicodemus v. 4 hanc regenerationem nimis materialiter & corporaliter intelligeret: *Nunquid potest homo in ventrem matris suæ iterato redire, & renasci*, Christus illum merito reprehendit, quia ut legis peritus ignorare non debuit vaticinium Ezechielis cap. 36 v. 25 *Effundam super vos aquam mundam &c.* Hinc ad Conf. Conc. Maj. Neg. min. & Conf.

Dices 2. Modo liquor serviat ad ablutionem 414
corporis, jam habet analogiam cum ablutione animæ: ergo saltem in necessitate Baptismus potest conferri per alium liquorem quam aquam. Conf. Siricius Papa & Stephanus II approbarunt Baptismum vino collatum. Imo Nicephorus Lib. 3 cap. 37, & Joannes Moscus in Prato spirituali cap. 17 narrant, Judæum quemdam in defectu aquæ arena calida baptizatum subito a vehementi febre liberatum fuisse. Resp. Transf. Ant. Neg Conf. Materia Sacramenti non tantum debet habere analogiam cum suo effectu spirituali, sed etiam Divinam institutionem ad illum conferendum. Ad Conf. Nullum tale responsum a Siricio aut Stephano datum sive in Romanis archivis, sive in legitima collectione Canonum invenitur; hinc tomo 6 Conciliorum notatur a Librario quodam Glossema temere intrusum, nec aliud a Stephano responsum, quam Sacerdotem, qui vino baptizavit, non esse excommunicatum, si nullam aquam habere potuerit. Porro Moscus & Nicephorus expresse ajunt, Judæum illum de novo fuisse baptizatum, adeoque illorum narratio potius veritatem Catholicam confirmat.

Obj.

415 Obj. 2. Christus præcepit Apostolis, ut baptizarent, sed baptizo tantum significat mergo: ergo. Conf. Tempore S. Cypriani non solum Magnus, aliique non nulli de baptismo Clinicorum dubitarunt, sed ipse Cyprianus, quamquam talem baptismum valere putaverit, cuique liberum reliquit, quid facere, & sentire vellet, & iis, qui Baptismum nullum judicabant, permisit eundem iterare. Pariter Cornelius Papa apud Eusebium Lib. 6 Histor. cap. 43 dubitavit de Baptismo Novatiani, in lecto per infusionem baptizati, eumque ideo declaravit irregularem. Resp. Conc. Maj. Neg. min. Sed vox hæc in Hebræo, Græco, & Latino ad omnem ablutionem significandam adhibetur, nec aliter accipitur, ubi in Scriptura fit mentio baptismatis urceorum, calicum, lectorum &c. Ad Conf. An Magnus aliique dubitaverint de valore Baptismi Clinicorum, an solum de ejus plenitudine, non satis constat. S. Cyprianus vero valorem illius clare asserit, & solum ex moderatione aliorum arbitrio suam opinionem subjicit, quia res hæc nondum Ecclesiæ judicio definita erat; quod autem illi, qui talem baptismum putabant esse invalidum, eundem iterarent, per se ex illorum errore consequebatur. Cornelius de Baptismo Novatiani dubitavit, quia Novatianus ob improbitatem suam merito suspectus fuit, an habuerit debitam intentionem. Porro in lecto baptizati irregulares habebantur, eoquod potius metu mortis, quam proprio motu viderentur baptismum suscipere.

416 Dices 1. SS. Patres nominatim Tertullianus, Hieronymus, Basilius apud Tournelyum de Baptismo art. 2 ajunt, trinam immersionem haberi ex traditione Apostolica, utpote quam non solum Ecclesia antiqua, sed ipse Christus suo exemplo docuit. Conf. S. Chrysostomus Homil. de fide inquit: *Dominus*

minus in tribus merſionibus aquæ unum Baptisma diſcipulis ſuis tradidit. Et Pelagius II in Epiſt. ad Gaudent. *Ipſo Deo & Domino noſtro JEſu Chriſto tradente admonemur in nomine Trinitatis trina etiam immerſione ſanctum Baptisma unicuique tribuere.* Reſp. Diſt. Ant. ajunt, trinam immerſionem haberi ex traditione Apoſtolica Divina & ad fidem pertinente, Neg. Ant. ex traditione Apoſtolica latius dicta, & præciſe pertinente ad diſciplinam Eccleſiaſticam, Conc. Ant. Quod non omnia, quæ in Sacramentorum adminiſtratione fecerunt Chriſtus & Apoſtoli, ſint de neceſſitate Sacramenti aut præcepti Divini, aliunde patet, & hic colligitur ex eo, quod jam in antiqua Eccleſia, & ab ipſis Apoſtolis Baptismus quandoque per infuſionem collatus ſit. Ad Conf. S. Chryſoſtomus & Pelagius non volunt, quod trina immerſio ad fidem & præceptum Chriſti pertineat ratione ſui, ſed ratione rei ſignificatæ, nempe invocationis SS. Trinitatis, quæ tamen ſatis per formam poteſt exprimi ; hinc Chriſtus Matth. 28 v. 19 ſolum dixit : *Baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.*

Dices 2. Quando Eunomius incepit baptizare 417
per ſimplicem immerſionem, Baptismus illius fuit reprobatus a Concilio Conſtantinopolitano I can. 7. In Canone Apoſtolico 50 autem ſub depoſitionis pœna Epiſcopis ac Presbyteris imponitur, ut trinam immerſionem obſervent ; hinc Græci ſæpius Latinam Eccleſiam violati Baptismi incuſarunt. Conf. Per trinam immerſionem debet ſignificari myſterium ſepulturæ Chriſti, qui tribus diebus in ſepulchro jacuit. Reſp. Baptismus Eunomianorum reprobatus fuit, quia trinam immerſionem omiſerunt, ne videatur ſignificari Trinitas Perſonarum, quam negabant, & ideo ſine illius invocatione tantum baptizabant in mortem Chriſti ; unde merito

rito depositionis sententia fuit lata in illos, qui hunc errorem in baptizando sequebantur. Econtra immerito Latinos accusarunt aliqui schismatici Græci; nam etiam apud Græcos quandoque Baptismum per infusionem administrari testantur Ebnassalus collect. Can. L. 1, Echiminus, & Gregorius Abulfaregius apud Auctorem rei Sacrament. Ad Conf. dico, mersionem per se non esse signum dierum, sed sepulturæ Christi; hanc autem sufficienter repræsentari, dum aliqua pars hominis aquæ supponitur, sicut Corpus Christi sub terra fuit positum.

QUÆSTIO II.

Quænam sit forma Baptismi?

418 Licet nostra ætate ferme omnes formam: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti: Amen*, in baptismo adhibeant, fuere tamen olim, qui vel omnino non in nomine SS. Trinitatis baptizarunt ut Aetiani, Marcitæ, Cataphrygæ, vel eandem hæretica perversione corruperunt, uti Ariani, Sabelliani, Photiniani. Lutherus quoque, Calvinus, Zwinglius & Brentius docuerunt, nullam formam determinatam ad substantiam Baptismi requiri, modo ille conferatur in nomine Domini, & talibus verbis, quæ fidem & apprehensionem justitiæ excitare valeant. Imo Lutherus Lib. de captiv. Babil. cap. de Baptis. scribit: *Non dubitem, si quis in nomine Domini suscipiat baptismum, etsi impius minister non det in nomine Domini, vere baptizatum esse.* Denique Sociniani negant, in forma necessario exprimi debere nomina trium Divinarum Personarum, in quem errorem etiam quidam ex Catholicis olim humanitus lapsi sunt, ut Hugo a S. Victore, Magister sententiarum & Cajetanus. Alii vero putarunt, solam

ſolam expreſſionem SS. Trinitatis ſine aliis verbis ſufficere, uti Præpoſitivus, Petrus Cantor, Stephanus Tornacenſis &c. apud Tournelyum.

Dicendum 1. In forma Baptismi neceſſario de- 419
bet exprimi invocatio SS. Trinitatis. Prob. 1 auctoritate Scripturæ, in qua Chriſtus Matth. 28 v. 19 diſcipulis ſuis expreſſe dixit: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Quæ verba ab univerſa Eccleſia ſemper fuerunt ita intellecta, quod omnes tres Perſonæ exprimi debeant, ut patet tum ex euchologiis Græcorum, tum ritualibus Latinorum. 2. Idem paſſim tradunt SS. Patres. Ambroſ. Lib. de Myſter. cap. 4 ait: *Niſi baptizatus fuerit in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, remiſſionem non poteſt obtinere peccatorum.* Tertullianus Lib. de Baptiſ. cap. 13: *Lex tingendi impoſita eſt, & forma præſcripta: ite,* inquit, *docete nationes, tingentes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* S. Auguſtinus Lib. 6 de baptiſ. cap 25: *Certa ſunt verba, ſine quibus non poteſt conſecrari baptismus.* Quod autem hæc verba conſiſtant in expreſſa invocatione SS. Trinitatis, declarat Lib. 3 c. 15. Hinc 3. Eccleſia ſemper juſſit rebaptizari, qui alia forma baptizati fuerant. Sic Concilium Nicænum I juſſit rebaptizari Paulianiſtas, Laodicenum Montaniſtas, Arelatenſe II Photinianos, Conſtantinopolitanum I Eunomianos & Sabellianos, Tridentinum vero ſeſſ 7 can. 4 definit, Baptismum hæreticorum eatenus valere, quatenus conſtiterit, ſub expreſſa invocatione trium Divinarum Perſonarum collatum eſſe.

Dicendum 2. Præter invocationem SS. Trini- 420
tatis neceſſario exprimi debet actio miniſtri & perſona ſuſcipiens a baptizante diſtincta per verba: *Baptizo te,* vel æquivalentia. Prob. rurſus ex præcepto Chriſti ſupra relato: *Baptizantes eos in nomine*

Patris

Patris &c. per hæc enim non minus neceſſitatem exprimendi actionem miniſtri & perſonæ ſuſcipientis ab illo diſtinctæ, quam invocandi SS. Trinitatem indicari diſcimus ex perpetua praxi & traditione Eccleſiæ, quæ niſi pro certa & firma regula intelligendi Scripturam accipiatur, vix aliquid ſolidi circa eſſentiam Sacramentorum oſtendi poterit. Hinc Alexander III cap. ſiquis puerum 1 de Baptiſ. ait: *Siquis puerum ter in aqua merſerit in nomine Patris, & Filii &c. & non dixerit : ego te baptizo &c. puer non eſt baptizatus.* Cui conſtitutioni Eccleſia a ſæculo XII usque ad noſtra tempora acquievit; cum vero aliqui novatores aliud docere inciperent, Alexander VIII damnavit hanc propoſitionem 27: *Valuit aliquando baptismus ſub hac forma: in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, prætermiſſis iſtis: ego te baptizo.* Valet nihilominus baptisma, ſi omittatur pronomen *Ego* aut particula *Amen;* nam hæc eſt tantum quaſi acclamatio Sacramenti jam peracti: illud ſatis exprimitur per verbum baptizo & actionem baptizantis, ut patet ex forma Græcorum: *Baptizetur ſervus vel ſerva Chriſti.* Quæ antiquiſſima, & quoad ſubſtantiam eadem cum noſtra eſt.

Objectiones.

421 Obj. 1. Licet Apoſtolus ad Coloſſ. 3 v. 17 præcipiat, ut omnia fiant in nomine Domini noſtri JEſu Chriſti, ideo non debemus in omnibus actionibus hæc verba proferre : Manduco, aut bibo in nomine Domini &c. ergo ex verbis Chriſti non probatur, quod expreſſa invocatio SS. Trinitatis ſit de neceſſitate baptismi. Conf. Baptizare in nomine Patris & Filii &c. nihil aliud eſt, quam baptizare in fide & auctoritate SS. Trinitatis, & cooptare in illius Religionem: forma autem, quam nunc adhibemus, primum inventa eſt a Gregorio Magno.

Magno. Resp. Conc. Ant. Dist. Cons. Ergo per verba Christi nude accepta hoc non probatur, Trans. Cons. per verba Christi accepta juxta interpretationem & traditionem Ecclesiæ, Neg. Cons. Ad Conf. Neg. Ant. Christus discipulis non tantum præcepit, ut homines in Religionem suam cooptent quomodocunque, & nuda oblatione, sed in verbo, ut patet ex cap. 5 ad Ephes. 25: *Mundans eos lavacro in verbo. In quo verbo nisi in illo, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*, ait S. Chrysostomus Homil. 2 in Epist. ad Ephes. Porro quamvis Tournelyus quæst. 1 art. 4 fateatur ex primis quinque sæculis non exstare disertum testimonium formæ, qua nunc utimur; addit tamen Gregorium Magnum aliosque eam non referre tanquam recens inductam, sed ut veterem, & a majoribus transmissam.

Dices. Ex eo, quod Christus Matth. 28 v. 19. 422
dixerit: *Docete omnes gentes baptizantes eos*, non sequitur, quod debeant proferri hæc verba: *Ego vos doceo:* ergo neque, quod debeant proferri ista: *Ego te baptizo.* Hinc Patres in Conciliis tantum soliciti fuere de invocatione SS. Trinitatis; imo S. Ambrosius Lib. 2 de Sacrament. cap. 7 insinuare videtur, trinam immersionem adhibitam fuisse absque omni prolatione verborum. Conf. Quando Moyses ablegatus est ad Pharaonem, & Elisæus puerum suum misit ad resuscitandum mortuum, non debuerunt dicere: Projicio virgam. Pono baculum supra faciem tuam: ergo a pari. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Quamvis Christus non dixerit expresse: Ite, proferte hæc verba: ego te baptizo, illud tamen revera præcepisse docet nos auctoritas Ecclesiæ: quod autem Patres & Concilia tantum fuerint solicita de invocatione SS Trinitatis, ratio est, quia hanc solam adulterarunt hæretici, de reliquis ver-

bis autem nulla mota est quæstio saltem ante Sæculum XII. Porro S. Ambrosius loco objecto solum recenset interrogationes, quæ in baptismo fieri solebant, inferius autem ipsemet formam consuetam ex antiquis liturgiis recitat. Ad Conf. redit data responsio. Adde, quod in patrandis miraculis elementa non debeant certis verbis consecrari, quamquam etiam multa Dei verbo perfecta sint.

423 Obj. 2. S. Ambrosius Lib. 1 de Spirit. Sanct. cap. 13 ait: *Si unum in sermone comprehendas aut Patrem aut Filium aut Spiritum Sanctum, fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum Sanctum neges, plenum est fidei Sacramentum.* Ergo non requiritur invocatio omnium trium Personarum. Conf. Ibidem docet, Æthiopem Candacis Reginæ valide baptizatum esse in Christo, neque plenitudini Sacramenti quidquam defuturum, si quis baptizaretur tantum nuncupato Spiritu Sancto: *Quia qui unum dixerit Trinitatem significavit.* Resp. Conc. Ant. Neg. Cons. S. Doctor hoc loco non agit de forma baptismi, sed de fide baptizandi, & solum vult, ad gratiam baptismi obtinendam sufficere, si baptizandus in professione fidei unam Personam nominet, modo in omnes credat; hinc ait, tunc Sacramentum fidei fore plenum; neque enim putavit fidem ministri ad Sacramentum valide suscipiendum necessariam esse. Ad Conf. dico, exemplo Æthiopis confirmari, quod sermo sit de fide suscipientis Sacramentum; quippe ut Act. 8 v. 37 dicitur Æthiops explicite tantum confessus est JEsum Christum, quibus verbis autem a Philippo baptizatus fuerit, non legitur, dum econtra S. Ambrosius necessitatem invocandi omnes tres Personas alibi clare adstruit, ut patet ex num. 419.

Dices

Dices 1. Nicolaus I a Bulgaris consultus, quid 424
agendum de his, qui a quodam Judæo (incertum utrum Christiano an pagano) baptizati sunt, Dist. 4 de Consecr. Can. 24 respondit: *Hi profecto, si in nomine SS. Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in actis Apostolorum legitur, baptizati sunt, unum quippe idemque est, ut S. exponit Ambrosius, constat, non esse baptizandos:* ergo. Conf. S. Bernardus Epist. 340 ad Henric. Archidiac. ratum habuit Baptismum his verbis administratum: Baptizo te in nomine Dei & sanctæ & veræ crucis. Resp. Nicolaum a Bulgaris tantum fuisse interrogatum, an valeat baptismus collatus a Judæo vel Pagano, an vero in ministro necessaria sit fides? cætera ergo, quæ ad formam spectant, obiter adjecit ut Doctor privatus, unde salva reverentia ei debita deseri potest. Ad Conf. S. Bernardus initio hujus epistolæ ipsemet ait: *Sine præjudicio tamen sanius sapientis.* Nunc autem ab omnibus rejicitur, neque Divina dogmata ex privata quorundam opinione, sed ex Scriptura, praxi Ecclesiæ, & communi omnium Patrum traditione metienda sunt.

Dices 2. Qui dicit: *Ego te baptizo in nomine* 425
SS. Trinitatis, reipsa & confuse tantum dicit, quantum qui singillatim omnes Personas nominat: ergo. Conf. Qui unicam personam nominat, Trinitatem significat, ut ex S. Ambrosio audivimus; hinc Apostoli sæpius in solo nomine JEsu baptizarunt. Resp. Conc. Ant. Neg. Cons. Licet enim in utroque casu idem dicatur, non tamen dicitur eodem modo, & prout Christus, a cujus voluntate institutio & efficacia Sacramentorum pendet, dici voluit. Ratio congrua est, quia baptismus est Sacramentum fidei, quare Christus merito voluit, ut in eo plena & explicita fidei in omnes tres Personas Divinas professio exprimatur. Hinc ad Conf.

multo minus ad rationem Sacramenti sufficit, si una tantum Persona nominetur; an vero Apostoli aliquando in solo nomine JEsu baptizaverint, nova est quæstio, quam non ita pridem rursus suscitavit Augustinus Orsius e S. Dominici Ordine, sacri Palatii Magister, quare illam non nihil pluribus juvat discutere.

QUÆSTIO III.

Utrum Baptismus in Ecclesia aliquando collatus fuerit sine expressa invocatione trium Divinarum Personarum?

426 Quia in Actis sæpius memoratur, Apostolos in nomine JEsu baptizasse: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine JEsu Christi,* Act 2 v. 38. *In nomine JEsu Christi baptizabantur viri & mulieres*, cap. 8 v. 12. *Jussit eos* (Petrus) *baptizari in nomine Domini nostri JEsu Christi*, cap. 10 v. 48. *His auditis baptizati sunt in nomine JEsu*, cap. 19 v. 5. Plurimi ex antiquioribus scholasticis, quamvis admiserint, expressam invocationem SS. Trinitatis de facto esse de necessitate baptismi, nihilominus putarunt, Apostolos baptizasse in solo nomine JEsu ex speciali privilegio, ut initio Ecclesiæ nomen Salvatoris magis commendetur. Favet huic opinioni ipse S. Thomas 3 p. q. 66 art. 6 ad 1. Recentiores vero cum Bellarmino illam rejiciunt, & Auctor rei Sacramentariæ eandem vocat prorsus improbabilem.

427 Dicendum. Baptismus in Ecclesia nunquam fuit collatus sine expressa invocatione trium Divinarum Personarum, neque Apostoli unquam in nomi-

nomine ſolius Chriſti baptizarunt. Prob. 1. Ex una parte Chriſtus Apoſtolis expreſſis verbis præcepit, ut baptizarent in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut probatum quæſt. præced. & altera parte nulla habetur ratio dicendi, quod in hac lege cum ipſis diſpenſaverit; neque enim hujus diſpenſationis meminit Scriptura, neque SS. Patres, aut Concilia, imo per ſe incredibile eſt, quod Legislator ſtatim voluerit diſpenſare in ſua lege cum illis, quibus eandem primo dedit, & aliis verbo & exemplo promulgandam reliquit. Multo minus Apoſtoli ſibi ipſis tale privilegium arrogare fuiſſent auſi: nam invocatio omnium trium Perſonarum adeo nihil præjudicii gloriæ, & celebritati nominis JEſu attulit, ut inde potius fuerit aucta, quod cum Patre & Spiritu Sancto indiviſa naturæ communione conjunctus in Sacramento fidei nominaretur. Hinc S. Petrus, Stephanus, cæterique Apoſtoli non tantum Chriſtum, ſed etiam Patrem & Spiritum Sanctum voce libera prædicarunt, & S. Paulus, cum intellexit, quosdam ex diſcipulis nihil ſcire de Spiritu Sancto, Act. 19 v. 3 ex illis quæſivit: *In quo ergo baptizati eſtis?* quomodo autem id quærere potuiſſet, niſi Apoſtoli etiam in nomine Spiritus Sancti baptizare conſueviſſent?

Prob. 2. Auctoritate Patrum, qui exponentes 428
Scripturæ loca, in quibus aliqui in nomine Chriſti baptizati dicuntur, expreſſe docent illos reipſa fuiſſe baptizatos in nomine omnium trium Perſonarum, uti S. Baſilius Lib. de Spirit. Sanct. cap. 12, ubi ex profeſſo concluſionem noſtram demonſtrat. Dydimus Lib. 2 de Spirit. Sanct. non longe ab initio. S. Auguſtinus Lib. 2 contra Maxim. cap. 17, Theophilactus in caput ult. S. Lucæ ait: *Quando dicimus baptiſma fieri in nomine Chriſti, non dicimus, quod oporteat in ſolius Chriſti nomine fieri.* S. Cypria-

nus Epist. 73 ad Jubaj. *JEsu Christi mentionem facit Petrus, non quasi pater omitteretur, sed ut Patri quoque Filius adjungeretur.* Hinc si eamus per omnia sæcula Christianæ Religionis, nulli deest suus Pater aut Synodus, ex cujus verbis non possit clare deduci, baptismum sub invocatione SS. Trinitatis collatum fuisse. Sic in Sæculo I S. Dionysius Lib. 2 de Hierarch. Ecclés. cap. 2, in Sæculo II Justinus Martyr in Apolog. 2, in Sæculo III Tertullianus Lib. de Baptis. cap. 6 expressis verbis necessitatem hujus invocationis commendant. Taceo hic auctoritatem Conciliorum, quam adduxi num. 419.

429 Dices 1. In S. Scriptura sæpius dicitur, quod Apostoli baptizaverint in nomine Christi, quin ulla fiat mentio Patris & Spiritus Sancti: ergo. Conf. S. Hilarius Lib. de Synod. n. 85 ait: *Ne postremo Apostoli reperiantur in crimine, qui baptizare in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti jussi, tantum in nomine JEsu baptizarunt.* Resp. Dist. Ant. quod Apostoli baptizaverint in nomine Christi, id est, fide & auctoritate Christi, Conc. Ant. id est, per invocationem Christi, Subdist. cum exclusione aliorum Personarum, Neg. Ant. nomen Christi etiam includendo, Trans. Ant. Neg. Conf. Scriptura non solet semper omnia in quovis loco repetere, & per vocem *in nomine* sæpe auctoritatem & fidem denotat. Sic Petrus Act. 3 v. 6 ad Claudum dixit: *In nomine JEsu Christi Nazareni surge.* Et Ananias Act. 22 v. 16 ad Saulum: *Ablue peccata in nomine ipsius.* Quodsi etiam transmitteretur, Apostolos nomen JEsu invocasse, ad summum probaretur, quod adhibuerint hanc formam: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii Domini nostri JEsu Christi, & Spiritus Sancti.* Ad Conf. S. Hilarius contra Arianos vult ostendere Scripturæ testimonia, quæ tanqnam contraria objiciebant, non pugnare inter se, idque

que inter alia probat exemplo Apoſtolorum, qui referuntur baptizaſſe in nomine JEſu, cum tamen Chriſtus expreſſe juſſerit baptizare in nomine omnium trium Perſonarum, ut igitur hos textus conciliet, per to *in nomine* debuit intelligere in auctoritate & virtute Chriſti.

Dices 2. Si voces *in nomine* ſunt indifferentes 43a
ad denotandam invocationem vel virtutem & auctoritatem, non eſt ratio, quare potius invocationem ſignificent apud Matthæum, quam in actis Apoſtolorum: ergo. Conf. Præceptum Matth. 28 v. 19 Apoſtolis datum pertinebat ad ſolos Gentiles, non item ad Judæos, qui maxime de Meſſia controvertebant; hinc S. Cyprianus Epiſt. 73 ad Jubaj. docet: *Apoſtolos baptizaſſe Judæos in nomine JEſu, Gentiles autem in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Reſp. Neg. Ant. Ratio ita interpretandi verba Scripturæ eſt perpetua praxis & traditio Eccleſiæ, in qua nullibi invenimus Apoſtolos ſub invocatione Chriſti ſaltem ſolius baptizaſſe. Dein in actis Apoſtolorum exponuntur mera facta, in quibus ſæpe aliquæ circumſtantiæ tacentur, apud S. Matthæum autem datur Apoſtolis præceptum, quomodo baptiſmus adminiſtrari debeat. Ad Conf. Neg. Ant. Sicut enim Chriſtus Judæis fuit ſcandalum, ſic gentibus erat ſtultitia, & utrique Myſterium Trinitatis inficiabantur. S. Cyprianus non loquitur de forma baptiſmi, ſed de profeſſione fidei baptizandorum, quæ a Judæis in Filium, a Gentilibus vero in totam SS. Trinitatem exigebatur.

Dices 3. S. Stephanus teſte Cypriano Epiſt. 43b
73 ad Jubaj. non ſolum baptizatos a Marcione noluit rebaptizari, eoquod in nomine JEſu Chriſti baptizati viderentur, ſed ut refertur in Actis Paſſionis ejus, ipſemet in Crypta Nepotiana frequenter in nomine Chriſti baptizavit. Conf. S. Baſi-

Basilius Lib. 5 adverſ. Eunom. cap. 3 ait, Petrum dixiſſe: baptizetur unusquisque in nomine JEſu: *Eoquod Filius in lavacro regenerationis idem poſſit efficere, quæ Pater & Spiritus Sanctus efficiunt.* Reſp. An S. Cyprianus locutus ſit de S. Stephano incertum eſt; ait enim tantum: *Quidam dicunt*, neque inter illos fuit controverſia de forma baptiſmi, ſed de fide miniſtri: econtra Firmilianus teſtatur Stephanum baptizaſſe in nomine totius Trinitatis, idem de ipſo refert Baronius ad annum Chriſti 259 num. 23; quare S. Stephanus ad ſummum docuit, quod non debeant rebaptizari, qui in nomine, id eſt, fide & auctoritate Chriſti baptizati fuerunt. Ad Conf. S. Baſilius ſolum voluit oſtendere, quod omnium Perſonarum operatio & auctoritas ſit eadem, quod autem quælibet in forma baptiſmi invocari debeat, in eodem loco aperte docet, ut facile patebit legenti contextum.

QUÆSTIO IV.

Quis ſit miniſter Baptiſmi?

432 Miniſter ordinarius baptiſmi & principalis eſt Epiſcopus, dein Presbyteri habentes jurisdictionem aut commiſſionem, denique ex delegatione & juſta cauſa Diaconus, quibus omnibus licet baptiſmum ſolemniter adminiſtrare, non item Clericis minoribus aut laicis, quamvis in neceſſitate etiam valide, & licite baptizent. Communiſſimæ huic Catholicorum opinioni ſe opponit Calvinus Lib. 4 Inſtit. cap. 15, ubi fatetur, multis abhinc ſæculis, atque ab ipſo fere exordio Eccleſiæ eſſe receptum, ut in periculo mortis laici baptizent, nihilominus negat, id poſſe ulla ratione defendi. Utrum autem velit baptiſmum a laico collatum eſſe tantum

tantum illicitum, an omnino invalidum, non satis explicat. Ecclesia Angelicana teste Georgio Abbate de Circumcis. illum tantum judicat esse illicitum, Vossius autem & Chamierius contendunt, baptismum a Gentili collatum invalidum esse.

Dicendum. In casu necessitatis etiam laicus, 433
mulier, & paganus absque solemni ritu valide & licite baptizat. Prob. Concilium Lateranense IV cap. firmiter de Summa Trinit. statuit: *Sacramentum Baptismi a quocunque rite collatum proficit ad salutem.* Florentinum in decret. ad Armen. *In casu necessitatis etiam laicus vel mulier, imo & paganus ac hæreticus baptizare potest.* Idem de laicis Christianis docuit Gelasius Papa in Epist. ad Episcop. Lucan. de mulieribus, Urbanus II in Epist. ad Vital. de paganis, Isidorus Can. Romanus 23. de Consecr. Dist. 4. & Nicolaus I Can. a quodam Judæo 24. Eadem Dist. S. Augustinus licet videatur aliquando dubitasse, an paganus valide possit baptizare, nihilominus Lib. 7 de baptis. cap. 53 generatim affirmat, *Valere baptismum, ubicunque & a quocunque Evangelicis verbis collatus fuerit.* S. Hieronymus in Dialog. contra Lucifer. inquit, *Baptizare, si necessitas cogat, scimus etiam licere laicis.* Idem docet antiquissimus usus & praxis Ecclesiæ. Ratio est, quia baptismus est medium ad salutem summopere necessarium, ut adeo a benignitate Dei, qui neminem vult perire, non sit præsumendum, quod hominem in extrema necessitate hoc Sacramento privare velit, a quocunque possit illud acquirere; hinc ritualia & pastoralia passim monent, infantem in vitæ discrimine a quolibet baptizandum esse.

Dices 1. Christus solis Apostolis & Discipulis 434
dedit potestatem baptizandi, eamque cum potestate prædicandi conjunxit: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos*, Matth. 28 v. 19: ergo nullus alius

poteſt valide baptizare. Conf. Solemnitas baptiſmi eſt Sacramento tantum extrinſeca, & juris Eccleſiaſtici: ergo abſurdum eſt dicere, laicos poſſe baptizare, ſed non ſolemniter. Reſp. Diſt. Ant. Chriſtus ſolis Apoſtolis & Diſcipulis dedit poteſtatem baptizandi ex officio & ſolemniter, Conc. Ant. baptizandi ex neceſſitate & non ſolemniter, Neg. Ant. quoad hoc membrum, & Diſt. etiam quoad alterum, poteſtatem baptizandi conjunxit cum poteſtate prædicandi, quaſi prædicatio pertineat ad eſſentiam baptiſmi, Neg. Ant. in quantum apud adultos prævie requiritur, Conc. Ant. & Neg. Conſ. Imprimis citata verba Scripturæ videntur dicta in die aſcenſionis, ubi præter Apoſtolos multi aderant. Dein non ſolum S. Stephanus Levita, & Philippus Diaconus baptizaſſe dicuntur, ſed etiam Ananias, qui tunc probabilius adhuc fuit laicus. Ad Conf Conc. Ant. Neg. Conſ. Solemnitates non quidem pertinent ad eſſentiam Baptiſmi, ſunt tamen ceremoniæ ſacræ, quarum adminiſtratio laicis non competit; alias nullum amplius foret diſcrimen inter miniſtrum ordinarium, & extraordinarium.

435 Dices 2. S. Gregorius Lib. 1 Epiſt. cap. 33 Patricium Romanum Italiæ Exarchum rogat, ut dimittat Hortenſem Epiſcopum Blondum, *Ne Eccleſia ſine rectore, & populus quaſi ſine Paſtore diffluat, & infantes absque baptiſmate moriantur*: ergo. Conf. S. Auguſtinus Lib. 2 contra Parmen. cap. 13 ait: *Si laicus neceſſitate compulſus baptiſmum dederit, neſcio an quisquam dixerit repetendum; nulla enim cogente neceſſitate, ſi fiat, alieni muneris uſurpatio eſt, ſi autem neceſſitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum eſt.* Reſp. Hæc a S. Gregorio ſcripta fuiſſe, quando propter celebritatem Paſchæ & Pentecoſtes ſoli Epiſcopi ſolemniter baptiſmum adminiſtrabant, laici vero ex ſpe ſanitatis non raro illum diu differebant,

bant, unde facile potuisset contingere, ut absente Episcopo populus, qui ad baptismum confluxerat, iterum dilaberetur, & baptismus infantium differretur cum magno periculo, ne dein sine baptismate obirent. Ad Conf. Priora verba S. Augustini nullam negationem aut dubitationem, sed potius assertionem continent; posteriora solum volunt, esse peccatum veniale, si laici non omnem adhibeant diligentiam, ut Sacerdotem inveniant, qui baptismum administret.

Dices 3. Concilium Car haginense IV Can. 100436 expresse statuit: *Mulier baptizare non præsumat.* Consentiunt passim SS. Patres nominatim Chrysostomus, Epiphanius, & Tertullianus apud Auct. Rei Sacrament. Lib. 2 q. 8 cap. 12: ergo. Conf. Teste Thoma a JEsu, & Vanslebio, Copitæ seu Ægyptii pro invalido habent omnem baptismum, qui non confertur a Presbytero, idque dicunt se habere ex antiquis Canonibus. Resp. Conc. Ant. Dist. Conf. ergo mulieres non possunt baptizare solemniter, sine necessitate, & si virorum peritorum adsit copia, Conc. Conf. aliter, Neg. Conf. Concilium Carthaginense Can. 99 præmisit: *Mulier quamvis docta & sancta viros in conventu docere non præsumat*, quæ eadem exceptio *in conventu*, id est, publice in Ecclesia rursus Can. 100 intelligi debet. Simili modo Patres solum debent accipi de baptismo solemni, & abs necessitate; perstringunt enim mulieres, quæ Divinis Officiis se temere ingerere volebant. Ad Conf. Testimonium istorum Auctorum non est magni ponderis præsertim in iis, quæ ad Orientalis Ecclesiæ disciplinam pertinent, quam vix mediocriter attigerunt, & si verum esset, solum probaret, abusum hunc in quasdam Ecclesias particulares irrepsisse, neque enim earum Canones ab ullo Concilio sunt editi, aut legitima auctoritate approbati.

Dices

437 Dices 4. Gregorius IX Epist. ult. ad Bonif. jubet iterum baptizari eos, qui fuerant a paganis baptizati, ut refertur Can. 52. quos a paganis de Consecr. dist. 4: ergo saltem baptismus a paganis datus non valet. Conf. Concilium Eliberitanum Can. 38. statuit, posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum catechumenum: ergo. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Gregorius solum loquitur de paganis, qui in baptismo formam a Christo præscriptam non observaverant, hinc ait: *Si ita est, denuo baptizes in nomine Trinitatis.* Ad Conf. dico, Concilium Eliberitanum loqui de casu, ubi plures adsunt laici, qui morienti catechumeno subvenire possunt, in hoc casu statuit, illum esse seligendum, qui fidelis est, nec inter pœnitentes aut bigamos numeratur. Porro quando S. Hieronymus Dialog. contra Lucif. ait: *Novam rem esse, ut Christianus quisquam factus sit ab eo, qui non fuit Christianus.* Nomine Christiani intelligit, qui veram & Catholicam fidem habet. Quæ vero de baptismo hæreticorum addi possent, fuse discussa sunt part. 1. disp. 3. q. 2.

QUÆSTIO V.

Quodnam sit subjectum Baptismi?

438 Sicut omnes filii Adæ generatione carnali contrahunt originalem reatum, sic omnes sunt subjectum baptismi; cum ad hunc ipsum reatum extinguendum fuerit institutus. Nihilominus ante usum rationis parvulos baptizari posse negant Henriciani, Petrobrusiani, Cathari, Valdenses ac præsertim Anabaptistæ, imo quidam cum Michaele Serveto contendunt, baptismum non debere suscipi ante annum 30 ætatis, quo Christus baptizatus est. Econtra Erasmus jubet, ut parvuli, quando adoleverint,

inter-

interrogentur, an ratum habeant, quod ipſorum nomine in baptiſmo promiſſum eſt, & ſi ratum habere noluerint, libere dimittantur. Errores iſtos Concilium Tridentinum Seſſ. 7 triplici damnavit anathemate, Can. 12: *Si quis dixerit neminem eſſe baptizandum, niſi ea ætate, qua Chriſtus baptizatus eſt, anathema ſit.* Can. 13: *Si quis dixerit parvulos -- cum ad annos diſcretionis pervenerint, eſſe rebaptizandos, anathema ſit.* Cap. 14: *Si quis dixerit parvulos baptizatos, dum adoleverint, interrogandos eſſe, an ratum habere velint, quod Patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti ſunt, anathema ſit.*

Dicendum. Parvuli ante uſum rationis valide 439
& recte baptizantur. Prob. 1. Sicut Deus Geneſ. 17 v. 10 Hebræorum puerorum circumciſionem mandavit, ita Joann. 3 v. 5 omnibus hominibus præſcripſit baptiſmum: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei.* Cum enim voluerit omnes homines ſalvos fieri, omnibus dedit remedium, quo a peccato originali liberari, & ad cœlum pervenire valeant; hinc diſcipulis increpantibus eos, qui Chriſto parvulos offerebant, Matth. 19 v. 14 dixit: *Nolite eos prohibere ad me venire; talium enim eſt regnum cœlorum.* Apoſtoli quoque leguntur aliquoties baptizaſſe integras domus & familias, in quibus etiam parvuli comprehenduntur. Prob. 2 ex perpetua praxi & traditione Eccleſiæ, quam nobis manifeſtant Concilia, Carthaginenſe anno 253, Milevitanum anno 416, Gerundenſe anno 517, Bracharenſe anno 578, & unanimis conſenſus Patrum. S. Dionyſius de Eccleſ. Hierarch. cap. ult. & S. Chryſoſtomus Homil. ad Neoph. expreſſe ajunt, hoc ab Apoſtolis eſſe traditum. S. Auguſtinus Serm. 10 de verbis Apoſt. ita ſcribit: *Eccleſia ſemper habuit, ſemper tenuit, hoc a majorum fide percepit, hoc usque*

in

in finem perseveranter custodit, ut nempe infántes baptizentur, quæ traditio si ætate S. Augustini ambigua fuisset, profecto illam nunquam admisissent Pelagiani, quos petitis a baptismate parvulorum argumentis plurimum exagitavit.

Objectiones.

440 Obj. 1. In S. Scriptura de pædobaptismo nullum habetur mandatum aut exemplum; sed qui baptizantur, prius debent doceri: *Euntes docete omnes, baptizantes eos*, Matth. 28 v. 19; parvuli autem, quos Christo oblatos esse diximus, jam fuerunt rationis capaces: ergo. Conf. Marc. ult. v. 16 ait Christus: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit:* ergo doctrina & fides debent baptismum præcedere; infidelis enim illius non est capax. Resp. Neg. Ant. Quando Christus jussit, ut baptizandi prius doceantur, id intellexit de adultis & rationis capacibus, quales non fuerunt parvuli Christo oblati, ut colligitur ex textu Græco, in quo a S. Luca vocantur infantes; hinc ad Christum a parentibus afferri debuerunt. Quodsi nullum mandatum aut exemplum in Scriptura haberetur, id satis doceret perpetua traditio & praxis Ecclesiæ. Ad Conf. eadem est responsio; nam etiam Marc. ult. Christus misit discipulos ad gentes, quæ utique ante baptismum docendæ erant. Porro licet infideles positive tales, qui positivo infidelitatis actu aut habitu laborant, non sint capaces baptismi saltem quoad effectum, aliud tamen est de infidelibus negative talibus, in quibus fidem actualem suo modo supplet fides Ecclesiæ.

441 Dices 1. Scriptura illos, qui non credunt, excludit a baptismo; nam Act. 8 v. 36. Evnucho petenti baptismum Philippus respondit v. 37: *Si credis ex toto*

toto corde, licet. Apostolus quoque 1 ad Cor. 1. v. 14. gloriatur, quod neminem baptizaverit præter Cajum & Crispum. Conf. Act. 2 v. 38 dicitur: Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum; sed infantes non possunt agere pœnitentiam, neque ulla est ratio, cur dispositio prævia potius requiratur in adulto, quam infante, aut hic admittatur ad baptismum non vero ad Eucharistiam. Resp. Dist. Ant. qui non credunt, excludit a baptismo, si sint rationis capaces, Conc. Ant. secus, Neg. Ant. & Conf. S Paulus addit, quod etiam baptizaverit Stephanæ domum, neque ait, quod alibi non baptizaverit plures. Ad Conf. redit data responsio. Quia pœnitentia proprie tantum agi potest ab illis, qui personaliter peccaverunt, si cum proprio voluntatis motu a Deo se averterint, convenientissime ab illis exigitur, ut proprio motu se rursus ad Deum convertant. Eucharistia vero tanquam spirituale nutrimentum animæ ordinatur ad reparandas vires infractas per quotidianos lapsus, a quibus infantes sunt immunes, quamquam nihilominus longo sæculorum tractu Ecclesia etiam infantibus Eucharistiam porrexerit.

Dices 2. S. Gregorius Naz. in serm. de Baptis. 442
optat differri baptismum pueri, donec de fide sua possit respondere. Idem docet Tertullianus cap. 18 de baptismo. Consentit praxis Ecclesiæ antiquæ, in qua baptismus sæpe usque in adultam ætatem differebatur. Sic S. Ambrosius paucis ante ordinationem suam diebus, & Christus primum anno ætatis suæ 30 baptizatus est. Conf. S. Hieronymus in fine comment. in Matth. ait: *Non potest fieri, ut corpus baptismi recipiat Sacramentum, nisi ante omnia fidei receperit veritatem.* Resp. S. Gregorius expresse excipit periculum mortis, & Tertullianus casum necessi-

necessitatis, praxis vero differendi baptismum nitebatur variis motivis; aliqui id faciebant, ut voluptatibus securius possint indulgere, timentes pœnarum Canonicarum severitatem, alii ut ad gratiam baptismalem se longiore exercitio bonorum operum præpararent. Priores semper reprobavit Ecclesia, nec posteriorum laudavit consilium, sed semper fuere Patres, qui reclamarent. Porro Christus non indiguit baptismo; hinc illum tunc voluit suscipere, cum suam prædicationem auspicatus est. Ad Conf. dico, S. Hieronymum loqui de infidelibus, & quidem adultis; nam parvuli proprie non sunt infideles, nisi negative.

443 Obj. 2. Baptismus est fidei potestatio, depositio peccatorum, renovatio Spiritus Sancti, & stipulatio bonæ conscientiæ; sed hæc non conveniunt infantibus; alias possent dici fideles: ergo. Conf. Apostolus ad Hebr. 10 v. 22 definit baptismum, quod sit ablutio corporis in certitudine fidei. Et act. 22 v. 16 vocatur mortificatio & ablutio cum invocatione nominis JEsu: ergo. Resp. Conc. Maj. Neg. min. Parvuli, dum baptizantur, ipso facto profitentur fidem, deponunt peccatum originale, renovantur per gratiam Spiritus Sancti, & bonam conscientiam quasi fundamentaliter stipulantur, facturi id formaliter, cum adoleverint, quamquam hæc stipulatio non sit ipse baptismus, sed ejus effectus, merito itaque vocantur fideles tum propter fidem habitualem, quam per baptismum recipiunt, tum propter fidem actualem, quam illis eorum sponsores nomine Ecclesiæ accommodant, ut advertit S. Augustinus Serm. 14 de verb. Apost. Ad Conf. Neg. Ant. His locis non definitur baptismus, sed tantum docetur, quod adultus, qui vult accedere ad Deum, debeat habere plenam fidem, conscientiam bonam & voluntatem

a vitiis alienam, ac per baptiſmum ablui. Porro invocationem nominis JEſu non eſſe neceſſariam aliunde conſtat.

Dices 1. Qui vult Chriſtianus fieri, debet in- 444
duere Chriſtum; atqui ad Chriſtum nemo debet vocari, qui non poteſt a S. Joanne præparari; alias eſſent baptizandi infantes, in utero materno adhuc plene incluſi. Conf. Chriſti ſymbola ſunt inſtituta ad illius prædicationem & commemorationem: ergo non pro infantibus Reſp. Conc Maj. Diſt. min. ad Chriſtum nemo debet vocari, qui non poteſt præparari, ſi aliqua præparatione indigeat, Conc. min. ſecus, Neg min. Parvuli per ipſum baptiſmum induunt Chriſtum, eique conſepeliuntur: *Sicut enim per inobedientiam unius peccatores conſtituti ſunt multi, ita per obedientiam unius juſti conſtituentur multi*, ad Rom. 5 v. 19 Ad ſequelam additam dicunt aliqui apud Tournelyum quæſt. 3. art. 8, ſi infans ex utero materno ope alicujus inſtrumenti ita poſſit extrahi, ut aqua ad illum deferri queat, inſtante periculo mortis eſſe baptizandum, ſi autem poſtea foras prodeat, iterum ſub conditione debere rebaptizari; nam, inquiunt, infans in utero incluſus nondum proprie eſt natus adeoque adhuc videtur incapax ſanctificationis; cum nemo poſſit renaſci, niſi prius natus fuerit, ut advertit S. Auguſtinus Lib. de peccat. merit. cap. 27. Ad Conf. dico etiam infantes commemorare & prædicare Chriſtum; nam dum merguntur in aquam commemorant Chriſti mortem & ſepulturam, dum extrahuntur, commemorant ejus reſurrectionem.

Dices 2. Reprobi non ſunt baptizandi; ſed 445
multi parvuli ſunt reprobi: ergo non ſunt baptizandi, præſertim quia alias inviti coguntur ad fidem Chriſtianam, & ignorantibus grave jugum imponitur. Conf. Nemo auderet baptizare adul-

tum cæcum, ſurdum & mutum: ergo multo minus infantem. Reſp. Neg. Maj. Alias neque adultos baptizare liceret, cum etiam inter illos dentur reprobi, quos a prædeſtinatis diſcernere neſcimus. Porro parvuli, cum nullum habeant uſum rationis, & nec velle, nec nolle poſſint, ad fidem non coguntur inviti; jugum vero, quod illis imponitur, ipſe Chriſtus dicit eſſe ſuave, dumque illi ſubjiciuntur, optime proſpicitur illorum ſaluti, ut adeo potius inhumanum & crudele foret, ſi infantibus illud Divinum remedium negaretur, ſine quo ſi mortem temporalem ſubirent, ſimul incurrerent mortem æternam. Ad Conf dico. Si talis adultus deſiderium baptiſmi poſſet ſatis indicare, aut ſaltem antea indicaſſet, omnino deberet baptizari. Interim adulti, qui uſum rationis habent, non baptizantur, niſi conſentiant, eoquod alias facile Sacramento obicem ponere poſſent.

QUÆSTIO VI.

Quinam ſint effectus Baptiſmi?

446 Effectus præcipui, quos baptiſmus rite ſuſceptus ex opere operato cauſat, ſunt 1. gratia ſanctificans. 2. character quidam indelebilis, vi cujus in membra Eccleſiæ Chriſtianæ cooptamur, & janua ad cætera Sacramenta percipienda aperitur. 3. Remiſſio non tantum omnis culpæ, ſed etiam omnis pœnæ temporalis. Primus & ſecundus effectus conſtat ex dictis de Sacramentis in genere, tertius probatur ex Decreto Unionis Concilii Florentini, ubi dicitur: *Poſt baptiſmum morientes, antequam novam culpam committant, ſtatim ad regnum cœlorum & Dei viſionem perveniunt.* *Ita*, addit Tridentinum Seſſ. 5. cap. 5, *ut nihil prorſus ab ingreſſu cœli eos remoretur.*

tur. Idem insinuat Scriptura variis in locis. *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo JEsu*, ad Rom. 8 v. 1. *Christus mundavit Ecclesiam lavacro aquæ in verbo vitæ*, ad Ephes. 5. v. 26. Consentiunt SS. Patres Clemens Alexandr. Gregorius Naz. & Nyss. Hieronymus, Augustinus apud Tournelyum quæst. 4 art. 1. Ratio est, quia baptismus est Sacramentum regenerationis & imitatio mortis ac resurrectionis Christi; hinc passio & mors Christi per illum plenius nobis applicatur quam per alia Sacramenta.

Ex his contra Melanchtonem, Calvinum, Bezam 447
patet, multiplex esse discrimen inter baptismum Christi, & baptismum Joannis; nam 1 Baptismus Joannis non fuit verum Sacramentum; duravit enim brevissimo tempore, nec unquam ab Ecclesia inter Sacramenta novæ legis numeratus est; lex autem vetus tantum fuit usque ad Joannem, ut Luc. 16 v. 16. habetur. 2. Non habuit Christum auctorem; hinc nunquam in Scriptura appellatur baptismus Christi, aut simpliciter baptismus, sed cum addito Joannis. 3. Non habuit eandem cum baptismo Christi formam, imo incertum est, an Joannes inter baptizandum aliqua verborum formula usus sit. 4 Ex opere operato nec gratiam sanctificantem, nec aliquem characterem, multo minus plenam peccatorum remissionem causavit. Quare Joannes Matth. 3 v. 11 dixit: *Ego quidem baptizo vos aqua in pœnitentiam, qui autem post me venturus est, ipse vos baptizabit in Spiritu & Igne.* Paulus vero Act. 19 v. 5 quosdam discipulos Ephesi, qui dicebant se baptismo Joannis baptizatos fuisse, rursus baptismo Christi rebaptizavit. Denique Concilium Tridentinum Sess. 7. Can. 1. anathemate ferit asserentes: *Baptismum Joannis habuisse eandem virtutem cum baptismo Christi.*

448 Neque obstat, quod Marci 1 v. 4 legatur: *Fuit Joannes in deserto baptizans & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum* Quam virtutem baptismo Joannis etiam videntur adscribere SS. Cyrillus Hierosol. Optatus, Augustinus, Petrus Chrysol. & Basilius apud Tourel. quæst. 1 art. 5; quippe per baptismum Joannis peccata non fuerunt remissa ex opere operato sed tantum ex opere operantis, & virtute pœnitentiæ, adeoque tantum fuit in remissionem futuram per Christum, ad quem digne suscipiendum præcursor populum ad pœnitentiam excitabat. Nec plus volunt SS. Patres. Sic Petrus Chrysologus Serm. 137 ait: *Per baptismum Joannis homo purificabatur ad pœnitentiam, non promovebatur ad gratiam.* S. Augustinus Lib. 9 de baptis. cap. 10: *Si baptismo Joannis peccata dimittebantur, quid amplius potuit præstare baptisma Christi iis, quos Apostolus Paulus post baptismum Joannis Christi baptismo voluit baptizari?* S. Basilius Orat. de baptis. tria distinguit baptismata, unum Moysis, alterum Joannis, tertium Christi, primum dicit tantum causasse munditiem legalem, alterum prænunciasse remissionem peccatorum quamprimum futuram, tertium illam actu contulisse.

449 Longe alios effectus baptismo Christi adscribunt hæretici; nam Jovinianus voluit hominem vere baptizatum non amplius peccare, quem errorem aliqua ex parte restauravit Calvinus in antidoto Concilii Tridentini, ubi ait, baptismo tanquam Chirographo Dei nos certos reddi de perpetua adoptionis gratia. Alii apud S. Augustinum Lib. 21 de civit. cap. 25 dixere, baptizatos non posse damnari, etsi perdidissime viverent, modo ab Ecclesia Catholica non recedant, quod etiam docuit Lutherus Lib. de captiv. Babil. cap. de baptis. Addunt moderni novatores, quod baptismus libe-

ret ab obedientia legum & omnibus votis. Verum quam absurda S. Scripturæ, sanæ rationi, & experientiæ contraria hæc sint, nemo non videt; si enim baptismus redderet homines impeccabiles cur Apostolus ad Rom. 11 v. 10 tam solicite moneret: *Tu fide stas, noli altum sapere, sed time.* Qu modo 1 ad Timoth 1 v. 19 scribere potuisset, quosdam circa fidem naufragasse? An non ipsa experientia docet, etiam inter baptizatos multos dari sceleratos, nec paucos apostatas, sicut legimus de Simone Mago, qui licet baptizatus fuerit, misere periit.

At dicet Lutherus, modo in fide stetisset, aut 450
ad illam rediisset, nunquam fuisset damnatus. Contra est, quia Apostolus ad Rom 8. v. 13 omnibus etiam fidelibus minatur: *Si secundum carnem vixeritis, moriemini.* Et 1 ad Cor 6. v. 9. ad baptizatos scribit: *Nolite errare, neque fornicarii, neque fures, neque adulteri &c. regnum Dei possidebunt.* Quibus verbis damnationem manifeste non adscribit defectui fidei, sed aliis peccatis. Profecto si novatorum doctrina subsisteret, homini panderet viam ad omnia scelera; quare Concilium Tridentinum Sess. 7 justissime anathema dixit Can. 6 illi, *Qui dixerit baptizatum non posse, etiamsi velit, gratiam amittere, quantumcunque peccet, nisi etiam nolit credere.* Can. 7: *Qui dixerit baptizatos per baptismum solius fidei debitores fieri, non autem universæ legis Christi servandæ.* Can. 8: *Qui dixerit, baptizatos liberos esse ab omnibus Ecclesiæ præceptis, nisi se sua sponte illis submittere velint.* Can 9: *Qui dixerit vota omnia, quæ post baptismum fiunt, vi promissionis in baptismo ipso jam factæ irrita esse.* Can 10: *Qui dixerit peccata omnia, quæ post baptismum fiunt, sola recordatione & fide suscepti baptismi vel dimitti vel venialia fieri.*

QUÆSTIO VII.

An & quomodo baptismus sit necessarius?

451 Pelagius cum negaret peccatum originale, asseruit baptismum tantum esse necessarium ad consecutionem regni cœlorum. Moderni Sectarii multo sunt audaciores; nam Sociniani ajunt, Christum illis verbis apud Matth. 28. v. 19.: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*, vel omnino baptismum non præcepisse, vel duntaxat illis, qui a Judaismo vel Paganismo ad Christianam Religionem convertuntur. Alii licet concedant, omnes ex præcepto Divino ad baptismum obligari, negant tamen, eundem esse necessarium necessitate medii. Sic docuerunt Wiclefus, Zwinglius, Bucerus, Bullingerus, & Calvinus, qui tamen suam doctrinam restringit ad parvulos fidelium, quos putat sine baptismo esse sanctos & salvari posse. Quin etiam Cajetanus dicere ausus est, parvulos Christianorum sine baptismo posse salutem consequi per vota & preces parentum, maxime si adhibeant aliquod signum exterius, quo se votum suum parvulis applicare contestentur. Verum hæc sententia jussu Pii V ex operibus Cajetani expungi debuit, & ab auctoribus variis censuris fuit perstricta.

452 Dicendum. Secluso casu Martyrii Sacramentum baptismi in re vel in voto est omnibus etiam infantibus necessitate medii necessarium ad remissionem peccatorum, & vitam æternam consequendam. Prob. Illud est necessarium necessitate medii ad aliquem effectum, quod est medium per se ordinatum, & ita indispensabiliter ad eundem effectum requisitum, ut eo etiam inculpabiliter omisso effectus absolute non possit obtineri; atqui baptismus est

est medium per se ordinatum, simulque ita necessarium ad remissionem peccatorum & vitam æternam consequendam, ut eo etiam inculpabiliter omisso isti effectus absolute non possint obtineri: ergo. Minor quoad 1 membrum patet ex Scriptura. *Mundans lavacro aquæ in verbo vitæ*, ad Ephes. 5 v. 26. *Salvos nos fecit per lavacrum generationis*, ad Tit 3 v. 5 Quoad 2 membrum probatur ex effato Christi Joann. 3. v. 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Quia nempe. ut mox v. 6 additur, *quod natum est ex carne caro est; hinc oportet vos renasci denuo.* Ubi vides sententiam Christi esse absolutam & universalem sine distinctione inter parvulos & adultos, inter infantes a fidelibus & infidelibus progenitos; hinc Ecclesia semper maxime fuit solicita, ne infantes sine regenerationis lavacro decederent, & omnibus etiam mulieribus dedit potestatem in necessitate baptizandi; sine baptismo autem defunctos, non credidit ad Ecclesiam pertinere; imo nequidem ad sepulturam sacram admisit.

Prob. 2 Auctoritate SS. Patrum ferme om- 453
nium apud Bellarmin. de Baptis. cap. 4. Audiamus omnium loco S. Augustinum, hic Lib. 3. de orig. animæ cap 9. inquit: *Nolli credere, nec dicere, nec docere, infantes, antequam baptizantur, morte præventos pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus.* Et Epist 166.: *Propterea cum baptizandis parvulis festinatur, & curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo vivificari non posse.* Idem tradunt Summi Pontifices Siricius Epist 1. ad Himer. Innocentius I Epist. 26 ad Concil. Milevit. Leo I Epist. 80 ad Episc. Campan. Gregorius Magnus Lib. 7 Epist. 53. ubi Secundino ad quæstionem de infantibus sine baptismo obeuntibus respondet: *Illud incertum non est, quia nisi sacri bapti-*

baptismatis gratia fuerit renatus homo, omnis anima peccati originalis vinculis est adstricta. Idem denique statuere Concilia Milevitanum II, Carthaginense II, Bracharense III Florentinum in decredo fidei inquit: *Nisi ex aqua & Spiritu renascimur, non possumus, inquit veritas, in regnum cœlorum introire.* Tridentinum Sess. 7 Can 5: *Si quis dixerit baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, anathema sit* Et Sess. 6 cap. 4: *Justificationem impii sine lavacro regenerationis in re vel in voto fieri non posse.*

454 Dixi 1, Baptismum esse necessarium in re vel in voto, quia in adultis suppleri potest per actum perfectæ charitatis, quando in re haberi nequit juxta ilud: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, & ego diligam illum*, Joann. 14. v. 21. Dixi 2, secluso casu Martyrii; nam etiam per Martyrium justificationem & salutem obtineri posse passim docent SS. Patres suffragante Scriptura: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*, Matth. 10 v. 32 & 39 *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Ex quibus verbis S. Augustinus Lib. 13 de Civit. cap. 7 recte arguit: *Qui dixit, nisi quis renatus fuerit ex aqua, idem & generaliter dixit, qui me confessus fuerit &c* Prodest Martyrium etiam infantibus pro Christo necatis, quoniam & ipsi possunt dici baptizati proprio sanguine; nam ipse Christus baptisma Martyrium nominavit: *Potestis baptismo, quo ego baptizor, baptizari*, Marc. 10 v. 38. Hinc baptismus in genere communiter dividitur in baptismum fluminis, flaminis & sanguinis, Ecclesia autem ab antiquissimis temporibus infantes Bethlehemiticos veneratur, pro illis autem, qui in ætate adulta Martyrium subierunt, nec preces, nec sacrificia offert, sed illis tantum suas coronas & triumphos gratulatur. Vid. etiam num. 24.

Obje-

Objectiones.

Obj. 1. Illud non est necessarium necessitate 455
medii, quod potest aliunde suppleri, & a quo excusat impotentia, & ignorantia invincibilis; atqui baptismus potest aliunde suppleri, & ab eo excusat ignorantia invincibilis, & impotentia; qui enim nihil unquam de baptismo audivisset, nec posset illum percipere, nec habere illius votum, tamen salvaretur, si Deum super omnia perfecta charitate diligeret. Conf. Sicut Joann. 3 v. 5 dicitur: *Nisi quis renatus fuerit &c.* sic Joann. 6 v. 54 habetur: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis . . non habebitis vitam in vobis*; quin ideo Eucharistia sit necessaria necessitate medii: ergo. Resp. Conc. Maj. Neg. min. Qui de baptismo nihil unquam audivisset, per invincibilem ignorantiam excusaretur quidem in tantum, ut omittendo baptismum non peccaret, at ideo non posset salvari sine baptismo saltem in voto implicito, quod in omni actu perfectæ contritionis includitur, quatenus perfecte diligens Deum, saltem implicite baptismum desiderat, tanquam medium ad perfectam conversionem & mutuam cum Deo amicitiam necessarium. Ad Conf. Neg. Conf. Verba priora ad denotandam necessitatem medii determinantur per contextum, eaque semper ita intellexit Ecclesia, non item verba posteriora, ut suo loco ostendetur.

Dices 1. In charitate perfecta non magis in- 456
cluditur votum suscipiendi baptismum, quam votum servandi quodlibet aliud mandatum grave, & tamen nemo dicit, quod observatio cujuslibet præcepti gravis sit necessaria necessitate medii: ergo. Conf. Quod est necessarium necessitate medii debet ipsa re percipi, ut patet in gratia sanctificante: ergo quia baptismus potest suppleri non est neces-

sarius necessitate medi, sicut in antiquo testamento non ita fuit necessaria circumcisio, quæ erat figura baptismi. Resp. Trans. Ant. Neg. Conf. Quia non quodlibet præceptum grave præscribit medium ex natura sua ordinatum & absolute requisitum ad acquirendam justificationem; hinc dicunt aliud esse, quod votum alicujus rei sit necessarium, aliud quod res sit necessaria in voto, prius significat voluntatem servandi rem præceptam esse necessariam, posterius ipsam rem esse necessariam saltem in voluntate & desiderio. Ad Conf. Dist. Ant. debet ipsa re percipi, si sit medium internum, ut gratia sanctificans, Conc. Ant. si sit medium tantum externum, ut Sacramenta, Neg. Ant. & Conf. Quod in lege antiqua præter circumcisionem suffecerit ad salutem remedium naturæ aliunde probatur; interim nihilominus absolute necessarium fuit aliquod remedium, neque figura debet in omnibus convenire cum figurato, alias de Isaac, qui fuit figura Christi, deberet posse dici, quod redemerit mundum.

457 Dices 2. Deus Genes. 17. v. 7. *Statuit pactum cum Abraham & semine ejus fœdere sempiterno.* Et hæc promissio ad Rom 4 & 11 etiam spectat ad filios parentum fidelium: ergo Deus filios fidelium adoptat in suos, & regni sui hæredes, adeoque eis peccatum originale condonat, antequam baptizentur. Conf. Apostolus 1 ad Cor. 7 v. 14 inquit: *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem, alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt:* ergo. Resp. Conc. Ant. quoad 1 membrum, Dist quoad 2. Hæc promissio spectat ad filios fidelium ratione nativitatis præcise corporalis, Neg. Ant. ratione nativitatis spiritualis per baptismum, Conc. Ant. Neg. Conf. Verba Scripturæ in sensu

litterali pertinent ad ſolos Judæos, & tantum continent promiſſionem ſpecialis protectionis & felicitatis temporalis. In ſenſu myſtico continent quidem promiſſionem remiſſionis peccatorum, ſed ut infantes hujus promiſſions participes fiant, debent per baptiſmum Eccleſiam fidelium ingredi, ſicut pueri Hebræorum debuerunt circumcidi, ut ſempiterni fœderis fiant participes. Ad Conf. Quæſtio inter Corinthios erat, utrum matrimonium fidelis cum infideli ſit legitimum, ad quam Apoſtolus reſpondit affirmative, idque probat ex eo, quia filii nihilominus non ſunt ſpurii, ſed ſancti & legitimi; unde ſermo non erat de munditia ſpirituali & ſanctitate vera, ac interna, ſed de civili & politica tantum.

Obj. 2. Antiqua Eccleſia non credidit bapti- 458
ſmum eſſe neceſſarium neceſſitate medii; nam 1. veteres illi Orientales & Africani, qui cum S. Cypriano contendebant, baptiſmum ab hæreticis collatum nullum eſſe, ideo baptizatos ab hæreticis non ſemper rebaptizabant, ſed putarunt hanc controverſiam tantum pertinere ad œconomiam. 2. S. Auguſtinus Lib. 4. contra Donat. cap. 22. exemplo boni latronis docet valere baptiſmum etiam ſine viſibili Sacramento, & addit: *Tunc impletur inviſibiliter, quando non contemptus Religionis, ſed articulus neceſſitatis eum excludit.* Reſp. Neg. Ant. Sicut exemplum iſtorum veterum & S. Cypriani non officit perpetuæ traditioni de valore baptiſmi ab hæreticis collati, ſic neque traditioni de ejus neceſſitate. Dein illi ſoli locuti ſunt de adultis ad Eccleſiam redeuntibus, in quibus dubitarunt, utrum defectus baptiſmi non poſſit ſuppleri per deſiderium & converſionem, & ideo iterationem œconomiæ cauſa omitti, quo non obſtante baptiſmum in re vel in voto abſolute neceſſarium eſſe crediderunt,

ut

ut patet ex Epist. 72 Cypriani ad S. Stephanum & 73 ad Jubaj. Similiter S. Augustinus loco objecto loquitur de baptismo adultorum, & ostendit bonum latronem ideo solum sine baptismo fluminis justificatum esse, quia baptismum fluminis habuit in iis circumstantiis, in quibus non voluntas, sed potentia baptismum suscipiendi defuit.

459 Dices 1. Ecclesia Occidentalis olim pro Catechumenis sine baptismo defunctis preces & sacrificia obtulit, ut colligitur ex oratione funebri S. Ambrosii pro Valentiniano Imperatore, ex Concilio Arelatensi II Can. 79, & Cathaginensi IV Can. 10. In Oriente vero Æthiopes dicuntur existimare, quod parvuli fidelium sanctificentur in utero matris; & Ægyptii baptismum infantium mortuorum supplent per sacras Unctiones & oblationes Sacrificii. Resp. Ecclesia Occidentalis tantum oravit pro defunctis Catechumenis adultis, qui potuerunt habere baptismum flaminis, non vero pro infantibus sine omni baptismo mortuis; quæ autem de Orientalibus narrantur, solum ex itinerariis quorundam ignobilium Scriptorum desumpta sunt, & contrarium testantur libri rituales, quos cum aliis Orientalibus communes habent. Præterea Æthiopes subjecti sunt Ecclesiæ Jacobitarum Alexandrinæ, quæ circa necessitatem baptismi certe nobiscum sentit: neque superstitiones, quas privati quidam Clerici forte in Ægypto ex ignorantia exercent, traditioni Ecclesiæ præjudicium afferre possunt.

460 Dices 2. Si ad evincendam necessitatem baptismi assumuntur testimonia Patrum, omnino sequitur, quod baptismus in re sit necessarius necessitate medii, ut colligitur ex S. Gregorio Naz. Orat. 4 in Baptis. Genadio Massil. Lib. de dogmat. Eccles. S. Fulgentio Epist. 12 &c. apud Tournelyum quæst. 2 art. 1. Conf. Primis 5 sæculis Catechu-

techumeni non baptizati fuerunt exclusi a sepultura Ecclesiastica. Resp. Neg. Ant. Quamvis antiquitus aliqui Patres fuerint tam rigidi, longe plures tamen cum SS. Cypriano, Ambrosio, Augustino, Bernardo &c. nostram tradidere sententiam; favet insuper nobis satis clare S. Scriptura, hinc Pius V, & Gregorius XIII damnarunt propositionem 31 Baji: *Charitas perfecta, quæ est ex corde puro & Conscientia bona, & fide non ficta in Catechumenis & pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum.* Quare qui ex Patribus contrarium sensisse videntur, vel deserendi sunt, vel mitius explicandi de iis, qui vel ex negligentia, vel omnino ex contemtu baptismum non perceperant. Ad Conf. Catechumeni in quibusdam Ecclesiis (non enim omnium hæc fuit disciplina) sepultura sacra privati sunt, quia dilatum nimis diu baptismum sua culpa non receperunt.

Obj. 3. Si ad justificationem sufficit baptismus 461
flaminis, infantes possunt salvari per fidem parentum, præsertim si hæc sit conjuncta cum actu charitatis: & parvulis per internam quamdam oblationem, aut etiam per signum externum applicetur; sicut enim parvuli per voluntatem alienam Adami peccarunt, sic decet, ut per fidem & charitatem alienam possint salvari. Conf. Quia alias innumeri parvuli sine sua culpa perirent. Resp. Neg. Ant. cum ratione addita Cum voluntas posterorum in ordine ad peccatum originale aligata fuerit voluntati Adami, hoc peccatum singulis fuit proprium, & suo modo intrinsecum: econtra fides & votum parentum parvulis sunt omnino extrinseca, neque ullum habetur sufficiens fundamentum, quod Deus illa pro fide & voto ipsorum parvulorum acceptet; imo contrarium nobis manifestat Scriptura & traditio; hinc sicut infantibus non noceret impietas parentum, quod ipsa dæmoniacis sacri-

ſacrilegiis obligarent, ita pietas parentum ipſis non prodeſt immediate ad ſalutem. Ad Conf. Imprimis parvuli non pereunt ſine omni ſua culpa videlicet originali, dein non pereunt ſine omni remedio, denique non puniuntur pœna ſenſus, ſed tantum privantur beatudiue, quæ eſt bonum prorſus indebitum. Taceo, quod plerique naſcantur ex parentibus infidelibus.

462 Dices 1. Infantes in lege naturæ, & ſcripta potuerunt ſalvari per fidem parentum: ergo etiam poſſunt ita ſalvari in lege gratiæ, in qua utique fides non eſt minoris virtutis. Conf. Quia alias parvuli in lege gratiæ eſſent longe deterioris conditionis, quam fuerunt in lege naturæ & Moyſis. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Quod parvuli non amplius ſalventur per fidem parentum, non provenit ex defectu virtutis in fide, ſed quia in lege gratiæ præcepto fidei additum eſt præceptum baptiſmi, & Deus nullum amplius vult ſanctificari niſi vel per Sacramenta, vel per proprios actus voluntatis. Quemadmodum igitur lex moralis in viro Religioſo non eſt minoris efficaciæ quam in ſæculari, licet Religioſus non poſſit ſalvari, niſi ſimul obſervet Conſilia Evangelica, ſic fides noſtra non eſt minoris efficaciæ, licet ad baptiſmi neceſſitatem obſtricta fuerit, ut advertit Tertullianus Lib. de baptiſ. cap. 13. Ad Conf. Neg. Ant. Felicitas alicujus ſtatus aut Religionis non debet deſumi ex commodo & incommodo tantum aliquorum, aut alicujus rei in particulari. Dein baptiſmus parvulis facile poteſt adminiſtrari, & fide Chriſtiana per totum orbem diffuſa plures illum recipiunt. 2. Baptiſmus gratiam confert ex ſe, quin ſalus parvuli amplius dependeat a fide aut probitate miniſtri. 3. Gratia per baptiſmum obtenta eſt longe uberior, ac ſine mora ad cœlum perducere poteſt.

Dices

Dices 2. Innocentius I cap. *Majores* 3 de baptiſ. 463
arguit, ſi baptiſmus tantum poſſet conferri adultis, fore minoris effectus, quam circumciſionem: ergo etiam eſſet minoris virtutis, ſi in caſu neceſſitatis non poſſet ſuppleri per aliud remedium. Conf. Quia etiam in lege nova fides parentum prodeſt parvulis in Sacramento; nam S. Auguſtinus Epiſt. 98 ad Bonifac. ait: *Ut poſſit regenerari parvulus per officium voluntatis alienæ, cum offertur conſecrandus, hoc facit unus Spiritus, ex quo regeneratur oblatus.* Et S. Bernard. Epiſt. 77: *Dignum eſt, & ad Dei ſpectat benignitatem, ut quibus fidem ætas denegat propriam, gratia prodeſſe concedat alienam.* Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Pontifex in hoc capitulo ſolum vult probare, quod parvuli utiliter baptizentur; interim quamvis effectus eſſet minor, ſi ad pauciores ſe extenderet, ideo non probatur defectus virtutis in baptiſmo, quia nullo alio modo poteſt ſuppleri, nec operari tunc, quando non datur. Ad Conf. Neg. Ant. In baptiſmo fides parentum non ita prodeſt parvulis, ut per illam juſtificentur, ſed juſtificatio confertur per ipſum baptiſmum, idque etſi parentes de eo nihil ſciant, vel ſint infideles & omnino inviti. Quare S. Auguſtinus & Bernardus ſolum volunt, in parvulis dum baptizantur, non requiri fidem actualem, ſed illam ex ſingulari Dei benignitate ſuppleri per fidem Eccleſiæ & parentum, qua hi moventur, ut infantes ſuos miniſtris Eccleſiæ baptizandos offerant.

QUÆSIO VIII.

An Deus ſaltem ex ſpeciali clementia quandoque ob vota parentum in parvulis defectum baptiſmi ſuppleat?

Auctores quidam Catholici, quamvis nobiscum 464
doceant, quod parvuli etiam parentum fidelium

ſine

ſine baptiſmo decedentes de lege ordinaria ſalvari nequeant, putant nihilominus Deum pro ſingulari ſua clementia quandoque ſupplere eſſentialem defectum materiæ, formæ &c. ſi quis in conferendo baptiſmo intercesſerit, vel etiam exaudire vota parentum pro ſalute infantium, qui ad baptiſmum non perveniunt, adeoque parentes exhortandos eſſe, ut pro ejusmodi parvulis apud Deum intercedant. Pro prima opinione citantur Altiſſiodorenſis, Alenſis, Sylveſter & Durandus; pro ſecunda Gerſon, Gabriel, Eckius, & S. Bonaventura in 4. diſt 3. 1 part. diſt. q. 2 art. 2 ad 2. Equidem quod Deus ex ſpeciali clementia & privilegio aliquem infantem ſine omni baptiſmo ſalvare poſſet, ſi vellet, neutiquam controverto, cum utique virtus Divina Sacramentis non ſit alligata, & Deus ſupremum ac liberrimum in omnes habeat dominium, quia autem hic quæritur de eo, quid Deus velit & actu faciat, cum communiſſima judico

465 Dicendum. Sine ſpeciali Dei revelatione de nullo infante dici, aut prudenter ſperari poſſe, quod Deus ex ſingulari privilegio defectum baptiſmi in illo ſuppleat. Prob Ex una parte ex Scriptura & traditione certo nobis conſtat, quod Deus univerſalem tulerit legem neminem ſine baptiſmo ſalvandi. *Niſi quis renatus fuerit &c.* Joann 3 v. 5. Ex altera parte neque ex ratione, neque ex Scriptura aut alia ſufficiente auctoritate poteſt colligi, quod Deus in hac ſua lege cum aliquibus velit diſpenſare, illisque ſingulare privilegium concedere: ergo tale privilegium ſine ſpeciali revelatione nec prudenter poteſt ſperari, nec aſſeri debet, ferme ſicut non poteſt aſſeri aut ſperari, quod Deus aliquos propter aliorum preces ex ſpeciali privilegio ſit liberaturus ex inferno. Conf. Quando

do Deus vult ſalvare aliquem adultum, omni inſtructione deſtitutum, potius debet dici, quod illi per ſpecialem providentiam impertiat donum fidei, quam quod illum velit ſalvare ſine fide: ergo etiam ſi Deus inuſitato modo vellet ſalvare aliquem parvulum, potius illi provideret de modo, quo baptizari poſſet, quam ut illum ſalvaret ſine baptismo.

Dices 1. Quando Scriptura, Patres & Concilia 466
docent baptismum eſſe neceſſarium neceſſitate medii, tantum loquuntur de lege ordinaria: ergo nihil obſtat, quo minus parvuli dicantur ſalvari ex ſpeciali privilegio. Conf. S. Bernardus Epiſt. 77 dubitat, an antiquæ legis Sacramenta non duraverint ultra promulgationem Evangelii, inter hæc autem videtur fuiſſe fides parentum pro parvulis. Reſp. Neg. Ant. Nam hoc ipſo, quod Scriptura, Patres & Concilia doceant Deum lege univerſali ſtatuiſſe, quod neminem ſine baptismo velit ſalvare, ſpeciale privilegium omnino gratis fingitur, cum nullus Patrum de eo faciat mentionem, imo id potius negent. Sic S. Auguſtinus Lib. 6 contra Julian. cap. 4 in occulta Dei judicia refundit, quod non nunquam parvulus piæ matris ad baptismum non perveniat, dum proles immundiſſimæ fœminæ illum acquirit. S. Proſper Carm. de ingrat. cap. 31 expreſſe ait: *Sanctis progenitoribus ortos nullo ſalvari ſtudio potuiſſe.* Ad Conf. Quod veteres leges ceremoniales non ſolum fuerint mortuæ, ſed diu jam factæ mortiferæ, dictum eſt in Tractatu de Legibus.

Dices 2. Quod ſententia Chriſti: *Niſi quis renatus fuerit &c.* non ſit univerſalis, ſed reſtringi 467
debeat, aliunde conſtat, alias baptismus ſanguinis & flaminis non poſſent ſupplere baptismum fluminis: ergo eadem ſententia poteſt reſtringi ad legem ordinariam. Conf. Quando Patres loquuntur de ne-

cessitate baptismi, fere semper solent loqui de baptismo fluminis: ergo. Resp. Transf. Ant. Neg. Conf. Quod baptismus fluminis possit suppleri per charitatem perfectam & Martyrium, habetur fundamentum ex ipsa Scriptura, & communi doctrina Patrum; at nullum simile fundamentum potest ostendi, ex quo eruatur, Deum ad vota parentum in lege sua dispensare, & baptismum aliis adhuc modis supplere. Ad Conf. Imprimis Neg. Ant. dein si Patres frequentius commendant baptismum fluminis, ideo fecere, ne videantur favere pravæ illorum consuetudini, qui baptismum usque ad extremum vitæ tempus differre volebant.

468 Dices 3. Si baptismus fluminis per charitatem perfectam potest suppleri, nihil contra auctoritatem Scripturæ asseritur dicendo, parvulos salvari per fidem & charitatem parentum ipsis applicatam: ergo. Conf. Quando Concilium Tridentinum sess. 6 cap. 4 ait, quod post promulgatum Evangelium justificatio impii non fiat nisi per baptismum in re, vel in voto, tantum loquitur de justificatione adultorum: ergo. Resp. Neg. Ant. Quod enim votum alienum parvulis ita applicari possit, nec Scriptura nec Patres docent, alias tantopere necessitatem baptismi non commendarent, neque Ecclesia esset tam solicita, ut parvulis administretur. Cum igitur baptismus lege universali omnibus præscriptus sit, lex hæc humanis præcise interpretationibus non potest infringi aut coerceri. Ad Conf. iterum Neg. Ant. Tridentinum ibi solum docet baptismum fluminis per baptismum in voto suppleri posse, de cætero universalem illius necessitatem supponit, & probat adducto Christi oraculo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.*

469 Dices 4. Sententia asserens parvulos ex speciali privilegio per preces & vota parentum salvari posse, est

eſt pia, & magis commendat clementiam Dei: neque eſt credibile, quod tanti Doctores, quales ſunt S. Bonaventura, Gerſon &c. ſine ſufficienti fundamento illam docuiſſent: ergo. Reſp. Sicut pietas non eſt commendanda, ſi non ſit ſecundum ſcientiam, ſic neque doctrina, ſi Scripturæ & traditioni adverſetur. Neque ideo præciſe ſententia aliqua fit veriſimilis, quod clementiam Dei magis commendet; alias cum Calvino dici poſſet, infantes ſalvari per hoc ſolum, quod ex parentibus fidelibus naſcantur. Porro etiam magnos Doctores aliquando hallucinatos fuiſſe aliunde conſtat; hinc paucorum auctoritas non ſtatim infringit certitudinem ſententiæ communis, quanquam S. Bonaventura, & Gerſon tantum videantur aſſerere, quod Deus per ſpeciale privilegium infantes ſine baptismo ſalvare poſſet, ſi vellet; nam licet hujus privilegii mentionem faciant, nunquam tamen affirmant, ex auctoritate vel ratione haberi ſolidum fundamentum, quod Deus tale privilegium actu aliquibus concedere ſoleat.

DISPUTATIO II.

De Sacramento Confirmationis.

Confirmatio ad mentem Catechiſmi Romani part. 470
2 cap. 3 definiri poteſt, quod ſit Sacramentum novæ legis, quo baptizatis Spiritus Sancti robur & fortitudo confertur, ut chriſtianam fidem firmiter teneant, animoque invicto profiteantur. Vocatur ab antiquis Patribus & Scriptoribus ſæpe impoſitio manus, ſanctum Chrisma, ſigillum, ſignaculum, conſummatio & perfectio, eoquod baptizatum perficiat, eum pleniore gratia roboret & confirmet. Quo tempore hoc Sacramentum inſtitutum ſit, inter

Auctores non convenit; verisimilius videntur loqui, qui dicunt, Confirmationem Matth. 16, & alibi sæpius quidem fuisse promissam, institutam vero post mortem Joannis 20 v. 21, ubi Christus Apostolis plenam contulit Episcopalis Muneris potestatem; nam ut Act. 1 v. 3 legitur, Christus post resurrectionem per dies quadraginta apparens Apostolis, loquebatur illis de regno Dei, id est, de Ecclesia; unde *Dies isti non otioso transiere decursu, sed magna in eis confirmata sunt Sacramenta, magna revelata mysteria*, inquit S. Leo serm. de Ascens. Domini.

QUÆSTIO I.

Quænam sit materia Confirmationis?

471 Auctores Catholici concorditer quidem docent, materiam Confirmationis esse vel impositionem manus, vel Chrismationem, vel utramque simul, uti Cardinalis Gotti, Tournelyus, Ledruin &c. Novatores vero omnia negant; nam manus impositionem Lutherus, Calvinus, Kemnitius, postquam cessavit visibilis illapsus Spiritus Sancti, tanquam ceremoniam inutilem reprobant, Unctionem Chrismatis vero pertinere ajunt ad elementa mundi, & Judaicas & ethnicas superstitiones, a quibus nos revocet S. Paulus ad Coloss. 2. Verum si hæc calumnia aliquid roboris haberet, neque aqua in baptismo, neque pane in Eucharistia uti liceret, quia Judæi habuerunt aquam expiationis & panes propositionis. Imo nequidem templa & altaria essent licita, quia non solum apud Judæos, sed etiam apud ethnicos in usu fuerant. Itaque Ecclesia sacramentales Unctiones non adhibet tanquam ceremoniam legalem, aut ritum Gentilium, sed tanquam signum a Christo, vel ritum ab Ecclesia institutum.

Dicen

Dicendum 1. Impositio manus est materia essentialis Confirmationis. Prob. Quia Impositio manus ab Apostolis & ab Ecclesia semper fuit adhibita tanquam signum sensibile significans & efficiens gratiam Spiritus Sancti. De Apostolis constat ex Scriptura Act. 8 v. 14 & seq. *Cum autem audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quod Samaria recepisset verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Joannem, qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum. - .. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum.* Et Act. 19 v. 6: *Cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos.* De antiqua Ecclesia testatur S Cyprianus Epist. 73 ad Jubaj. S. Hieronymus adversus Luciferian. S. Augustinus Lib. 15 de Trinit. cap. 25, aliique Patres etiam Græci, uti Firmilianus Epist. 75 inter Cyprian. S. Chrysostomus Homil. 18 in Act. Apost. Theodoretus in cap. 1. Epist. ad Hebr. Idem in posterioribus sæculis colligitur ex Concilio Moguntino 1549 & Rhemensi 1583, ex Simeone Thessalonicensi lib. de 7 Sacram. & Michaele Palæologo, qui in professione fidei, quam anno 1274 ad Gregorium X misit, ait: *Aliud est Sacramentum Confirmationis, quod per manuum impositionem Episcopi conferunt chrismando renatos.* 472

Dicendum 2. Chrismatio etiam est materia essentialis Confirmationis. Prob. 1 auctoritate Scripturæ juxta mentem Patrum intellectæ; nam de Sacramento Confirmationis SS. Ambrosius, Anselmus, Theodoretus apud Bellarm. de Confirm. cap. 8 intelligunt illud Apostoli 2 ad Cor. 1 v. 21 & 22: *Qui confirmat nos, & qui unxit nos Deus, qui & signavit nos & dedit pignus Spiritus Sancti in cordibus nostris.* S. Augustinus & Cyrillus illud 1 Joann. 2 v. 27: *Unctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis.* Prob. 2 ex perpetua praxi & traditione. In 473

Ecclesia Græca enim Confirmationem conferri per chrisma testantur Patres antiquissimi Irenæus, Cyrillus, Alexandr. & Jerosolymit. apud Tournel. quæst. 1 de Conf. art. 3, de Latina Tertullianus Lib. de baptis. cap. 7, Innocentius I Epist. ad Decentium, S. Leo Epist. 88 ad Episcop. Gregorius Magnus in Sacrament. Innocentius III cap. cum venisset un. §. 7 de sacra Unctione. Neque isti Patres de chrismate mentionem faciunt quandocunque, sed dicunt per chrisma dari Spiritum Sanctum, animam Deo consecrari, illud esse chrisma salutis & signaculum vitæ æternæ. Consentit Concilium Florentinum in decret. ad Armen. Tridentinum vero sess. 7 can. 2 anathema dicit asserenti, *Injuriosos esse Spiritui Sancto, qui sacro Confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt.*

Objectiones.

474 Obj. 1. Ecclesia Confirmationem Græcorum habet pro valida; atqui hæc fit sine manus impositione, ut colligitur tum ex Euchologio Græcorum anno 1638 Venetiis edito, tum ex aliis Scriptoribus Græcis; hinc S. Cyrillus, Dionysius & Damascenus nullam mentionem de impositione manus faciunt. Conf. Ridiculum est manus impositionem consistere in ipsa Unctione; nam veteres illam capitis adumbrationem, & manus extensionem appellant. Resp. Conc. Maj. Dist. min. Confirmatio apud Græcos fit sine manus impositione a chrismatione distincta, Conc. min. indistincta, Neg. min. Ipsa chrismatio est aliqua manus impositio; hinc Patres & Concilia modo dicunt Spiritum Sanctum dari per impositionem manus, modo per Unctionem chrismatis, modo per utramque, qui autem unam tantum exprimunt, ideo alteram non negant. Ad Conf. Neg. Ant. Nam Rupertus Ab-

bas

bas Lib. 5 de Offic. Divin. cap. 16, & Hugo Victorinus Lib. 2 de Sacrament. part. 7 cap. 3 etiam illam Unctionem verticalem, quæ fit in baptismate, manus impositionem vocant, qui vero illam appellant adumbrationem & expansionem, possunt intelligi de illa manus impositione, quæ olim chrismationem præcedebat, postea vero cum illa in unam coaluit, ut videre est apud Tournelyum.

Dices 1. In ipsa Ecclesia Latina modo non am- 475
plius adhibetur manus impositio; nam Eugenius IV in decret. ad Armen. ait: *Loco illius manus impositionis, de qua Act. 8, datur in Ecclesia Confirmatio.* Innocentius III cap. cum venisset un. §. 7 de sacr. Unct. *Per frontis chrismationem manus impositio designatur, quæ alio modo dicitur Confirmatio.* Concilium Moguntinum cap. 18: *Confirmationem ab initio sola manuum impositione exhibita, mox sub ipsis temporibus Apostolorum ex eorundem traditione sub chrismatis Unctione cœpit conferri.* Resp. Neg. Ant. Eugenius & Innocentius non distinguunt ritum a ritu, sed modum loquendi a modo loquendi, juxta quem illud Sacramentum, quod tempore Apostolorum impositio manuum vocabatur, nunc communiter appellatur Confirmatio; hinc Eugenius non ait loco impositionis manus nunc dari chrismationem, sed Confirmationem, Innocentius vero præcipue intendit probare, chrismationem pertinere ad Episcopos tanquam Apostolorum successores; atqui Apostoli Spiritum Sanctum contulerunt per impositionem manus. Patres Moguntini cap. 17 ipsimet fatentur etiam per manus impositionem dari Spiritum Sanctum, idque ex traditione Apostolica; unde cap. 18 ad summum volunt non requiri impositionem manus a chrismatione distinctam.

Dices 2. Juxta SS. Patres manus impositio 476
antiquitus catechumenis & infantibus statim fuit

data post baptismum : ergo tantum fuit ceremonia baptismalis. Conf. Multi Auctores & ipseS. Thomas pro materia Confirmationis assignant solum chrisma : ergo. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Nam antiquitus etiam S. Eucharistia infantibus & catechumenis statim post baptismum data fuit, quin ideo tantum fuerit ceremonia baptismalis : porro ut mens Patrum melius intelligatur, sciendum, varias ab initio Ecclesiæ fuisse manuum impositiones. 1. Aliquæ fuerunt adhibitæ ad curandos ægros, de quibus Marc. ult. v. 18 dicitur : *Super ægros manus imponent, & bene habebunt.* 2. Aliæ ad faciendos catechumenos, ut Lib. 2 de peccat. merit. cap. 2 testatur S. Augustinus. 3. Aliæ in sacris ordinibus Presbyteratu & Diaconatu. 4. Aliæ in reconciliatione pœnitentium, & receptione hæreticorum. 5. Denique in Sacramento Confirmationis, de qua sola hic sermo est. Ad Conf. Auctores Catholici plerumque impositionem manus non excludunt, vel solum volunt, non requiri a chrismatione distinctam. S. Thomas Lect. 4 in cap. 6 ad Hebr. expresse agnoscit in Confirmatione per impositionem manus sacramentalem Spiritum Sanctum dari.

477 Obj. 2. Quando Act. 8 v. 17 describitur Confirmatio ab Apostolis data, nulla fit mentio chrismatis : ergo chrismatio non est de illius essentia. Conf. Si traditio de usu chrismatis adeo fuisset nota, nostræ sententiæ non contradixissent Auctores Catholici : ergo. Resp. Transf. Ant. Etsi S. Lucas cap. 8 nihil dixerit de chrismatione, illam requiri tamen satis colligitur ex aliis Scripturæ locis, & præcipue ex traditione. Imo quia SS. Patres, quando docent, solos Episcopos per Unctionem dare Spiritum Sanctum, semper allegant verba S. Lucæ cap. 8, signum est, quod S. Lucas per manus impositionem idem intellexerit ac per chrismationem;

nem; hinc illi ipsi Patres, qui Unctionem expresse requirunt, nihilominus Confirmationem sæpe explicant per solam manus impositionem, & utrumque vocabulum promiscue in eodem sensu accipiunt. Ad Conf. Dissensio inter Auctores Catholicos non tam est circa necessitatem chrismationis, quam circa modum necessitatis, an videlicet tantum sit necessaria necessitate præcepti Divini, an etiam necessitate Sacramenti, quod ultimum mihi videtur probabilius, quia SS. Patres & Concilia Chrismationi tribuunt virtutem conferendi Spiritum Sanctum.

Dices 1. SS. Patres non raro meris Sacramen- 478
torum ceremoniis effectum spiritualem adscribunt: ergo. Conf. Concilium Moguntinum cap. 18 supra cit. ait, Confirmationem sola manus impositione esse exhibitam, idem docet Concilium Bituricense celebratum anno 1584, & S. Thomas q. 72 art. 2 ad 1. Resp. Dist. Ant. tribuunt meris Sacramentorum ceremoniis effectum spiritualem ex opere operantis, Conc. Ant. ex opere operato, Neg. Ant. & Conf. SS. Patres virtutem conferendi Spiritum Sanctum tribuunt Unctioni confirmatoriæ tanquam vero Sacramento, eamque cum impositione manuum non solum conjungunt, sed etiam confundunt. Ad Conf. Patres Moguntini, Bituricenses, & S. Thomas putarunt quidem, quod Apostoli tunc, quando Spiritus Sanctus visibiliter in specie ignis descendebat, per solam manus impositionem confirmaverint, idque ex speciali quodam privilegio & dispensatione, eoquod in præsentia signorum miraculosorum sensibilis materia non fuerit necessaria. Verum signa miraculosa non semper aderant, neque hæc dispensatio satis est fundata in Scriptura & Patribus, quemadmodum diximus de forma baptismi.

479 Dices 2. S. Basilius Lib. de Spirit. Sanct. cap. 27 ait: *In nullo libro scripto haberi chrisma.* S. Cyprianus serm. de ablut. ped. *Has ceremonias non esse a Christo institutas*, & in serm. de chrismat. relictam esse hanc Unctionem ex testamento veteri. Tertullianus Lib. de baptis. cap. 7 eandem esse sumptam ex veteri disciplina. Resp. S. Basilius solum dicit, quod in Scriptura non habeatur expressio chrismatis clara, de quo tamen ipsemet affirmat constare ex traditione. Sermo de ablutione pedum non est S. Cypriani, neque in illo agitur de Sacramento Confirmationis, sed de aliis ritibus Ecclesiasticis. In sermone altero de chrismate expresse dicitur, hanc Unctionem esse divinitus institutam, unde solum manavit ex testamento veteri, quatenus in eo fuit præfigurata. Similiter Tertullianus non ait, Confirmationem in Unctione adhiberi solitam pertinere ad veterem disciplinam, sed ex illa sumptam esse, in quantum præcessit illius figura in oleo, quo Aaron unctus fuit a Moyse.

480 Dices 3. Acta Conciliorum vel potius Damasus in vita S. Sylvestri scribit, chrisma institutum esse a Sylvestro, videturque hic ritus ab athleticis ethnicorum Unctionibus mutuatus, ut insinuat S. Dionysius de Eccles. Hierarch. cap. 2. Conf. In Ecclesia non semper fuit eadem chrismatio; nam primis sæculis Unctio præmittebatur impositioni manuum, postea fiebat a Presbytero in ipso actu baptismi, nunc peragitur ab Episcopo post baptismum. In Concilio autem Arausicano I can. 2 statutum est, chrismationem in baptismo omissam postea non esse necessario repetendam. Resp. In vita S. Sylvestri solum habetur, ut Presbyteri ungerent verticem baptizati chrismate, in qua Unctione non consistit Sacramentum Confirmationis, quod

quod a S. Dionysio cum Unctione athletarum solum comparatur quoad effectum confortationis. Ad Conf. Neg. suppositum, quod Unctio ante baptismum, aut a Presbyteris facta ad Sacramentum Confirmationis pertinuerit. Jam vero de hac chrismatione Presbyterorum, quæ fiebat in vertice, exponunt aliqui Canonem Arausicanum, eo quod Innocentius I jam ante prohibuerit, ne Presbyter baptizans chrismate frontem signaret; verum particula *non* in hoc canone videtur omnino redundare, & in multis exemplaribus non invenitur.

QUÆSTIO II.

Qualis chrismatio ad Confirmationem requiratur?

Per chrisma juxta communem Ecclesiæ & 481
Patrum sensum intelligitur oleum balsamo mixtum. *Materia Confirmationis*, ait Eugenius IV in decret. ad Armen. *est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & ex balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedicto*, quibus Græci 35 genera aromatum cum vini quantitate admiscere dicuntur. Per oleum vero proprie & absque additamento verborum denotatur illud, quod fit ex olivis, dum econtra liquores ex glandibus, nucibus, seminibus &c. non nisi ad prioris similitudinem olei nomen habent, & solum in defectum illius adhibentur. Hinc Theologi facile conveniunt ad valorem Confirmationis requiri oleum olivarum; an vero necessario debeat esse mixtum balsamo, & ab Episcopo consecratum controvertunt.

Dicendum 1. Chrismatio debet fieri per oleum 482
balsamo mixtum. Prob. quia Innocentius III cap.

cum

cum venisset §. 2 de sacr. Unct. Eugenius IV in decret. ad Armen. antiquus Ordo Romanus, Pontificale, & quotquot de officiis Ecclesiasticis cum Amalario, Fortunato &c. scripsere, olei & balsami simul mentionem faciunt. Similiter SS. Patres materiam Confirmationis appellant chrisma, chrisma autem a simplici oleo distingui patet ex dictis, & colligitur ulterius ex Concilio Toletano I can. 20 ac Carthaginensi II cap. 3, & III cap. 36, in quibus Presbyteris confectio chrismatis prohibetur. Hinc S. Thomas, Mastrius & teste Bellarmino de Confirm. cap. 8 omnes Theologi & Juristæ veteres docent, mixtionem balsami pertinere ad essentiam Confirmationis; quippe chrismati seu oleo balsamo mixto applicatur forma Sacramenti: *Confirmo te chrismate salutis*. Eidem ab Eugenio IV & Concilio Tridentino adscribitur efficacia & significatio gratiæ, neque sine admixtione balsami habetur chrisma, quod tamen a Christo pro materia Confirmationis institutum fuisse, quæst. præced. probatum est.

483 Dicendum 2. Chrisma debet esse consecratum ab Episcopo. Prob. Quia SS. Patres nominatim Cyrillus Hierosolymit. catech. 3, Optatus Milevit. de schismat. Donat. Tertullianus, Augustinus &c. apud Bellarmin. loc. cit. pro materia Confirmationis non requirunt chrisma qualecunque, sed sacrum, benedictum, sanctum, consecratum, quod confirmant plura Concilia, Laodicenum can. 48, Bracharense II can. 4, Florentinum in decret. ad Armen. Jam vero consecratio chrismatis saltem de potestate ordinaria ad solos Episcopos pertinet, ut constat ex Epist. Innocentii I ad Decent. & Leonis ad Episcop. Gall. & German. item ex Pontificalibus, & Euchologiis Græcorum; hinc can. Presbyteris 119 de consecr. dist. 4 Parochi singulis annis chrisma a proprio Episcopo petere debent.

Porro

Porro ipſa chrismatio debet fieri 1. in figuram crucis, ut colligitur ex forma: *Signo te ſigno Crucis.* 2. Per manum Epiſcopi; quia impoſitio manus eſt de eſſentia Confirmationis. 3. In fronte confirmandi; nam ſummi Pontifices Innocentius, Leo, Gregorius Confirmationem expreſſe nominant *Signaculum frontis.* Idem docent Concilium Hiſpalenſe II, & Florentinum, item SS. Patres Cyrillus Hieroſolymit. catech. 3, Prudentius in pſychomach. S. Auguſtinus in Pſalm. 141, Tertullianus Lib. de præſcript. dicens: *Deus ſignat in fronte milites ſuos.*

Ex dictis Auctores communiter inferunt, iſta 484
eſſe de eſſentia Confirmationis; verum quoad conſecrationem ab Epiſcopo factam (de reliquis ex dicendis patebit) contradicunt Cardinalis Gotti, Tournelyus, Ledruin &c. exiſtimantes, ex allatis Patrum & Conciliorum teſtimoniis plus non evinci, quam quod conſecratio Epiſcopi requiratur ex præcepto ab Apoſtolis ad nos derivato, quia Patres non videntur aliter loqui de conſecratioue chriſmatis in ordine ad Confirmationem, quam de benedictione aquæ in ordine ad baptismum. Sic S. Baſilius Lib. de Spirit. Sanct. cap. 27 inquit: *Conſecramus autem aquam baptismatis, & oleum Unctionis.* S. Auguſtinus Lib. de baptiſ. cap. 19: *Quomodo exaudit homicidam deprecantem vel ſuper aquam baptiſmatis, vel ſuper oleum.* Et Tract. 118 in Joann. *Quid eſt, quod omnes noverunt ſignum Chriſti, niſi crux Chriſti? quod ſignum niſi adhibeatur frontibus credentium, ſive ipſi aquæ, ex qua regenerantur, ſive oleo, quo chrismate unguntur, nihil eorum rite perficitur.* Accedit, quod Pontifex ex ſpeciali privilegio adminiſtrationem Confirmationis poſſit concedere ſimplici Presbytero; ergo idem videtur dicendum de conſecratione chrismatis.

Dices

485 Dices 1. Vox *chrisma* juxta Etymologiam Græcam ſignificat quodlibet unguentum ; hinc Innocentius I Epiſt. ad Decentium oleum infirmorum vocat chrisma : ergo mixtio balſami non eſt de neceſſitate Confirmationis. Conf. Patres antiqui Cyprianus, Ambroſius, Auguſtinus &c. ſæpe ſolius olei mentionem faciunt, neque ut ait Tournelyus quæſt. 1 art. 3 de mixtione balſami aliquid legitur ante ſæculum VI, quo floruit Gregorius Magnus & Gregorius Turonenſis. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Quamvis chrisma ex primæva ſua inſtitutione quodlibet unguentum ſignificet, & ſic una aut altera vice a ſummo Pontifice fuerit uſurpatum, nihilominus illius ſignificatio Eccleſiaſtica, quæ attendi debet, fuit reſtricta ad ſignificandum unguentum ex oleo & balſamo mixtum, ut patet ex probatione. Ad Conf. Dum Patres explicite ſolius olei mentionem faciunt, quia chrisma potiſſimam partem ex oleo conſiſtit, ideo balſamum non excludunt ; nam ſæpe etiam utuntur voce *chrisma*, quod a ſimplici oleo diſtinctum eſſe, indicant antiquiſſima Concilia cum S. Juſtino Dialog. cum Tryphone & S. Dionyſio de Eccleſ. Hierarch. cap. 4.

486 Dices 2. Innocentius III cap. Paſtoralis 1 de Sacrament. non iter. in caſu, quo quis oleo tantum confirmatus fuit, reſcribit : *In talibus non eſt aliquid iterandum, ſed caute ſupplendum, quod incaute fuit prætermiſſum* : ergo Confirmationem ſolo oleo adminiſtratam agnoſcit eſſe validam. Conf. Eugenius IV in ſuo decreto tantum ſtatuit chrisma debere confici ex oleo & balſamo, & ſæpe etiam affert ea, quæ tantum neceſſitate præcepti ſunt neceſſaria, ut dum dicit aquam debere miſceri vino conſecrando. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Capitulum *Paſtoralis* juxta celeberrimos Canoniſtas, Panormitanum, Innocentium IV, Oſtienſem &c. ſolum

decidit,

decidit, quod in Confirmatione illa non debeant repeti, quæ rite posita fuerant, sed sola accidentalia, si omissæ fuerint ceremoniæ accidentales, vel sola substantia, si omissum fuerit aliquid substantiale caute & sine scandalo suppleri; neque enim proprie iteratur, quod antea nunquam factum fuerat, & cum sententia Adversariorum neutiquam sit certa, ipsimet debent admittere, in hoc casu Unctionem chrismatis supplendam esse. Ad Conf. Eugenius imprimis clare docet, quod chrisma sit aliquod compositum ex oleo & balsamo, dein ait, chrisma esse materiam Confirmationis; at nunquam dicit aquam esse materiam Eucharistiæ, imo ipso modo loquendi contrarium indicat, dum ait: *Materiam calicis esse vinum, cui modicissima aqua admisceri debet.*

Dices 3. Materia Sacramentorum debet con- 487
stare facilibus & obviis rebus, quæ facile possunt comparari; atqui balsamum non est talis materia; crescit enim tantum in duobus hortis Judææ, qui jam dudum vastati sunt, ut probat Kemnitius ex Plinio Lib. 12 cap. 25. Conf. Balsamum, quod oleo admiscetur, est valde modicum, adeoque facile fieri potest, ut Unctio fiat tantum oleo sine particula balsami; ergo. Resp. Neg. Maj. Ad materiam Sacramenti sufficit, si sit a Christo instituta & comparari possit; jam vero Ecclesiæ balsamum nunquam defuit, & Josephus L. 1 de bello Jud. cap. 7, S. Hieronymus in cap. 2 Ezech. Strabo Lib. 16 testantur, illud nasci in variis regionibus; magna quoque illius copia ad nos defertur ex Persia & India, quod licet colore aut etiam specie physica a balsamo Palæstinæ forte differat, nihilominus judicio præstantissimorum medicorum est verum balsamum, fere sicut quodlibet ex diversissimis est verum vinum. Ad Conf. Conc. Ant. sequelam additam Dist. facile fieri potest, ut Unctio

fiat

fiat ſine particula balſami in omnes olei partes non perfuſi phyſice, Conc. non perfuſi moraliter, Neg. ad eſſentiam chrismatis ſufficit, quod ipſum compoſitum ita ſit mixtum, ut tota materia ſit odorifera, quod maxime ad ſignificationem Sacramenti pertinet.

488 Dices 4. Forma crucis requiritur ad ſubſtantiam Confirmationis : ergo etiam conſecratio chriſmatis, vocatur enim chrisma ſalutis, & Eugenius IV in Decret. ad Armen. expreſſe ait, *Materiam Confirmationis eſſe chrisma per Epiſcopum conſecratum.* Conf. S. Cyrillus Hieroſolym. catech. 3 ait : *Unguentum non eſſe chrisma, niſi poſtquam conſecratum eſt, ſicut panis non eſt corpus Chriſti niſi poſt Spiritus Sancti invocationem.* Optatus quoque Lib. 7 inquit: *Liquorem ex nomine Chriſti condiri, & poſtquam conditus eſt, chrisma nominari.* Reſp. Tranſ. Ant. quod merito negari poſſet, Neg. Conſ. Figura crucis per ipſam formam exprimitur, non item conſecratio chrismatis ; nam poteſt eſſe chrisma ſalutis, quin ſit conſecratum, neque conſecratio ipſum chrisma aut materiam Sacramenti conſtituit, ſed eſt tantum qualitas aliqua ei ſuperaddita, ſicut benedictio ſuperaddita aquæ baptismatis. Ad Conf. dici poteſt, chrisma per ipſam formam ſacramentalem conſecrari, & fieri unguentum cœleſti ſuavitate conditum, id eſt imprimens ſigillum Chriſti & gratiam conferens, ferme ſicut panis fit corpus Chriſti per ipſam formam conſecrationis.

QUÆSTIO III.

Quænam ſit forma Confirmationis?

489 De forma Confirmationis non eſt eadem omnium Catholicorum ſententia ; qui enim pro materia

teria solum manuum impositionem agnoscunt, dicunt formam essentialem consistere in oratione Episcopi, quam statim initio recitat, manus versus confirmandos extendens ac dicens: *Omnipotens sempiterne Deus &c.* Qui vero pro materia partiali etiam adstruunt chrismationem, saltem partialem formam Confirmationis statuunt in illis verbis, quæ in ipsa actione proferuntur: *Signo te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* Forma apud Græcos usitata est: *Signaculum donationis vel doni Spiritus Sancti*, omisso more illorum verbo. Formam hanc validam esse colligitur ex eo, quia sufficienter exprimit effectum & actum Confirmationis, sensus enim est: Hoc signo dantur munera Spiritus Sancti. Præterea ab antiquissimis temporibus apud Græcos fuit in usu, ut patet ex illorum Euchologiis, & Concilio Generali II Can. 7; hinc Latini nec in Concilio Florentino, nec alias inter cæteros Græcorum errores hunc recensuerunt, quod sub ista forma confirment, quam etiam adhibent Romæ in templo S. Athanasii non ignorante Summo Pontifice.

Dicendum 1. Forma essentialis Confirmatio 490
nis non consistit in oratione, quam Episcopus initio pronunciat. Ita contra Tournely, Gotti, Ledruin plerique alii. Prob. Quia Episcopus tunc confirmandos nec tangit, nec proprie manus super illos imponit, nec confirmat, sed hoc juxta ritum Pontificalis Romani primum fit, quando postea singulos inungit: imo sæpe accidit ut confirmandi diu post recitatam illam orationem adveniant. Hinc quando Act. 8 v. 15 de Petro & Joanne dicitur: *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum*, tantum significatur oratio quædam præparatoria; dum autem v. 17 sequitur: *Tunc imponebant manus super illos*, forma ab illis simul prolata sub-

intelligi debet, ficut dum cap. 19. v. 6 dicitur: *Cum impofuiffet illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus fuper eos.* ubi nulla fit orationis mentio. Conf. Quia prævia hæc oratio aliquando recitata eft a Presbytero baptizante, priusquam Epifcopus ad confirmandum accederet, & in quibusdam codicibus reperitur cum ordine baptifmi, ac primum poft aliquot folia ordo Confirmationis defcribitur, in Sacramentario autem monafterii Moyfacenfis omnino defideratur, ut teftatur Martenius tom. 1 de antiquis Ecclefiæ ritibus.

491 Dicendum 2. Forma Confirmationis confiftit in verbis, quæ in ipfa chrifmatione ab Epifcopo proferuntur: *Signo te figno Crucis, & confirmo &c.* Ita cum S. Thoma 3 part. q. 72 a 3, Bellarmino, Eftio Theologi communiffime. Prob. In illis verbis confiftit forma Sacramenti, per quæ materia determinatur ad producendum & fignificandum effectum Sacramentalem; atqui materia ad producendum & fignificandum effectum Sacramentalem, nempe robur fpirituale ad Chriftianam militiam & tuendam fidem, per dicta & æquivalentia verba determinatur, ficut in baptifmo ablutio determinatur per verba: *Ego te baptizo &c.* ergo. Porro hæc ipfa forma non tantum affignatur ab Eugenio IV in decret. ad Armen. fed etiam in Pontificali Romano, in ordine Romano, quem citat Alcuinus VIII fæculi fcriptor, aliisque ritualibus ac Sacramentalibus libris a Morino, Menardo & Martenio collectis, in quibus tamen nollem dicere, quod omnia verba ad effentiam pertineant; nam invocatio SS. Trinitatis omittitur in forma Græcorum, verba: *Signo te figno Crucis* in ordine Romano, & in forma S. Ambrofii, ut adeo hæc fola: *Ego confirmo te,* effentialia videantur.

Dices

Dicas 1. Manus impositio est materia Confir- 492
mationis: ergo debet ipsi respondere aliqua forma; atqui nulla alia potest assignari quam oratio initialis Episcopi, quam in Confirmatione adhibitam fuisse testantur omnes libri Rituales, Pontificales & Sacramentarii: ergo. Conf. ex verbis Jacob. 5 v. 14: *Orent super eum, ungentes eum oleo*, infertur, formam extremæ Unctionis consistere in oratione: ergo idem de Confirmatione inferri debet ex verbis Act. 8 v. 15: *Oraverunt pro ipsis*. Resp. Dist. Ant. manus impositio, quæ fit in ipsa chrismatione, est materia Confirmationis, Conc. Ant. quæ fit ante illam, Neg. Ant. & eodem modo Conf. neque plus probat, quod additur de libris Ritualibus, Pontificalibus & Sacramentalibus, imo juxta dicta in probatione simpliciter negari potest. Ad Conf. Neg. Ant. Quod forma extremæ Unctionis debeat esse deprecatio, non potest inferri certo ex solis verbis: *Orent super eum*, sed ex illis ut explicatis per traditionem Apostolicam, quæ nobis innotescit ex perpetua praxi Ecclesiæ. Econtra neque Ecclesia Græca neque Latina formam deprecativam adhibuit in Confirmatione, una aut altera forte Ecclesia particulari excepta.

Dices 2. SS. Patres nominatim Cyprianus, Am- 493
brosius, Hieronymus, Augustinus, & Leo apud Tournely quæst. 1 art. 6 docent, Spiritum sanctum dari per orationem Episcoporum: ergo. Conf. Sacramentarium S. Gregorii, Pamelii, Eligii nullam aliam formam præter orationem commemorant, & in vetustissimo codice Anglicano solum habetur oratio, quæ incipit: *Benedicat vobis Omnipotens Deus*. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Patres per orationem & invocationem intelligunt ipsam formam: *Signo te signo Crucis, & confirmo &c.* vel æquivalentia: nam licet indicativa sint, recte vocantur oratio, & deprecatio,

 quia

quia funt verba habentia vim impetrandi effectum Sacramentalem ex meritis Chrifti, cujus nomine proferuntur a miniftro, ut ejus inftrumento agente per modum invocantis, non per modum imperantis. Ad Conf. dico, in his Sacramentariis folum defcribi orationem præparatoriam, non vero ipfam formam Confirmationis, quæ antiquitus memoriæ mandabatur, & facile ex oratione prævia in illam revocari poterat.

494 Dices 3. Forma Confirmationis a nobis affignata nullibi legitur in Scriptura : ergo non eft a Chrifto inftituta. Conf. Hujus formæ neque meminere SS. Patres, neque in aliis documentis aut Scriptoribus ante Sæculum VIII illius mentio invenitur. Refp. Conc. Ant. Neg. Conf. Licet formam Confirmationis non legamus in verbo fcripto, illam tamen haberi ex tradito fatis teftatur praxis Ecclefiæ, & neque aliorum Sacramentorum formæ expreffe in Scriptura habentur ; nullibi enim fcriptum eft in baptifmo dicendum effe aut Apoftolos dixiffe: *Ego baptizo te &c* Ad Conf. ferme eadem eft refponfio. Cum enim formæ Sacramentorum per ufum miniftris fatis notæ fuerint, nec Gentilibus myfteria noftra prodere confultum videretur, Patres & Scriptores Ecclefiaftici formam Sacramentorum nolebant accurate annotare, ut teftatur S. Dionyfius de Ecclef. Hierarch. & Innocentius I Epift. ad Decent cap. 3. Sicut ergo ex filentio primorum fæculorum, fic etiam ex filentio fubfequentium nihil probatur, fed fufficit praxis a nullo Pontifice aut Concilio inftituta, fed perpetua traditione ad nos derivata.

495 Dices 4. Alcuinus Lib. de Divin. Offic. cap. de Sabb. fanct. ritum Confirmationis ita defcribit: *Hac finita oratione facit crucem de chrifmate cum pollice in fingulorum frontibus ita dicendo: in nomine Patris, &*

Filii

Filii, & Spiritus Sancti: ergo. Conf. Forma Latinorum & Græcorum est omnino diversa & Clemens VIII in Instruct. Græcorum jussit, ut Episcopi Latini infantes a Presbyteris Græcis baptizatos & confirmatos rursus confirment. Resp. Trans. Ant. Neg. Conf. Alcuinus loc. cit. se refert ad Ordinem Romanum, in quo habentur hæc verba: Confirmo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Quare vel editio Alcuini est mendosa, vel ipse codice mendoso usus aut memoria lapsus est. Ad Conf. Dist. istæ formæ sunt diversæ quoad substantiam, Neg. quoad accidentalem verborum sonum & expressionem, Conc. Clemens VIII solum voluit, ut Episcopi Latini de novo Græcos confirment, qui: Presbyteri sine speciali concessione Confirmationem administrare nequeunt. Interim apud Latinos utique ex præcepto requiritur, ut præter actum & personam confirmandi exprimatur Unitas Divinæ essentiæ & Trinitas Personarum.

QUÆSTIO IV.

Quis sit minister Confirmationis?

Potestatem & officium administrandi Sacramen 496
tum Confirmationis sibi arrogarunt Sæculo V aliqui Presbyteri Eugubini repressi ab Innocentio I, Sæculo VI Presbyteri Calaritani, quos redarguit Gregorius Magnus, Sæculo VII facultatem conferendi Confirmationem frequenter Presbyteris concessit Agapius Episcopus Cordubensis, sed abusum hunc reprobavit Concilium Hispalense II Can. 7. Sæculo IX Photius Constantinopolitanæ Sedis invasor & Græcorum schismaticorum signifer contendit, quoslibet Sacerdotes esse ordinarios Confirmationis ministros, sed mox se opposuit Nicolaus I. at-

 que

que Bulgaros a Photianis presbyteris confirmatos iterum jussit confirmari; nihilominus eodem sæculo quidam Chorepiscopi Galli idem munus sibi assumserunt, quos compescuit Synodus Parisiensis VI. Hunc ipsum errorem postea adoptarunt Waldenses, Wiclefitæ, Hussitæ, Lutherani, Calviniani: at Concilium Tridentinium Seff. 7 Can. 3. anathematizavit asserentes, *Sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem.*

497 Dicendum Minister ordinarius Confirmationis est solus Episcopus. Prob. 1. Constat ex Scriptura Act. 8. v. 17 & 19 v. 6, quod Christus potestatem confirmandi dederit Apostolis, eorumque Successoribus Episcopis, quod autem eandem potestatem etiam dederit cuilibet Presbytero, nullibi legitur, aut traditur, sed quotiescunque hoc munus sibi arrogare tentarunt, Ecclesia statim reclamavit: ergo. Prob. 2. Auctoritate SS. Patrum Cypriani Epist. 73, Hieronymi adversus Lucifer. Chrysostomi Homil. 18. in cap. 8. Act, Augustini Lib. 15 de Trinit. cap. 26, & Summorum Pontificum Innocentii I Epist. ad Decent. cap. 3, S. Leonis Epist. 88, S. Gregorii Lib. 4 Epist. 9. & omnium illorum, qui ex professo Græcorum Schismaticorum errori se opposuerunt, ex quibus Nicolaus I, & Clemens VIII jussit iterum confirmari, quos soli Presbyteri confirmaverant. Innocentius III Epist. ad Lucium & Gregorius IX Epist. ad Episc. Barens autem ajunt, *potius oportere Confirmationem omittere, quam a simplici Sacerdote recipere.* Prob. 3. Auctoritate Conciliorum Eliberitani can. 36. Arelatensis III ann. 455. Parisiensis VI ann. 829. Tridentini Seff. 7 can. 3 & Florentini, quod in decret. ad Armen. ait: *Ordinarius minister* (Confirmationis) *est Episcopus, & cum cæteras Unctiones simplex Sacerdos valeat exhibere, hanc non nisi Episcopus debet conferre.*

Dicen-

Dicendum 2. Simplex Sacerdos potest nihilominus ex urgente causa, & Sedis Apostolicæ concessione esse minister extraordinarius Confirmationis. Ita contra Gabrielem, Durandum, Estium Alensis, Suarez, Bellarminus &c. Nam 1 Eugenius IV in decret. ad Armen. postquam dixit ordinarium ministrum Confirmationis esse Episcopum, statim addit: *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili & urgente admodum causa simplicem Sacerdotem chrismate per Episcopum confecto administrasse Confirmationis Sacramentum* 2. Gregorius Magnus cum intellexit sua prohibitione, qua Presbyteris Calaritanis Confirmationem interdixit, multos fuisse offensos, Epist. 26. respondit: *Et nos quidem secundum usum veterem Ecclesiæ nostræ facimus, sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos ungere debeant; concedimus.* 3 Facultatem confirmandi Indos dedit PP. Minoritis Joannes XXII PP Franciscanis Hadrianus VI, PP. Societatis Gregorius XIII. Hinc ipse mos jam ante Photium obtinuerat in Ecclesia Græca, ut patet ex Epist. S. Hieronymi ad Evang. & ejusdem Commentariis in Paulum. 498

Objectiones.

Obj. 1. Non constat, an Apostoli confirmaverint tanquam Episcopi vel tanquam Presbyteri, imo Ananias licet nondum Episcopus Paulo imposuit manus, dixitque: *Dominus misit me, ut videas & implearis Spiritu Sancto,* Act. 9 v. 17: ergo. Conf. Presbyteri succedunt Apostolis, ut patet in ministerio baptismi, Eucharistiæ, quin etiam Confirmationis; nam Paulus 1 ad Timoth. 4. v 14. ait: *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per impositionem manuum Presbyterii.* Resp. Neg. 499

Neg. Ant. Quod Apoſtoli confirmaverint tanquam Epiſcopi, ſatis conſtat ex Patribus, praxi Eccleſiæ & ipſis Actis, in quibus nunquam legitur, quod neophytos alii confirmaverint quam Apoſtoli; nam impoſitio manus facta ab Anania non fuit confirmatoria, ſed curativa & ſenſus verborum eſt: Dominus miſit me, ut per impoſitionem manus videas, & implearis Spiritu Sancto per baptiſmum, quare Paulus vel confirmatus fuit ab aliquo Apoſtolo, vel Spiritus Sancti plenitudinem accepit a Deo ſine manus impoſitione, quemadmodum accepiſſe videntur alii Apoſtoli. Ad Conf. Diſt. Ant. Apoſtolis ſuccedunt Presbyteri in Sacerdotio, Conc. Ant. in Epiſcopatu, Neg Ant. S Paulus loco objecto non agit de Confirmatione ſed de Ordinatione Timothei, & per Presbyterium intelligit Chorum Epiſcoporum, ut exponit S. Hieronymus.

500 Dices 1. Juxta Pontificale Damaſi S. Sylveſter omnium primus conſtituit, ut ſolus Epiſcopus chriſma conficiat, & baptizatos confirmet excepto periculo mortis, & in Concilio Hiſpalenſi II Can 7. Confirmatio & chriſmatis confectio Presbyteris dicitur prohibita *Novellis & Eccleſiaſticis regulis*: ergo. Conf. Presbyteri poſſunt baptizare, & conferre Euchariſtiam, quod eſt plus: ergo etiam confirmare, quod eſt minus, imo quod Sacramentum pendeat a dignitate miniſtri, damnatum eſt in Donatiſtis. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Pontificale Damaſi ſuppoſitionis & falſitatis non paucis ſuſpectum eſt, nec eſt veriſimile, Sylveſtrum primum initio Sæculi IV Epiſcopis contuliſſe confirmandi jus ſeu privilegium, cujus originem ab exemplo ac traditione Apoſtolorum repetunt Cyprian. Hieron. Chryſ. Auguſt; hinc verbum *conſtituit* non denotat primam inſtitutionem, ſed declarationem & Confirmationem, ſicut dum dicitur conſtituiſſe,

tuiſſe, ut ſacrificium tantum in panno lineo celebretur, quod jam Euſebius Sylveſtri prædeceſſor ſtatuerat. Concilium Hiſpalenſe loquitur quidem de novellis regulis Eccleſiaſticis Innocentii I, & Leonis Magni, ſed ideo non excludit jus Divinum. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Axioma: Qui poteſt plus, poteſt etiam minus, non procedit in iis, quæ dependent a libera inſtituentium voluntate, error autem Donatiſtarum erat in eo, quod dicerent, valorem Sacramentorum dependere non ſolum a dignitate Eccleſiaſtica, ſed etiam morali, videlicet a fide ac probitate miniſtri.

Dices 2. In Eccleſia Orientali apud Græcos, 501 Ægyptios, Armenos Presbyteri jam a Sæculo IV Confirmationem adminiſtrant, cumque hac de re in Concilio Florentino interrogarentur, Mytilenſis Præſul huic quæſtioni nomine Græcorum ſatisfecit, ut in actis dicitur: ergo. Conf. Quando Gregorius Magnus Presbyteris Calaritanis Confirmationem prohibuit, non declaravit illam eſſe irritam, neque oppoſuit inſtitutionem Chriſti, ſed tantum Eccleſiæ Romanæ uſum. Reſp. Conc. Ant. Diſt. Conſ. ergo Presbyteri poſſunt adminiſtrare Confirmationem ex diſpenſatione expreſſa, vel ſaltem tacita Summi Pontificis, Conc. Conſ. aliter, Neg Conſ. Quod Summi Pontifices Presbyteris Græcis ſaltem tacite conceſſerint facultatem confirmandi, colligitur ex ipſa antiquitate conſuetudinis, alias dici deberet, quod per tantum tempus non habuerint verum Confirmationis Sacramentum, cum tamen Gregorius Proto - Syncellus Patriarchæ Alexandrini in Concilio Florentino legatus teſtetur, ritum Græcorum a Patribus Florentinis approbatum fuiſſe. Interim quod olim etiam apud Græcos ſoli Epiſcopi confirmaverint, ajunt Georgius Pachymeres in paraphraſi de Eccleſ. Hierarch. & Matth. Blaſtarius

apud Arcadium Lib. 2. Concord. Ad Conf. S. Gregorius credere potuit, Calaritanos ex consensu saltem tacito Sedis Romanæ confirmasse; hinc ne illos gravius perturbaret, ex prudenti œconomia ita egit, neque dum allegavit morem Ecclesiæ suæ, ideo institutionem Christi negavit, sed potius hunc ipsum morem eadem niti supposuit.

502 Obj. 2. S. Hieronymus Dialog. advers. Lucifer. docet: *Episcopos esse Confirmationis ministros ex consuetudine Ecclesiæ, & ad honorum potius quam ad legis necessitatem*; hinc Epist. 85 ad Evang. interrogat: *Quid facit excepta ordinatione Episcopus, quod non facit Presbyter?* & in ipsa Ecclesia Romana de facto Confirmatio a Chorepiscopis confertur. Resp. S. Hieronymus contra Luciferianos non loquitur de consuetudine Ecclesiastica qualicunque, sed innixa traditioni Apostolicæ; ait enim: *Hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quod post ascensum Domini Spiritus Sanctus ad Apostolos descendit*: dicit nihilominus eam non pertinere ad legis necessitatem, tum quia administratio Confirmationis Presbyteris absolute potest committi, tum quia hoc Sacramentum non est absolute necessarium sicut baptismus, alias, ut addit, *Si ad Episcopi imprecationem tantum Spiritus Sanctus defluit, qui in remotioribus locis ante dormierunt, quam ab Episcopis inviserentur, lugendi sunt.* Porro Epist. 85 non comparat potestatem Sacerdotum cum omnibus Episcopi muneribus, sed tantum quoad confectionem corporis Christi; nam contra Luciferianos aperte docet, Confirmationem Episcopis reservatam esse: si igitur per Chorepiscopos intelligantur suffraganei, utique confirmare possunt, quia sunt veri Episcopi, non item si intelligantur alii e. g. Decani rurales, qui Episcopi non sunt.

Dices 1. S. Ambrosius Lib de Myster. cap. 6 503
inquit: *Unctionem unguenti fieri a Sacerdote.* Et V. Beda in Psalm. 26 affirmat: *Unctionem, quæ fit per manus Episcopi, eandem esse cum Unctione verticali, licet illa non sit concessa omnibus Sacerdotibus ob arrogantiam.* Conf. Presbyteri licentiam confirmandi acceperunt ab Episcopis, Conciliis aut consuetudine. Sic Concilium Arausicanum I Can. 1 & Epaonense anno 517 dedit Presbyteris licentiam, hæreticos, qui catholici esse desiderant, in mortis articulo & absentia Episcopi chrismate, & benedictione consignandi, & Toletanum I statuit, Diaconum non chrismare, sed Presbyterum absente Episcopo, præsente vero, si ab ipso fuerit præceptum. Resp. S. Ambrosius per Sacerdotem intelligit Episcopum, ad quem ascendebant baptizati egressi de fonte, ut constat Lib. 2. de Sacramentis cap. 1. V. Beda vero Unctionem per manus Episcopi factam cum verticali comparat solum quoad materiam, non item quoad efficaciam & ministrum ordinarium; nam illam clare agnoscit tanquam Sacramentum, & in cap. 8 Act. potestatem conferendi solis Episcopis tribuit. Ad Conf. dico, ejusmodi statuta & consuetudines tunc solum fuisse legitimas, si robur suum ab expressa vel tacita approbatione Papæ obtinuerunt. An autem illa chrismatio, per quam hæretici in Ecclesiam recipiebantur, fuerit Sacramentum Confirmationis, vel tantum aliqua ceremonia, incertum est. Concilium Toletanum tantum agit de chrismatione verticali, quam ex concessione Sylvestri Papæ Presbyteri absente Episcopo faciebant.

Dices 2. Concilium Regiense Can. 5 Presby- 504
teris tribuit licentiam consecrandi Virgines & confirmandi neophytos. Barcinonense II Can. 2, ut nihil accipiatur pro chrismate, quod Presbyteris pre

pro confirmandis neophytis datur. Eliberitanum Can. 38 & 77 mandat, ut baptizatus a Diacono per manus impositionem perficiatur. Denique Carthaginense II Can. 3. & Carthaginense III Can. 36 præcipit, ne chrisma perficiatur a Presbyteris: ergo illud prius potuerunt conficere & confirmare. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Nam Concilium Regiense agit de Armentario Episcopo deposito, cui permittit, ut absente Episcopo in una parochia possit virgines consecrare & neophytos consignare. Barcinonense juxta Walfridum aliosque loquitur de Unctione verticali, & solum dicit, quod nihil liceat accipere pro chrismate, quo neophyti confirmantur, videlicet ab Episcopo, non a Presbytero. Eliberitanum solum præcipit, ut baptizati in necessitate a laico vel Diacono postea per benedictionem Episcopi perficiantur. Carthaginense II & III. confectionem chrismatis prohibet Presbyteris, quia eam tunc sibi arrogaverant, ex quo neutiquam sequitur, hanc confectionem ipsis fuisse licitam, aut illos eo chrismate usos, & impune baptizatos confirmasse.

505 Obj 3. Quando Presbyteri munus confirmandi assumpserunt, Summi Pontifices & Concilia statim reclamarunt. Idem adversus morem Græcorum fecerunt Nicolaus I, Innocentius III, Gregorius IX, Innocentius IV, Clemens VIII apud Tournel. quæst. 3 art. 2. Conf. Papa non potest munus confirmandi aut consecrandi Eucharistiam delegare Diacono: ergo a pari. Resp. Conc Ant. Dist. Conf. ergo Presbyteri non possunt confirmare potestate ordinaria, Conc. Conf. potestate delegata, Neg. Conf. Quando Summi Pontifices & Concilia in Presbyteris reprobarunt administrationem Confirmationis, id fecerunt, quia Presbyteri id munus sibi ipsis sine obtenta facultate arrogarunt,

vel

vel quia Pontifices diſpenſationem Presbyteris datam ignorarunt, aut locuti ſunt de poteſtate ordinaria, uti Gregorius IX & Innocentius IV, Innocentius III vero Confirmationem ſolum interdixit Presbyteris Latinis, qui tunc Conſtantinopoli verſabantur, & Græcorum conſuetudinem ſequi volebant. Ad Conf. Conc. Ant. Neg Conſ. Poteſtas confirmandi & conſecrandi eſſentialiter dependet a charactere Sacerdotali, non item poteſtas confirmandi a charactere Epiſcopali.

Dices 1. Nicolaus I, & Clemens VIII Confir- 506
mationem a Presbyteris datam omnino tanquam invalidam rejecerunt, idem teſte Gregorio Proto-Syncello fecere quidam Epiſcopi Latini & anno 1652 idem decrevit Synodus Montis Regalis. Conf. Euſebius Papa Epiſt. ad Epiſcop. Tuſciæ, & Hadrianus VI expreſſe docent, Confirmationem nunquam poſſe valide adminiſtrari a ſimplici Sacerdote. Reſp. Nicolaus I Confirmationem Græcorum rejecit, tum quia illam dederant Bulgaris, quæ provincia Patriarchæ Conſtantinopolitano non erat ſubjecta, tum quia ob inductum ſchiſma una cum Photio ſuſpenſi, & facultate exercendi ordines privati erant. Clemens VIII dubitabat, an Græci, qui in Italia inter Latinos verſabantur, legitimam diſpenſationem habeant, ideo confirmatos ab illorum Presbyteris rurſus ſub conditione confirmari juſſit. Cæteri Epiſcopi Latini teſte Holſtenio egerunt contra mentem Papæ, uti etiam Synodus particularis Montis Regalis. Ad Conf. Epiſtola Euſebii uti aliorum Pontificum ante Siricium Papam a modernis criticis rejiciuntur tanquam apocryphæ. Hadrianus VI ita quidem docuit ante papatum, ſed poſtea ipſemet PP. Franciſcanis conceſſit privigelium confirmandi pro Indiis, aliisque regionibus, ubi deſunt Epiſcopi.

Dices

507 Dices 2. Poteſtas confirmandi jure Divino ſolis Epiſcopis convenit: ergo Summus Pontifex illam Sacerdoti ſimplici non poteſt concedere, alias diſpenſaret in jure Divino. Conf. Poteſtas confirmandi eſt poteſtas ordinis: ergo vel Presbyteris non poteſt dari, vel ipſis non poteſt ita negari, ut Confirmatio illorum ſit invalida. Reſp. Diſt. Ant. Poteſtas confirmandi ordinaria jure Divino convenit ſolis Epiſcopis, Conc. Ant. poteſtas extraordinaria & delegata, Neg. Ant. & Conſ. cum ratione addita. Sicut proprie non diſpenſatur in jure Divino, ſi Presbyteris aut Diaconis datur poteſtas concionandi, licet illa jure Divino ad Epiſcopos pertineat, ſic proprie non diſpenſatur, ſi Presbyteris conceditur poteſtas extraordinaria confirmandi. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Quippe licet per ſolum ordinem Epiſcopalem (ſive ſit novus ordo, ſive tantum extenſio Prebyterii) acquiratur poteſtas abſoluta & independens valide conferendi Sacramentum Confirmationis, nihilominus etiam Presbyteri vi ordinis acquirunt aliquam poteſtatem confirmandi imperfectam & dependentem a voluntate Summi Pontificis, quam proin ex ſola Sedis Apoſtolicæ conceſſione valide exercent.

QUÆSTIO V.

De Subjecto, Neceſſitate & Effectibus Confirmationis.

508 Subjectum Confirmationis eſt ſolus & omnis homo baptizatus. Pars 1 conſtat ex praxi Eccleſiæ, ab Apoſtolis derivata, juxta quam Spiritus Sanctus per manus impoſitionem ſolis baptizatis datus eſt, & modo datur. Sic Samaritani, de quibus Act. 8 v. 14 & Epheſii, de quibus Act. 19. v. 5. prius baptizati

ptizati fuerant, quam Apoſtoli ipſis manus impoſuerunt. Idem docent SS. patres, ex quibus Tertullianus Lib. de Baptiſ. cap. 7. ait: *Exinde egreſſi de lavacro perungimur benedicta Unctione.* S. Cyprianus Epiſt. 7: *Ungi quoque neceſſe eſt eum qui baptizatus ſit, ut accepto chriſmate, id eſt Unctione, eſſe Unctus Dei poſſet.* Ratio eſt, quia baptiſmus eſt janua ad Eccleſiam Chriſti & ad alia Sacramenta Chriſtianorum; item quia prius debet aliquis ſpiritualiter naſci, ut in militiam Chriſti cooptari valeat. Nec obſtat, quod Cornelius Centurio acceperit Spiritum Sanctum ante baptiſmum, id enim contigit ex ſpeciali privilegio, ut ſic declararetur, etiam gentibus patere Eccleſiam; nihilominus ad percipienda Sacramenta reliqua baptizari debuit, ut colligitur ex Act. cap. 10 v. 48.

Pars 2. ſuadetur ex eo, quia omnes baptizati 509
ſunt capaces augmenti gratiæ, & indigent, ut adverſus ſpiritales nequitias & naturæ humanæ imbecillitatem Chriſti ſignaculo, & Spiritus Sancti robore confortentur; hinc Græci omnes etiam infantes confirmare ſolent, quem morem Latina Eccleſia per duodecim ſæcula obſervavit, ut patet ex Innocentio I Epiſt. 1 cap. 2. & libris Sacramentorum S. Gregorii. Noſtris tamen temporibus, niſi ſpecialis urgeat cauſa, Confirmatio conſultius differtur ad annum duodecimum aut ſaltem ſeptimum ætatis, ut notat Catechiſmus Romanus part. 2 cap. 3 de Confirm. dum videlicet pueri acquiſiverint annos diſcretionis, tum quia majus eſt gratiæ donum, ſi Sacramentum cum actuali fide, & prævia mentis præparatione ſuſcipitur, tum quia confirmatos Sacramenti ſuſcepti meminiſſe oportet, ne forte iteretur; quapropter in amentibus quoque lucida intervalla, ſi quæ habere ſolent, exſpectari oportet. Si vero de aliquo conſtaret, quod in amen-

tiam

tiam inciderit gravi peccato coinquinatus, non foret inungendus, eoquod non posset suscipere primarium effectum Sacramenti, utpote ad illud percipiendum non satis dispositus.

510 Porro licet Sacramentum Confirmationis non sit necessarium necessitate medii ad salutem, siquidem baptizati, qui ante usum rationis & acceptam Confirmationem moriuntur, in regnum Dei transferuntur, cum nihil damnationis sit in eis, ut docet S. Hieronymus in Dialog. contra Lucifer. Hilarius Arelatensis Homil. de Pentecoste, & Concilium Eliberitanum Can. 77. Fuit nihilominus olim necessaria necessitate præcepti Ecclesiastici, ut colligitur ex dictis Patrum, & conciliorum, variisque constitutionibus sacrorum Canonum apud Dicast. Verum ut idem cum communi advertit, hoc præceptum nunc per desuetudinem desiit, neque ejus observatio ab Ecclesia ullis pœnis urgetur. Multo minus sufficienter ostendi potest, Confirmationem per se, & omnibus esse necessariam jure Divino; quod enim Scriptura omnibus inculcet, ut securitati suæ consulant, & ad perfectionem Christianam tendant, solum probat, auxilia Divina, quæ per Confirmationem obtinentur, esse necessaria necessitate minus stricte tali, & ad melius esse.

511 Aliud est, quod quandoque per accidens detur gravis obligatio hoc Sacramentum suscipiendi, uti 1 si quis sistendus esset coram tyranno, aut contra fidem Christianam gravibus crebrisque tentationibus exagitaretur, quas difficulter alias vinceret. 2. Si hoc Sacramentum negligendo daret grave scandalum, aut illud omnino tanquam rem levem & nullius momenti contemnere videretur. Addit P. Berti 3. Siquis non quidem ex formali contemptu, sed ex mera negligentia illud non suscipe-

ſciperet, etſi optimam haberet occaſionem, non facile redituram, pro qua opinione citat Benedictum XIV in Conſtit. de ritibus Græcorum 53, ubi declarat, confirmatos a ſimplici Sacerdote ſine ſpeciali conceſſione Sedis Apoſtolicæ, rurſus ab Epiſcopo confirmandos, & ab Ordinariis commonendos eſſe, eos gravis peccati reatu teneri, ſi cum poſſunt ad Confirmationem accedere, illam renuant aut negligant, videlicet cum perſuaſione, quod jam valide fuerint confirmati, aut cum aliqua vilipenſione vel ſcandalo, quod in talibus circumſtantiis facile contingere, aut præſumi poteſt; nam ut notat Concilium Senonenſe anno 1524, *Contemni autem dicitur, quando Epiſcopus eſt præſens paratus dare, & perſona hoc ſciens negligit.* Interim generaliter loquendo multa animæ ſalubria intermittimus ex aliquo torpore, quæ tamen haud contemnimus, inquit Layman Lib. 5 tract. 3 cap. 5.

Quidquid de hoc ſit, certum eſt Sacramentum § 19
Confirmationis rite ſuſcipientibus maximam afferre utilitatem; præterquam enim, quod imprimat indelebilem characterem, quo in militiam Chriſti adſcribimur, cauſat etiam augmentum gratiæ ſanctificantis, qua in perfectione chriſtiana perficimur, ac ſuo tempore confert etiam gratias actuales, quibus adverſus omnes carnis, mundi & diaboli impetus, & præſertim ad profitendum ac glorificandum nomen Domini noſtri JEſu Chriſti robuſtiores evadimus, quæ cum ex dictis de Sacramentis in genere ſatis conſtent, hic ſolum addo verba Concilii Florentini ex decret. ad Armen, *Effectus Confirmationis eſt, quia in ea datur Spiritus Sanctus ad robur, ſicut datus eſt Apoſtolis in die Pentecoſtes, ut videlicet Chriſtianus audacter Chriſti nomen profiteatur.* Cæterum quod aliqui Scriptores Catholici aſſerant, Sacramentum Confirmationis per Unctionem vertica-

lem, quæ datur in baptismate, suppleri posse, falso fingit Dallæus; Unctio enim verticalis fit per simplicem Sacerdotem, estque tantum institutionis Ecclesiasticæ, Unctio vero confirmatoria fit per Episcopos, & est Sacramentum ab ipso Christo institutum; hinc in omnibus libris Ritualibus & Pontificalibus hæ duæ Unctiones distinguuntur, & illi ipsi Patres, qui Unctionis verticalis mentionem faciunt, adstruunt, Sacramentum Confirmationis ad obtinendam gratiam roborantem & confortantem necessarium esse.

DISPUTATIO III.

De Essentia Sacramenti Eucharistiæ.

513 Per Eucharistiam ab Orthodoxis intelligitur Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini ad spiritualem animarum refectionem divinitus institutum. Vocatur *Eucharistia*, quæ vox juxta etymon Græcum bonam gratiam & gratiarum actionem significat, & huic Sacramento optime convenit; nam ipsum gratiarum fontem in se continet, & per illud in sacrificio perfectissima gratiarum actio Deo exhibetur. Insignitur adhuc variis aliis nominibus, sic a re, quam continet, Matth. 26 v. 26 nominatur *Corpus Christi*, a materia, ex qua conficitur, Joann. 6 v. 50 & seq. *Panis*, a tempore institutionis, ad Cor. 10, *Mensa Domini*, *Cœna*, *Pascha*; quippe Christus tempore paschatis in ultima cœna prima vice Eucharistiam celebravit & instituit. Quod autem passim etiam dicatur *Synaxis*, *seu Collectio ac Communio*, inde est, quod cum Christo fideles & hos inter se ipsos conjungat. *Salvator noster*, inquit Con-

Concilium Tridentinum seff. 13 in procem. *Eucharistiam in Ecclesia sua tanquam symbolum reliquit, ejus Unitatis & Charitatis, qua Christus nos omnes inter se conjunctos, & copulatos esse voluit.*

Sacramentum Eucharistiæ indirecte impugna 514
runt omnes illi hæretici, qui veritatem carnis Christi negarunt, uti Simoniani, Menandriani, Manichæi, ex quibus sæculo X aliqui in Gallias irrepserunt docentes, non esse Sacramentum Corporis & Sanguinis in consecratione Sacerdotis. Gundulphiani quoque a Gundulpho Italo sic dicti Sacramentum altaris respuerunt. Verum Eucharistiam proprie Sacramentum esse, definitum est a Concilio Florentino & Tridentino, & probatum de Sacramentis in genere. Partes illius intrinsecæ probabilius sunt Corpus & Sanguis Christi, species panis & vini, eorum connexio & verba consecrationis. Nam 1 Eucharistia a Scriptura & Patribus frequenter nominatur cibus & potus, Corpus & Sanguis Christi, quod solis speciebus non convenit. 2. Est signum sensibile gratiæ, ac spiritualis refectionis; atqui Corpus & Sanguis Christi in Eucharistia non sunt immediate sensibilia, & e. g. in cœlo dantur, quin ibi sint Sacramentum. Quod 3 etiam non daretur, si hic quidem existerent species, alibi autem Corpus Christi : ergo insuper requiritur mutua illorum præsentia & connexio, in quocunque demum consistat. Quod denique 4 omnia Sacramenta constent rebus & verbis, ostendi a num. 62.

Unitas specifica hujus Sacramenti desumitur tum 515
ex auctoritate Ecclesiæ, quæ nunquam plura quam septem Sacramenta agnovit, tum ex fine ad quem fuit institutum, ut nempe sit spirituale quoddam convivium, ad cujus integritatem tam cibus quam potus requiritur, ut advertit S. Thomas, 3 part. q.

73 art. 2 in corp. Utrum vero sit unum vel multiplex numero, ad modum loquendi spectat; si enim consideretur in ratione nutrimenti spiritualis, in recto venit Corpus & Sanguis Christi, adeoque erit unum numero: si vero spectetur in ratione signi sensibilis, in recto importantur species, & sic modo erit unum, modo multiplex Sacramentum; unum quidem, quando omnes species ordinantur ad unicam refectionem e. g. Sacerdotis celebrantis, aut plures hostias simul absumentis; multiplex, quando Eucharistia pluribus communicantibus distribuitur. Quare ad multiplicationem numericam non sufficit sola distinctio & discontinuatio physica specierum, sed requiritur etiam distinctio moralis per ordinationem ad diversas sumptiones & refectiones totales.

516 Cæterum errores in hac Disputatione confutandi ad tres potissimum classes reduci possunt. In prima sunt Sacramentarii absolute negantes, Christum in Eucharistia contineri, sed illam tantum esse signum & memoriale Corporis & Sanguinis Domini. Ita sæculo IX docuit Joannes Scotus Herigenas, sæculo XI Berengarius Turonensis, qui tamen errorem suum rursus ejuravit, & pœnitens obiit. Pertinacius huic errori adhæserunt sæculo XII Petrobrusiani & Henriciani, sæculo XIII Albigenses & Tolosoni, sæculo XIV Flagellantes & Wiclefus, sæculo XVI Carolstadius, Zwinglius, Calvinus, ac denique Sociniani. Secundam classem conficiunt, qui contendebant, Christum in Eucharistia duntaxat præsentem esse a Consecratione usque ad Communionem, vel in ipsa Communione, ut sensit Lutherus, Melanchton, Brentius, Bucerus asserens, Sacramentum hoc esse transiens, & in sola Communione consistere. Ad tertiam classem spectant, qui volunt post Consecrationem una cum

cum Corpore & Sanguine Chriſti manere ſubſtantiam panis & vini vel per compenetrationem, ferme ſicut in ferro candente eſt ignis & ferrum; vel per unionem phyſicam & hypoſtaticam, ſicut Verbum unitur humanitati. Pro compenetratione cum quibusdam Berengarii diſcipulis ſtant plerique Lutherani, pro unione Joannes quidam Pariſienſis, Algerus Scholaſticus Leodienſis & Oſiander, priores dicuntur Conſubſtantiatores, poſteriores Impanatores.

QUÆSTIO I.

An Chriſtus in S. Euchariſtia ſit vere & realiter præſens?

Dicendum. In Euchariſtia ſub ſpeciebus panis 517
& vini vere, realiter & ſubſtantialiter continetur Corpus & Sanguis Chriſti. Prob. 1 ex illis Scripturæ verbis, quibus etiam fatentibus novatoribus Chriſtus Euchariſtiam inſtituit: *Hoc eſt Corpus meum. Hic eſt Sanguis meus*, Matth. 26 a v. 26, Luc. 22 a v. 19, 1 ad Cor. 11 a v. 24. Jam ſic: Verba hæc inſtitutionis poſſunt ac debent accipi pro vera, reali & ſubſtantiali præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia: ergo. Ant. quoad 1 membrum patet tum ex primæva inſtitutione, & obvio verborum ſenſu, tum ex Omnipotentia Dei, apud quem non eſt impoſſibile omne verbum. Quoad 2 memb. Prob. Quia ſi verba inſtitutionis, ut Calvinus & Zwinglius contendunt, tantum haberent hunc ſenſum improprium: hoc eſt ſignum aut figura Corporis & Sanguinis Chriſti, Chriſtus diſcipulos ſuos totamque Eccleſiam in gravem errorem induxiſſet; quippe verba juxta ſuam inſtitutionem & humanum modum loquendi, id ſignificant, quod demonſtrant,

neque insolita hæc metaphora, aut ex prævia quadam instructione aut ex circumstantiis colligi potuisset. Conf. Verba institutionis continebant instructionem dogmaticam, præceptum, & ultimam voluntatem Christi, in quibus miram suam charitatem nobis commendare voluit: ergo si quæ alia, hæc vel maxime in sensu proprio accipi debent. Hinc S. Paulus dixit, indigne communicantes reos esse Corporis & Sanguinis Domini, eosque judicium sibi manducare & bibere, qualis comminatio nunquam legitur facta Israelitis, quamvis etiam illi in agno paschali figuram Christi pro nobis immolandi habuerint, & comederint.

518 Prob. 2 ex traditione Ecclesiæ, quam nobis manifestant SS. Patres & Concilia. Testimonia Patrum exhibet Bellarminus toto Libro 2 de Eucharistia, percurrens omnes ætates ac sæcula, neque vel unicus scriptor usque ad Berengarium afferri potuit, qui realem ac substantialem Christi in Eucharistia præsentiam negaret: quamprimum autem Berengarius id ausus fuit, omnes Ecclesiæ in ipsius doctrinam tanquam novam & inauditam insurrexerunt, eamque damnarunt Concilium Romanum sub Gregorio VII, Vercellense & Turonense. Idem, postquam hic error iterum recruduit, factum est a Concilio Lateranensi IV, Constantiensi, Florentino & Tridentino sess. 13 can. 1. Conf. Quamvis primi Christiani ab ethnicis tanquam voratores carnis humanæ accusarentur, nunquam tamen se purgaverunt per hoc, quod tantum manducent figuram Christi, sed Eucharistiam semper deprædicarunt tanquam stupendum quoddam miraculum, & sicut ethnicis ac catechumenis hoc mysterium solicite occultarunt, ita illud Christianis semper de reali & substantiali præsentia Christi explicarunt, neque hæc doctrina a Conciliis primum instituta,

ſed a primitiva Eccleſia ſemper credita fuit, adeoque juxta regulam S. Auguſtini ab ipſo Chriſto & Apoſtolis tradita rectiſſime creditur.

Porro ut ſenſus Patrum manifeſtius pateat, ju- 519
vat illorum de S. Euchariſtia doctrinam & argumenta ad certa quædam capita ex Bellarmino reducere. Docent itaque I. In Euchariſtia eſſe verum, & illud ipſum Chriſti Corpus, quod ex Maria natum, paſſum, mortuum & reſuſcitatum fuit, ut S. Ignatius Martyr Epiſt. ad Smyrnenſes, S. Juſtinus Martyr Apolog. 2, S. Ambroſius Lib. de init. cap. 9. II. Chriſtum vere & realiter & non tantum fide nobis commiſceri, ut S. Chryſoſtomus Homil. 3 in Matth. & Cyrillus Alexandr. in Joann. cap. 13. III. Euchariſtiam propter præſentiam Chriſti eſſe adorandam ab angelis & hominibus, ut S. Auguſtinus Epiſt. 140 ad Honorat. & Ambroſius Lib. 3 de Spirit. Sanct. cap. 13. IV. Panem & vinum dicunt mutari in corpus & ſanguinem, ſicut aqua in vinum in nuptiis Canæ, & virga Moyſis in ſerpentem mutata eſt, ut S. Cyrillus Hieroſol. catech. 4. V. Comparant præſentiam Chriſti in altari cum ea, quam habet in cœlo, & ſanguinem in calice dicunt eſſe illum, qui fluxit ex latere Chriſti, ut S. Chryſoſtomus Homil. 24 in 1 ad Cor. VI. Negant poſitive Euchariſtiam tantum eſſe figuram & imaginem Chriſti, ut S. Joannes Damaſc. Lib. 4 de fide orth. cap. 13. VII. Euchariſtiam proponunt ut plenam miraculis, & myſterium ſenſibus inacceſſum, ac ſola fide credendum, ut S. Chryſoſtomus Homil. 83 in Matth. & Cyrillus Hieroſolym. catech. 4.

Objectiones contra 1 Probationem.

520 Obj. 1. Ex una parte vera & realis existentia Christi in Eucharistia difficulter potest capi: ex altera parte aliunde constat, quod verbum *est* in Scriptura sæpe accipiatur pro *significat*, ut quando Genes. 17 v. 10 circumcisio vocatur *fœdus*, Exod. 12 v. 11 Agnus paschalis *Phase*, id est, *transitus Domini*, & ipse Christus Joann. 10 v. 7 *Ostium*, 1 ad Cor. 10 v. 4 *Petra*, Joann. 15 v. 1 *Vitis vera*: ergo etiam verba institutionis: *Hoc est Corpus*, *Hic est Sanguis* in sensu figurato possunt accipi. Resp. Transf. Ant. Neg Conf. Alias ex eodem antecedente Arianus posset inferre, in istis propositionibus sacris: *Deus erat Verbum*. *Hic est filius meus dilectus*, verbum *est* usurpari pro significat. Itaque verba sacra tunc solum in sensu improprio possunt accipi, quando illum ipsa Scriptura, subjecta materia, aut aliæ circumstantiæ indicant. Sic circumcisio statim versu sequente vocatur signum fœderis, Agnus paschalis v. 27 vocatur victima transitus Domini, & hic sensus v. 11 satis declaratur. Joann. 10 ex ipso contextu patet, quod Christus in sensu metaphorico se ostium appellaverit. S. Paulus aperte loquitur de petra spirituali; Joann. 15 statim additur: *Et vos palmites*. Præterea in objectis locis de se invicem prædicantur res disparatæ, quæ in sensu proprio evidenter non possunt esse idem, neque tropus datur in verbo seu copula, sed in subjecto vel prædicato ostium, petra, vitis. Denique Christus nunquam dixit: Ego sum hoc ostium, hæc vitis, sicut demonstrative dixit: *Hoc est Corpus meum*.

521 Dices 1. Scriptura de ipsis Sacramentis loquitur in sensu figurato, sic Luc. 22 v. 20 de Eucharistia dicitur: *Hic calix novum testamentum est*: ergo.

Conf.

Conf. Nihil eſt novum, quod nomen rei ſignificatæ tribuatur ſigno. Sic Geneſ. 41 v. 26: *Septem boves pulchræ & ſeptem ſpicæ plenæ ſeptem ubertatis anni ſunt.* Et Matth. 13 v. 38: *Bonum ſemen ſunt filii regni, zizania autem filii ſunt nequam.* Reſp. Diſt. Ant. loquitur de Sacramentis in ſenſu figurato quandoque ad explicandum eorum effectum, Conc. Ant. ad explicandam ſubſtantiam, Subdiſt. ſi ſenſus figuratus aliunde facile poteſt intelligi, Conc. Ant. ſecus, Neg. Ant. & Conſ. Quippe prorſus incredibile eſt, quod Chriſtus Sacramentum Euchariſtiæ, quoties de illo loquitur, ſemper tam obſcuris metaphoris involverit, ut nec Apoſtoli nec Eccleſia per tot ſæcula verum ſenſum potuerit deprehendere. Equidem S. Lucas vocem *calix* accipit figurate, at hoc facile a quovis intelligebatur, imo ipſemet declarat, dum addit: *Qui pro vobis effundetur.* Interim hic ipſe calix, vel potius Sanguis Chriſti in eo contentus proprie teſtamentum ſeu inſtrumentum publicum fuit, quo Divinæ promiſſiones & merita Chriſti nobis applicentur. Ad Conf. reſponſio patet ex dictis; nam & Pharao facile intelligere potuit, per ſpicas & boves in ſomno ſibi objectas aliquid aliud ſignificari, & Apoſtoli mox ad Chriſtum dixere: *Ediſſere nobis parabolam zizaniorum regni.*

Dices 2. Chriſtus Joann. 6 v. 63 Apoſtolos 522
præmonuit: *Caro non prodeſt quidquam, verba autem, quæ locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt:* ergo Apoſtoli facile potuerunt intelligere corpus Chriſti tantum ſpiritualiter ſumendum eſſe juxta illud Matth. 26 v. 11: *Pauperes ſemper habetis vobiscum, me autem non ſemper;* hinc etiam S. Petrus Act. 3 v. 21 fatetur, Chriſtum in cœlum fuiſſe ſuſceptum, *usque in tempora reſtitutionis omnium.* Conf. Apoſtoli ſciverunt Chriſtum inſtituere Sacramentum: ergo

cum omne Sacramentum sit signum & figura, sciverunt verba institutionis figurate accipienda esse; alias haud dubie tam stupendi mysterii explicationem a Christo postulassent. Resp. Conc Ant. Dist. Conf. sciebant, Corpus Christi sumendum esse spiritualiter, id est, sacramentaliter cum fide & spiritu, Conc. Conf. mere figurate, Neg Conf. Christus Joann. 6 redarguit Capharnaitas, existimantes, carnem suam daturum more aliorum animalium, quæ in macello venduntur, & dentibus laniantur: ideo v. 53 quærebant: *Quomodo hic potest carnem suam dare ad manducandum?* ex reliquis duobus textibus tantum sequitur, quod Christus non amplius sit mansurus in terra modo naturali & visibili, sicut nunc existit in cœlo, quo non obstante potest esse in Eucharistia modo sacramentali & invisibili juxta suam promissionem: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*, Matth. 28 v. 20. Ad Conf. Conc Ant. Neg. Conf. Sacramenta non sunt signa tantum vacua, & figura rei absentis, sed signa efficacia & rei præsentis; cumque Christus jam alibi sæpius promiserit, se daturum carnem suam ad manducandum, mirum non est, quod Apostoli de illius omnipotentia & fidelitate certi, in fide non hæsitaverint.

523 Dices 3. Quando Christus instituit Sacramentum Eucharistiæ, Matth. 26 v. 26 dixit: *Accipite & comedite*; atqui corpus reale Christi non potest comedi, hinc Luc. 22 v. 19 addit: *Hoc facite in meam commemorationem*, ut indicaret, se non loqui de re præsente, sed absente. Conf. Post consecrationem calicis Matth. 26 v. 19 ajebat: *Non bibam a modo de hoc genimine vitis usque in diem illam, cum illud bibam vobiscum in regno Patris mei:* ergo satis indicavit in calice consecrato fuisse vinum, non sanguinem. Resp. Conc. Maj. Dist. min. Corpus reale Christi non

non potest comedi in seipso & carnaliter, ut putabant Capharnaitæ, Conc. min. spiritualiter & sacramentaliter sub specie panis, Neg. min. Quamvis corpus Christi mediante specie panis dicatur dentibus teri, & in stomachum trajici, adeoque vere manducari, ideo tamen se non habet per modum cibi naturalis & communis, sed tantum ad animæ nutrimentum destinatum est. Porro memoria non solum habetur de rebus absentibus, sed etiam præsentibus, præsertim si sint invisibiles; hinc in Scriptura passim monemur, ut simus memores Dei, licet ubique præsentis. Imo Eucharistia reipsa conficitur in memoriam rei absentis & præteritæ, videlicet mortis & passionis Christi. Ad Conf. Cum S. Fulgentio quæst. 5 ad Ferrand. aliisque dico, verba Christi referenda esse ad calicem paschalem, quem ritu Judaico in cœna ante institutionem Eucharistiæ hauserat, ut colligitur ex S. Luca; nam Matthæus & Marcus illa non referunt suo loco. Si tamen etiam de calice Eucharistico intelligere velis, poteris dicere, quod vocetur genimen vitis, quia ex vino factus est, ejusque speciem retinet, aut per ampliationem, sicut dum Christus Matth. 11 v. 5 dixit: *Cœci vident, claudi ambulant &c.*

Obj. 2. Verba institutionis in sensu litterali, & 524
proprio non possunt verificari: ergo debent sumi in sensu figurato. Ant. Prob. Pronomen *hoc* est corpus meum, in sensu litterali non potest demonstrare 1. Panem aut species panis, quia sic propositio esset manifeste falsa. 2. Non corpus Christi; nam ipse Christus de hoc pane comedit, adeoque comedisset se ipsum. 3. Non substantiam aliquam vagam, de tali enim Christus non dixit, quod sit corpus suum. Resp. Neg Ant. Ad Prob. imprimis quæro, quid demonstrasset particula *hoc*, si Christus in nuptiis Canæ convertens aquam in vinum

vinum dixiſſet : *Hoc eſt vinum.* In forma dico, per pronomen *hoc* demonſtrari corpus Chriſti, ſed ita ut in inſtanti propoſitionis inchoatæ ſaltem reſpectu audientis illud tantum ſignificet ſub ratione confuſa ſubſtantiæ præſentis, in inſtanti vero propoſitionis completæ clare ac determinate. Quippe pronomina in eo differunt a nominibus, quod hæc ſemper ac per ſe rem determinatam ſignificent, ut e. g. panis, corpus ; illa vero ſolitarie conſiderata nihil determinate demonſtrent, donec e. g. a prædicato ad ſignificationem determinatam ac diſtinctam determinentur. Unde Chriſtus non dixit quidem, corpus ſuum eſſe ſubſtantiam vagam, attamen confuſe ac indeterminate affirmavit, quod hæc ſubſtantia ſub his ſpeciebus contenta ſit corpus ſuum. Cæterum an cum diſcipulis Euchariſtiam etiam manducaverit, ex Evangelio non conſtat ; veteres tamen omnes aſſerunt, Chriſtum in ultima cœna fuiſſe ſimul convivium & convivam, hoſtiam & Sacerdotem, quod S. Hieronymus tanquam ſummum prodigium miratur, ſicut S. Auguſtinus, quod ſe ipſum manibus portaverit, quando conſecravit.

525 Dices 1. Verba ſacramentalia juxta nos ſunt practica, & operativa : ergo pronomen *hoc* etiam in inſtanti propoſitionis inchoatæ ſignificat aliquid præſens & determinatum ; atqui tunc nihil aliud eſt præſens quam panis : ergo. Conf. Pronomen *hoc* demonſtrat id, quod Matth. 26 v. 26 Chriſtus *accepit, benedixit, fregit, deditque diſcipulis ſuis dicens : Accipite & manducate.* Sed quod accepit, benedixit &c. erat panis : ergo. Reſp. Conc. Ant. Diſt. Conſ. Pronomen *hoc* in inſtanti propoſitionis inchoatæ ſignificat aliquid præſens & determinatum in recto, Neg. Conſ. in obliquo, in quantum videlicet demonſtrat ſubſtantiam ſub his determinatis ſpecie-

ſpeciebus, Conc. Conſ. Hoc ipſum eſt diſcrimen inter propoſitiones ſpeculativas & practicas, quod illæ objectum ſuum jam ſupponant, ut cum dico: Sol lucet, Murus eſt albus; iſtæ vero objectum ſuum primum efficiant, nec ante operentur, niſi propoſitione completa. Quare pronomen *hoc* non demonſtrat panem, qui convertitur, ſed corpus Chriſti, in quod panis convertitur. Ex eadem ratione ad Conf. Neg. Maj. Quamvis enim Chriſtus acceperit & benedixerit panem vulgarem, Apoſtolis tamen dedit panem benedictum & benedictione mutatum, ut indicat verbum *benedixit*, quod inter *accepit* & *dedit* ponitur medium, facitque, ne omnia iſta regant accuſativum eodem modo ſe habentem, ſicut ſi dicas: Percuſſit aliquis Petrum, occidit, & ſepelivit, non intelligis, quod ſepeliverit vivum, tametſi vivum percuſſerit: ſane ipſi Sacramentarii fatentur, Chriſtum accepiſſe panem vulgarem, & dediſſe ſacramentalem.

Dices 2. Prædicatum hujus propoſitionis: *Hoc eſt Corpus meum*, non poteſt ſignificare corpus reale Chriſti: ergo neque pronomen *hoc* illud demonſtrare. Ant. Prob. In textu Græco, & 1 ad Cor. 11 v. 24 de corpore Chriſti legitur, quod frangatur; atqui verum corpus Chriſti non frangitur: ergo. Conſ. Ubi Vulgata de corpore ait: *Quod tradetur*, & de ſanguine, *quod effundetur*, textus Græcus loquitur de præſenti, *quod traditur, effunditur*: ergo. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Ad Prob. Conc. Maj. Diſt. min. Verum Chriſti corpus non frangitur ratione ſui, Conc. min. ratione ſpecierum ſub quibus continetur, Neg. min. & Conſ. Juxta modum loquendi in Eccleſia uſitatum ſæpe ſolemus de corpore & ſanguine Chriſti in Euchariſtia dicere, quod proprie non niſi ſpeciebus Euchariſticis convenit, imo frangere panem juxta 526

phraſim

phrasim Scripturæ idem est ac dare & distribuere. Sic Isai. 58 v. 7 dicitur : *Frange esurienti panem tuum*. Et Thren. 4 v. 4: *Parvuli petierunt panem, nec erat, qui frangeret eis*. Ad Conf. Corpus Christi duplici modo fuit traditum & sanguis effusus, uno incruento, quando Christus in cœnaculo Eucharistiam instituit ; altero cruento in cruce. Ad primum modum alludit Vulgata, ad alterum textus Græcus ; in utroque igitur sermo est de eodem corpore, licet in utroque non fuerit idem existendi & immolandi modus.

527 Dices 3. Tali modo propositio : Hoc est corpus meum, haberet idem subjectum & prædicatum ; ergo esset identica & nugatoria ; faceret enim hunc sensum : Hoc corpus meum est corpus meum. Conf. Si in hac propositione : Hic calix est novum Testamentum in meo sanguine, per calicem intelligeretur sanguis Christi, prodiret hic sensus prorsus absurdus : Hic sanguis est novum testamentum in meo sanguine : ergo. Resp. Dist. Ant. haberet idem subjectum & prædicatum a parte rei, Conc. Ant. eodem modo significatum, Neg. Ant. & Consf. Propositio tunc solum dicitur identica & nugatoria, quando ex parte subjecti & prædicati non tantum exprimit idem, sed etiam eodem modo ; alias pleræque propositiones e. g. Homo est animal rationale, Hoc est vinum, forent identicæ. Jam vero in propositione : hoc est corpus meum, per pronomen *hoc* corpus Christi ex parte subjecti tantum significatur confuse, ex parte prædicati autem distincte. Ad Conf. Neg. Ant. Sed sensus verus ac genuinus est : Hæc res in calice contenta est Testamentum consistens in meo sanguine. Cæterum licet quidam etiam ex Catholicis verba institutionis non nihil aliter explicent, nihilominus omnes in dogmate conveniunt, & realem Christi in Eucharistia præsentiam tuentur.

Obj. 3. Juxta Apoſtolum 1 ad Cor. 10 v. 3, 528
Patres antiqui eandem eſcam ſpiritualem manducaverunt, quam nos manducamus; atqui illi Chriſtum tantum manducaverunt figuraliter: ergo. Conf. Si Chriſtus in Euchariſtia realiter eſſet præſens, ad verba conſecrationis ſemper deberet de cœlo deſcendere, & dein in templis habitare, primum repugnat articulo fidei de aſcenſione Domini; alterum verbis S Pauli Act. 17 v. 24: *Deus non in manufactis templis habitat.* Reſp. Diſt. Maj. Patres antiqui eandem eſcam ſpiritualem manducaverunt quoad ſignificationem, Tranſ. Maj. quoad realitatem, Neg. Maj. *Idem in myſterio cibus & potus illorum, qui noſter, ſed ſignificative idem, non ſpecie, quia idem ipſe Chriſtus in petra illis figuratus, & nobis in carne manifeſtatus*, inquit S. Auguſtinus Epiſt. 77, & Chriſtus Joann. 6 v. 59: *Non ſicut Patres veſtri manducaverunt manna.* Vid. num. 134. Ad Conf. Neg. Maj. Ut Chriſtus incipiat exiſtere in Euchariſtia, non debet cœlum deſerere, aut per motum localem ex illo deſcendere, ſicut id non debuit facere, quando Act. 9 v. 4 & ſeq. apparuit S. Paulo, adeoque noſtrum dogma neutiquam præjudicat dogmati de Aſcenſione, ſed magis commendat perfectionem divinam, vi cujus Chriſtus per replicationem ſe poteſt ſiſtere in pluribus locis, ubi & quando vult. Verba S. Pauli proprie intelligi debent de Divinitate, quæ licet ſit ubique & peculiari modo in templis, in illis tamen proprie non habitat, quia habitare in loco ſignificat tum indigentiam loci, tum incluſionem in loco, quod repugnat vero Deo, quem Apoſtolus ab idolis diſtinguere voluit.

Dices. Quando Chriſtus Joann. 6 v. 52 dixit: 529
Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita, & v. 54: *Niſi manducaveritis Carnem filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Hæc

Hæc verba promiſſionis tantum debent intelligi in ſenſu figurato: ergo etiam verba inſtitutionis. Ant. Prob. Tum quia Chriſtus v. 56 in tempore præſenti addidit: *Caro mea vere eſt cibus, & Sanguis meus vere eſt potus*: tum quia verba promiſſionis de manducatione ſpirituali intelligunt non ſolum Doctores quidam Catholici, ſed etiam SS. Patres, adeo ut Concilium Tridentinum teſte Pallavicino Lib. 17 Hiſt. cap. 11 poſt multam Patrum altercationem ſenſum horum verborum noluerit determinare, ſed ſeſſ. 21 cap. 1 fateatur, juxta varias SS. Patrum & Doctorum interpretationes intelligi poſſe. Reſp. Neg. Ant. Nam verba promiſſionis de SS. Euchariſtia, & reali manducatione Chriſti intellexerunt imprimis Concilia, Alexandrinum præſide S. Cyrillo in epiſtola ad Neſtorium, approbata a Concilio Epheſino, Nicænum II Act. 6, & Tridentinum, licet enim de ſenſu verborum nihil explicite voluerit definire, nihilominus ſeſſ. 13 cap. 2 mirabiles Euchariſtiæ effectus ex cap. 6 Joann. probat. Dein SS. Patres tam Græci, Irenæus Lib. 4 cap. 4, Baſil. Lib. 1 de Baptiſ. cap. 3, Chryſoſtomus Homil. 43 in Joann. quam Latini, Ambroſius Lib. de initiand. cap. 18, Cyprianus de Orat. Dom. Auguſtinus ſerm. 2 de verb. Apoſt. & in cap. 6 Joann. dum igitur aliqui verba promiſſionis etiam in ſenſu myſtico exponunt, ideo non excludunt litteralem. Denique tota veneranda antiquitas, imo etiam Doctores moderni paucis tantum exceptis.

530 Nempe Joann. 6 de triplici pane fit mentio. In prima parte usque ad verſum 25 de pane materiali, ad reficienda quinque millia multiplicato. In ſecunda usque ad verſum 52 de pane ſpirituali per fidem in Chriſtum Incarnatum. In tertia parte de pane ſacramentali. Nam 1. Chriſtus ibi loquitur

quitur de futuro : *Panis, quem ego dabo.* Incarnatio autem jam erat præterita, & multi in Chriſtum credebant. 2. Chriſtus v. 56 diſtinguit inter potum & cibum, in manducatione autem ſpirituali per fidem inter potum & cibum nihil intereſt, neque obſtat, quod Chriſtus hic locutus ſit in præſenti, re enim futura jam prius demonſtrata, deinceps de illa quaſi præſente loqui ſolemus. 3. Poſtea v. 59 ait, diſcrimen inter panem hunc & manna Judæorum eſſe ſicut inter vitam & mortem : *Non ſicut manducaverunt patres veſtri manna, & mortui ſunt ; qui manducat hunc panem, vivet in æternum ;* atqui ſola figura corporis Chriſti non fuiſſet tantæ excellentiæ, cum juxta Apoſtolum 1 ad Cor. 10 v. 3 etiam Judæi per fidem Chriſtum venturum in figura mannæ comederint. 4. Quando tum Capharnaitæ, tum ipſi diſcipuli Chriſti hunc ſermonem in ſenſu litterali intellexerunt, & ideo turbati ac offenſi ſunt, Chriſtus illos non correxit, licet hunc errorem, ſi aliquis fuiſſet, facile potuiſſet dedocere. Hæc breviter inſinuaſſe ſufficiat ; ſi enim verba promiſſionis tantum in ſenſu figurato intelligenda eſſent, id aliunde deberet probari, adeoque cum verbis inſtitutionis non amplius maneret paritas.

Objectiones contra 2 probationem.

Obj. 4. SS. Patres Euchariſtiam ſæpe vocant figuram, ſymbolum, ſignum corporis Chriſti : ergo corpus Chriſti in illa non exiſtit realiter. Conf. Patres Synodi Conſtantinopolitanæ anno 754 dixerunt, Chriſtum præcepiſſe offerri panem ſui imaginem, ne idololatria ſubinduceretur : ergo tunc temporis Eccleſia credebat, ſolam figuram corporis Chriſti offerri. Reſp. Diſt. Ant. Euchariſtiam vocant figuram, ſymbolum & ſignum mere ſpeculativum

vum & vacuum, Neg. Ant. plenum ac practicum cum re significata conjunctum, Conc. Ant. Neg. Conf. Eucharistia juxta alibi dicta potest accipi, ut in recto veniant solæ species, & sic est signum corporis Christi sub humana forma visibilis, ac in cruce immolati, juxta illud 1 ad Cor. 11 v. 26: *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Synodus ista ex Iconoclastis conflata fuerat, & ejus loquendi modus 30 post annis reprobatus est a Concilio Nicæno II Act. 6, Epiphanio Diacono omnium nomine docente, nullum inter Sanctos Eucharistiam appellasse imaginem. Ipsi quoque Iconomachi videntur tantum locuti de pane ante consecrationem, alias periculum idololatriæ non declinassent, sed potius introduxissent.

532 Dices 1. Tertullianus Lib. 1 contra Marc. cap. 14 docet, quod *Christus in pane Corpus suum repræsentaverit*, & Lib. 4 cap. 4 inquit: *Christus acceptum panem Corpus suum fecit, dicendo: hoc est Corpus meum, id est, figura Corporis mei*: ergo Eucharistia est nudum signum Christi. Conf. Origenes comment. in cap. 15 Matth. panem consecratum vocat *Corpus Christi symbolicum*, illudque a vero corpore Christi diserte distinguit. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Tertullianus Lib. 1 per panem intelligit species, a quibus substantiam denominare solemus, quæ in Eucharistia nobis Christum præsentem exhibent, quo sensu verbum *repræsentare* non solum alii, sed ipse Tertullianus sæpe usurpat, Lib. 4 autem loquitur per figuram hyperbaton, secundum quam verba: *Id est figura Corporis*, non sunt referenda ad immediate præcedentia: *Corpus meum*, sed ad figuram veteris Testamenti ita, ut sensus sit, quod fuit in veteri lege figura corporis mei, nunc est corpus meum; hic enim erat scopus, quem contra

tra Marcionem probare intenderat. Ad Conf. Origenes per panem conſecratum rurſus intelligit ſpecies, & corpus typicum Chriſti a vero ſolum diſtinguit, quoad modum exiſtendi, qui utique alius eſt extra Sacramentum, quam in Sacramento. Cæterum Tertullianus Lib. de Reſurrect. carnis cap. 9 & Origenes Homil. 9 in Lib. Num. realem præſentiam Chriſti in Euchariſtia aperte agnoſcunt.

Dices 2. S. Auguſtinus Epiſt. 98 ad Bonif. ait: 533
Sicut ergo ſecundum quemdam modum Sacramentum Corporis Chriſti Corpus Chriſti eſt, ita Sacramentum fidei fides eſt: ergo Euchariſtia corpus Chriſti tantum aliquo modo repræſentat, ſicut Sacramentum baptiſmi fidem; hinc Lib. contra Adimant. Manich. cap. 12 inquit; *Chriſtum non dubitaſſe dicere: Hoc eſt Corpus meum, cum ſignum daret Corporis ſui.* Et Enarrat. in Pſalm. 3: *Chriſtum in ultima cœna diſcipulis ſuis figuram Corporis & Sanguinis ſui dediſſe.* Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. S. Doctor in 1 textu loquitur de ſpeciebus panis, quæ proprie ſunt Sacramentum ſeu ſignum ſenſibile corporis Chriſti, non vero ipſum corpus Chriſti, niſi ſecundum quemdam modum, videlicet repræſentative. In textu 2 & 3 loquitur de ſigno & figura cum re ſignificata conjuncta; licet enim Euchariſtia ſit duntaxat figura & ſignum, ſi ſumatur pro ſpeciebus externis, ſimul tamen eſt figuratum, ſi ſumatur adæquate etiam pro corpore Chriſti, quod in Euchariſtia præſens eſſe S. Auguſtinus ſerm. 71 de verb. Dom. tum alibi ſæpius, alii vero Patres apud Bellarm. tot ac tam claris textibus profitentur, ut de eorum mente nullum poſſit eſſe dubium; ne igitur in recitandis textibus videar nimius, ſolum quasdam adhuc reſponſiones generales ſubjungo.

Itaque Patres 1 quandoque diſtinguunt inter 534
corpus Chriſti in cruce, & in Euchariſtia, ſed

tantum quoad modum & accidentia. 2. Quandoque loquuntur ampliative e. g. eſſe corpus Chriſti, quod fuit panis. 3. Sæpe per naturam intelligunt accidentia, quibus res ſubſiſtunt, & quæ ſunt quædam velut natura externa. 4. Negant quandoque a peccatoribus & infidelibus manducari corpus Chriſti, nempe ſacramentaliter & fructuoſe, vel in viſibili ſpecie, ut putabant Capharnaitæ. 5. Quando dicunt, corpore Chriſti nos nutriri, id intelligunt vel de nutritione ſpirituali, vel de accidentibus, quatenus vel ipſa vim nutriendi divinitus accipiunt, vel Deus ad eorum corruptionem priorem materiam reproducit, per quam nutritio fiat. 6. Quando Patres de Euchariſtia locuti ſunt in ſenſu figurato, ideo non voluerunt excludere ſenſum litteralem. 7. Angelos perfectius frui Verbo quam nos, ideo dicunt, quia ipſi apertius vident Verbum, & quodam modo habent ipſius præſentiam. 8. Quandoque aliqui locuti ſunt obſcure & improprie, tum quia ante Sacramentariorum hæreſes ſciebant ſe in bono ſenſu intelligi, tum quia hoc myſterium infidelibus & catechumenis occultare volebant. 9. Quandoque ab hæreticis infideliter citantur, ut Chryſoſtomus comment in Pſalm. 22 & Epiſt. ad Cæſar. Gelaſius Lib. de duabus naturis.

535 Obj. 5. Doctrina de reali præſentia Chriſti in Eccleſiam primum introducta eſt ſæculo VII ab Anaſtaſio Monacho Sinaita, aut ſæculo IX a Paſchaſio Radberto Corbejenſi Abbate; dein vero faventibus ſæculi X tenebris invaluit, donec ſæculo XI Berengarius errorem in lucem produxit, ut ajunt Blondellus & Claudius Sacramentarii. Conf. Si hoc dogma primis Eccleſiæ ſæculis ita commune & conſtans fuiſſet, haud dubie illud allatraſſent pagani, & Julianus Apoſtata. Reſp. Neg. Ant.

Ana-

Anaſtaſius Lib. de fide dogma catholicum paucis tradidit, & inſtar principii apud Catholicos æque ac Eutichianos, contra quos diſputabat, notiſſimi poſuit. Paſchaſius quoque Lib. de corp. & ſang. Domin. affirmat, doctrinam de reali Chriſti præſentia eſſe totius Eccleſiæ, quin aut illi habita interim plura Concilia, aut huic Pontifices aliique viri docti, qui etiam ſæculo X floruerunt, contradixerint, quomodo autem unus aut alter monachus tantum myſterium omnibus Epiſcopis, Sacerdotibus & fidelibus perſuadere potuiſſet? Ad Conf. Supra jam adverti, Myſterium Euchariſtiæ ſtudioſe paganis occultatum fuiſſe; quamquam per apoſtatas aut Chriſtianorum mancipia & famulos ipſis non nunquam aliquid de eo innotuerit, qui ideo Chriſtianos infanticidii arguebant. Quid vero fecerit Julianus non conſtat, quia unicus illius liber apud Cyrillum Alexandr. ſupereſt, & neque iſte integer.

Dices. Quamprimum Paſchaſius librum ſuum 536
vulgavit, eidem ſtatim contradixit Ratramus, primum Corbejenſis monachus, tum Abbas Orbacenſis, Rabanus Maurus tum monachus Fuldenſis, dein Archiepiſcopus Moguntinus, & Joannes Scotus: ergo. Conf. Cyrillus Lucaris Patriarcha Conſtantinop. in profeſſione fidei, quam Batavo apud Turcas Legato dederat, doctrinam Calviniſticæ prorſus conſonam profitetur. Reſp. Quod Ratramus & Rabanus quoad ſubſtantiam doctrinæ Paſchaſio non fuerint contrarii, ſed illum tantum impugnaverint, quia putarunt, quod aſſerat eandem etiam accidentaliter carnem eſſe in Euchariſtia, quæ nata eſt ex B. Virgine, eamque immediate tangi, frangi & dentibus teri, erudite oſtendit Tournelyus, quamvis parum obeſſet, ſi etiam unus aut alter vir doctus & pius communi dogmati contradixiſſet, ut patet exemplo Cypriani & Firmi-

liani. Scotus vero pluribus erroribus fuit implicitus, & sine sectatoribus ignotus obiit. Ad Conf. Cyrillum Lucarem, postquam a sede, quam fraude occupaverat, iterum fuit dejectus & suffocatus, ob istum errorem anathematizavit Cyrillus Beroensis ejus Successor in Concilio 23 Episcoporum, & postea Parthenius in Synodo 25 Episcoporum, neque Græci Latinis etiam post exortum schisma aliud objecerunt circa Eucharistiam, nisi quod in azimo illam conficerent.

537 Obj. 6. Est indignum Majestate Divina occultari sub speciebus panis, ibique conteri dentibus, manducari a muribus, includi pixide, ac innumeris injuriis tempestatum & pessimorum hominum exponi: ergo. Conf. Esus sanguinis per legem Mosaicam severissime fuit prohibitus: ergo non est credibile, quod Christus illum Apostolis suis præceperit. Resp. Neg. Ant. Sicut juxta Calvinistas & Zwinglianos Deo neutiquam fuit indignum, quod naturam humanam passibilem & corruptibilem assumpserit, ita neutiquam indignum est, quod sub speciebus panis & vini se occultet; nam quemadmodum in passione Divinitas non fuit immutata, nec in se ipsa vulnerari, aut lædi potuit: sic corpus Christi, cum nunc sit immortale & impassibile, ita supernaturali modo in Eucharistia existit, ut nec dentibus teri, nec immediate in seipso comedi aut includi possit; sed ejusmodi actiones immediate tantum terminantur ad species, quibus pereuntibus corpus Christi cessat sub illis existere. Quod autem expositum sit variis aliis injuriis, summopere commendat immensam Christi erga homines charitatem, veluti alia passionis mysteria. Ad Conf. Imprimis esus sanguinis Judæis tantum fuit prohibitus sub specie propria & visibili, dein leges illorum ceremoniales a Christo fuerunt abrogatæ.

Dices.

Dices. Saltem tali modo panis converteretur 538
in Deum; ſed hoc eſt abſurdum: ergo. Conf. Quidquid utilitatis ex Euchariſtia in homines derivatur, poteſt haberi per nuda ſigna a Deo inſtituta; nam baptismus gratiam confert, etiamſi non convertatur in Spiritum Sanctum, & qui ſola fide Chriſtum in ſymbolo panis recipit, eundem paſſionis dominicæ fructum conſequitur. Reſp. Diſt. Maj. Panis converteretur in Deum converſione formali & immediata, Neg. Maj. converſione mediata propter naturalem concomitantiam, Conc. Maj. & ſic Diſt. min. Neg. Conſ. Panis immediate & vi verborum ſolum convertitur in corpus Chriſti, quod quia hypoſtatice unitum eſt Verbo divino, panis per concomitantiam, & mediate etiam convertitur in Chriſtum & Deum. Ad Conf. Neg. Ant. Contrarium patebit, ubi agetur de effectibus Euchariſtiæ. Ratio addita de baptismo ſolum probat, quod præſentia realis Chriſti ad impetrandam gratiam non fuiſſet abſolute neceſſaria; per fidem vero Chriſtus reipſa nobis non conjungitur, unde ſola fides nec nutrit, nec nos ſanat. Cæterum quæ circa exiſtentiam definitivam, replicationem, & accidentia abſoluta, adhuc objici poſſent, a Philoſophis ſolvuntur.

QUÆSTIO II.

Quomodo Chriſtus realiter ſit in Euchariſtia?

Dicendum 1. Chriſtus totus & integer conti- 539
netur tam ſub ſpecie panis, quam ſub ſpecie vini. Ita contra Bohemos, Luther. & Calvin. Concilium Conſtantienſe ſeſſ. 13, Florentinum in decret. ad Armen. & Tridentinum ſeſſ. 13 can. 3, ubi ait: *Si quis negaverit in V. Sacramento Euchariſtiæ ſub una-*

quaque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus separatione facta totum Christum contineri, anathema sit Nam 1. S. Paulus 1 ad Cor. 11 v. 26 simul corporis & sanguinis Domini reum illum pronunciat, qui indigne sumpserit corpus vel sanguinem. 2. S. Ambrosius Lib. de initiand. cap. 9 ait: *In illo Sacramento Christus est, quia Corpus est Christi.* S. Ephrem Lib. de non scrut. nat. Divin. cap. 5: *Agnum ipsum integrum comedis.* Similia habent S. Augustinus, Hieronymus, aliique Patres, apud Suarium in 3 part. disp. 51 sect. 1 in tertio tomo. 3. Christus resurgens a mortuis jam non moritur, & juxta commune axioma Patrum, verbum, quod semel assumpsit, nunquam dimisit; atqui corpus immortale Christi non est sine anima, sanguine, & per subsistentiam verbi inseparabiliter, & indivisibiliter subsistit; hinc fideles quando accipiunt Eucharistiam, non credunt se accipere exsangue cadaver, sed totum & integrum Christum, id est, illius corpus, sanguinem, animam, & divinitatem.

540 Interim tamen Christus sub utraque specie non continetur eodem modo, sed ut Tridentinum sess. cit cap. 3 explicat, *Corpus sub specie panis & Sanguis sub specie vini vi verborum, ipsum autem Corpus sub specie vini, & Sanguis sub specie panis, animaque sub utraque, vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, qua partes Christi Domini inter se copulantur. Divinitas porro propter admirabilem illam ejus cum Corpore & Anima hypostaticam unionem.* Ratio est, quia immediate & vi verborum solum illud sub quavis specie in Eucharistia ponitur, quod verba consecratoria, utpote practica, significant: per concomitantiam vero ponitur omne illud, quod propter naturalem connexionem sine altero, quod vi verborum ponitur, esse nequit; atqui verba consecratoria panis tantum significant corpus, & verba

verba conſecratoria vini ſanguinem, attamen nec corpus vivum ſine ſanguine, nec ſanguis vividus ſine corpore aut anima, nec corpus & anima Chriſti ſine Divinitate eſſe poſſunt : ergo.

Dicendum 2. Totus & integer Chriſtus etiam 541
ſub qualibet parte ſpecierum panis & vini continetur, non tantum ſeparatione facta, ſed etiam ante illarum diviſionem. Pars 1 conſtat tum ex Concilio Florentino & Tridentino ſeſſ. & can. cit. tum ex praxi Eccleſiæ, quælibet fragmenta hoſtiæ conſecratæ non ſecus ac integram adorantis, particulas diviſas diſtribuentis pro viatico, & fidelibus in prima Eccleſia ex eodem calice ſacrum ſanguinem propinantis, idque juxta exemplum Chriſti, Matth. 26 v. 27 dicentis: *Bibite ex eo omnes.* Pars 2 eſt communis Theologorum cum S. Thoma contra paucos, quorum opinio quamvis hæretica non ſit, quia Concilium Florentinum & Tridentinum addiderunt: *Separatione facta*, aliquibus tamen videtur errori proxima. Quippe ſi Chriſtus totus ac integer eſt ſub qualibet particula ſpecierum facta ſeparatione, in qualibet fuit præſens ante ſeparationem. Prob. Si primum poſt ſeparationem fieret præſens, tunc vel vi ſeparationis partium, vel vi conſecrationis? non primum, quia diviſio hoſtiæ nihil poteſt operari circa corpus Chriſti : non ſecundum, quia verba conſecrationis operantur totum ſuum effectum tunc, quando proferuntur, quando autem fit diviſio, non proferuntur : ergo.

Cæterum an hæc concluſio & definitio Conci 542
liorum ſolum de particulis ſenſibilibus, an vero etiam de inſenſibilibus intelligenda ſit, non conveniunt auctores. Lugo & Arriaga cum aliquibus contendunt, Chriſtum etiam in particula minima & hominum ſenſibus imperceptibili præſentem manere. Suarez diſtinguit inter Sacramentum in fieri & in

facto. Ad conficiendum Sacramentum ait requiri particulam actu sensibilem, quia alias per pronomen hoc non posset demonstrari: ad conservandum vero existimat sufficere, quod particula sit sensibilis in actu primo & remote, adeoque Christum tamdiu manere, quamdiu sub illa conservaretur panis, si adesset. Sed contradicit Gormaz, Marinus &c. Quia Sacramentum Eucharistiæ institutum est per modum cibi & potus, ac ad usum fidelium: cum igitur hic finis cesset, quando particula non amplius actu est sensibilis, Christus videtur desinere sub illa existere; alias si species e. g. vini calefactæ evaporarent, & naribus adstantium, vel etiam canum attraherentur, ibi adhuc Sacramentum existeret. Nec obstat, quod particula separata quandoque iterum possit conjungi aliis particulis consecratis & cum illis sensibilis fieri; hoc enim est mere per accidens, nec a Christo attendi videtur.

543 Dices 1. Verba consecrationis in tantum operantur, in quantum significant, sed respectu panis significant solum corpus, & respectu vini solum sanguinem Christi; hinc si Apostoli in triduo mortis Christi Eucharistiam consecrassent, corpus fuisset sub specie panis sine sanguine, & sanguis sub specie vini sine corpore. Conf. Quamvis solum corpus jacuerit in sepulchro, tamen Christus dicitur jacuisse in sepulchro: ergo. Resp. Dist. Maj. Verba consecrationis in tantum operantur immediate & formaliter, in quantum significant, Conc. Maj. præcise tantum operantur etiam per concomitantiam, Neg. Maj. Cum sequela addita non est paritas; nam in triduo mortis Christi inter ipsius corpus & sanguinem non dabatur connexio; hinc Tridentinum sess. 13 cap. 3 expresse loquitur de corpore & sanguine Christi post resurre-

ſurrectionem. Nihilominus in triduo mortis tam corpus quam ſanguis manſit unitus Divnitati, adeoque adoranda fuiſſent. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Quando Chriſtus dicitur jacuiſſe in ſepulchro, vel propoſitio ſumitur ampliative, vel potiſſimum attenditur ad divinum ſuppoſitum; at Concilia & Patres expreſſe docent, Chriſtum integrum eſſe ſub qualibet ſpecie, illum non amplius mori, nec dimittere, quod ſemel aſſumpſit.

Dices 2. Si Verbum Divinum ponitur in Eu- 544
chariſtia per concomitantiam, in ea etiam poneretur Pater & Spiritus Sanctus; ſed hoc non poteſt dici; alias panis etiam converteretur in Patrem & Spiritum Sanctum, & uterque cum Verbo comederetur. Conf. Chriſtus dixit: *Hoc eſt Corpus meum:* ergo Verbum ſub ſpeciebus ponitur vi verborum. Reſp. Conc. Maj. Neg. min. cum ratione addita, quia inter tres perſonas datur Summa Unitas in natura, juxta communiorem etiam Pater & Spiritus Sanctus per concomitantiam in Euchariſtia ponuntur, & novo modo ita præſentes ſunt, ut ſi per impoſſibile non eſſent ubique, nihilominus eſſent in Sacramento. Quare tota SS. Trinitas in Euchariſtia adoratur quidem, non tamen ideo panis in totam SS. Trinitatem convertitur, aut tota Trinitas manducatur, quia iſtæ denominationes tantum ſolent tribui illi, quod pani & vino immediate ſuccedit; hoc autem eſt ſolum corpus & ſanguis Chriſti, ac per communicationem idiomatis Filius immediate cum corpore & ſanguine unitus. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Nam poſſeſſor etiam abſens poteſt rem vocare ſuam, adeoque to *meum* non indicat Verbum Divinum ut præſens, neque ipſum corpus ſignificatur ut ſubſiſtens; quando enim ſermo eſt de corpore, ut eſt pars hominis, non indicatur ejus perſonalitas, ſed natura.

Dices

545 Dices 3. Eſt inexplicabile, quomodo totum corpus Chriſti poſſit eſſe in omnibus hoſtiis conſecratis, & in cujuslibet minima particula; nam tali modo partes corporis Chriſti deberent inter ſe compenetrari, cum in tam parvo ſpatio nequeant eſſe extenſæ, & una extra alteram poſita. Reſp. Cum in rebus naturalibus multa, quæ ſub ſenſus cadunt, & certo dantur e. g. æſtus marinus, vis magnetica, ſatis explicari nequeant, quid mirum, ſi ſupernaturalia, & ſenſibus noſtris abſcondita ſatis capere non valeamus: *Demus igitur*, inquit S. Auguſtinus Epiſt. ad Voluſianum, *Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inveſtigare non poſſe, in talibus tota ratio facti eſt potentia facientis.* Interim Bellarm. Tournel. aliique putant, quod corpus Chriſti in Sacramento exiſtat definitive & modo ſpirituali ſine ſui replicatione & totum in ſingulis partibus. Econtra juxta P. Simonet & Antoine corpus Chriſti cum figura & ordine ſituali omnium ſuarum partium vi verborum conſecrationis ponitur ſub omnibus & ſingulis moleculis ſenſibilibus ſpecierum, quia non videtur repugnare Deo, ut partes corporis organizati cum figura & ordine ſituali ponat ſub extenſione minori & minori in infinitum, eoquod nullum punctum phyſicum materiæ eſſentialiter exigat determinatam extenſionem.

546 Dices 4. Juxta hanc ultimam reſponſionem corpus Chriſti in ſingulis particulis multiplicaretur, fere ſicut imagines in particulis ſpeculi confracti. 2. Chriſtus in Euchariſtia nihil poſſet agere, ſed eſſet inſtar idoli oculos habentis, & non videntis. Reſp. ad 1. Licet tali modo corpus in eadem hoſtia ſæpius replicaretur, ſemper tamen eſſet idem numero corpus, quemadmodum homo replicatus in ſingulis aulæ partibus, eſſet unus ac totus in ſingulis partibus ac in tota aula: at in pluribus ſpeculi

culi confracti particulis ſemper fiunt aliæ diſtinctæ reflexiones, ex quibus phyſice novæ imagines reſultant. 2. Communior contra Cardinalem Cienfuegos admittit, Chriſtum in Euchariſtia reſpectu vitæ ſenſitivæ ſe habere mortuo quodam modo, eo quod organa corporis non habeant ſufficientem extenſionem ad impreſſionem e. g. ſoni, luminis &c. recipiendam, aliasque operationes ab organis dependentes eliciendas. Ideo autem Chriſtus ſe non habet per modum idoli, tum quia non eſt res inanimata, ſed homo Deus, tum quia nihilominus poteſt elicere actus vitales ab organis corporeis independentes; nam & per ſcientiam infuſam omnia cognoſcit, & per ſcientiam beatam Deum intuitive videt, & fruitive amat. Porro quod Chriſtus localiter moveri poſſit ab alio, qui ſpecies de loco in locum transfert, inde eſt, quia vi decreti divini corpus eſt inſeparabile a ſpeciebus, donec corrumpantur; interim tamen ejusmodi motus localis reſpectu Chriſti non eſt actus vitalis.

QUÆSTIO III.

Quando Chriſtus in Euchariſtia ſit realiter præſens?

Dicendum. Chriſtus in Euchariſtia jam eſt præ- 547
ſens ante actualem ſumptionem, adeoque Sacramentum hoc non tantum conſiſtit in uſu, vel actione transeunte, ſed in re permanente. Concluſio contra ſectarios num. 516 relatos eſt definita a Concilio Tridentino ſeſſ. 13 can. 4. Prob. 1 auctoritate Scripturæ. Chriſtus Matth. 26 v. 26 & 27 hæc verba: *Accipite, & comedite, hoc eſt Corpus meum, Bibite ex hoc omnes, hic eſt enim Sanguis meus*, protulit, antequam diſcipuli manducaverunt & biberunt; atqui

qui hæc verba ſtatim operabantur, & vera erant; vera autem eſſe non poterant, niſi jam tunc corpus & ſanguis Chriſti præſens fuiſſet: ergo. Minor patet, Maj. ulterius prob. Quia verba illa *Comedite, Bibite,* continent invitationem, verba ſubjecta vero: *Hoc eſt Corpus meum, Hic eſt enim Sanguis meus,* continent motivum edendi & bibendi, ut colligitur ex addita particula cauſali *enim;* jam vero motivum Apoſtolis debuit prius proponi, & ab illis percipi, quam comederent, & biberent, ut intelligerent, ſe non tantum accepturos panem communem & vinum commune, ſed ipſum corpus & ſanguinem Domini. Hinc S. Paulus 1 ad Cor. 10 v. 16 ait: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis eſt? & panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini eſt?*

548 Probatur 2 ex traditione Patrum & praxi Eccleſiæ, quam ipſe Calvinus Lib. 4 Inſtit. cap. 17 fatetur; nam 1. Tertullianus Lib. 2 ad uxor. cap. 51, S. Cyprianus Tract. de lapſis, S. Baſilius Epiſt. 289 teſtantur, quod Euchariſtia olim tradita fuerit fidelibus & eremicolis domi aſſervanda, & pro opportunitate ſumenda. 2. Teſte S. Juſtino apolog. 2, S. Irenæo Lib. 5 Hiſt. cap. 24, S. Gregorio Magno Lib. 3 dialog. cap. 3 delata fuit ad ægrotos, & abſentes, qui rei divinæ intereſſe non poterant; imo etiam ab uno Epiſcopo miſſa ad alterum in ſignum mutuæ fidei & charitatis. 3. Eandem in publico Sacrario aſſervatam fuiſſe, patet ex Concilio Lateranenſi IV can. 20, & Nicæno I can. 13, idque probant turriculæ, quæ in antiquis Eccleſiis Ulmæ, Ratisbonæ, aliisque adhuc videntur. Neque juvat cum Dallæo dicere, Euchariſtiam tantum ideo fuiſſe fidelibus domum conceſſam, aut in templis aſſervatam, ut occurrente neceſſitate per ipſam manducationem, & uſum Sacramentum fie-

ret; quippe juxta ipſos ſectarios Euchariſtia fit a miniſtro per verba conſecrationis, & a fidelibus jam ante uſum adorabatur, ac paſſim corpus Domini Sacramentum fidelium &c. vocabatur. Nempe Sacramentum Euchariſtiæ ab aliis in hoc differt, quod reliqua vim ſanctificandi primum habeant, cum quis illis utitur, in Euchariſtia vero ipſe ſanctitatis auctor jam ſit ante uſum, ut docet & probat Concilium Tridentinum ſeſſ. cit. cap. 3.

Objectiones.

Obj. 1. S. Matthæus cap. 26 v. 26 ait: *Cœnantibus autem eis accepit JEſus panem, benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: accipite & comedite, hoc eſt Corpus meum.* Et S. Marcus cap. 14 v. 23: *Accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes, & ait: hic eſt ſanguis meus:* ergo Apoſtoli jam ante conſecrationem manducaverunt, & biberunt Euchariſtiam. Conf. Verba S. Matthæi habent hunc ſenſum: Hoc quod accepi, quod benedixi, quod fregi, quod dedi, eſt corpus meum: ergo Euchariſtia conſiſtit in iſtis quinque actionibus. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Sicut ex hoc, quod S. Marcus conſecrationem calicis referat ante conſecrationem panis, non ſequitur, quod calix ante panem fuerit conſecratus; ſic ex ordine narrationis Matthæi & Marci non poteſt inferri, quod Chriſtus verba conſecrationis primum poſt ſumptionem protulerit, alias ne quidem adfuiſſet in ipſa ſumptione, quod eſt contra Lutheranos. Nempe ſacri Scriptores non ſemper anxie obſervant ordinem rei geſtæ, ſed aliquando per anticipationem poſteriora prioribus anteponunt; ſenſus autem verborum ex circumſtantiis debet colligi. Adde quod S. Lucas cap. 22 v. 20, & S. Paulus 1 ad Cor. 11 v. 25 conſecrationem calicis expreſſe referant ante ſumptio-

549

ſumptionem. Ad Conf. Neg. Ant. tum quia Chriſtus verba conſecrationis protulit ante ſumptionem, ut probavi: tum quia Chriſtus alias poſt peractas iſtas quinque actiones non amplius eſſet præſens, quod manifeſte pugnat cum traditione Patrum & praxi Eccleſiæ.

550 Dices 1. Chriſtus præſentiam ſui corporis ſolum promiſit ſub conditione implendi præcepti; nam hæc verba: *Accipite & comedite*, continent præceptum, iſta vero: *Hoc eſt Corpus meum*, promiſſionem: ergo licet hæc ultima verba fuerint prolata ante manducationem, tamen non fuerunt verificata, donec per manducationem fuit purificata conditio. Conf. Chriſtus diſcipulis ſuis præcepit, ut ſtatim comederent, nullibi autem juſſit, ut Euchariſtia ſervetur, adoretur, ad ægrotos deferatur. Reſp. Neg. Ant. Nam propoſitio: *hoc eſt Corpus meum*, habet ſenſum abſolutum, & particula *enim* clare ſignificat propoſitionem cauſalem, non promiſſoriam, neque promiſſio ſatis convenit cum pronominibus demonſtrativis *Hoc*, *Hic*, aut cum verbo præſentis temporis *Eſt*. Ad Conf. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Quamvis Chriſtus Apoſtolis præceperit, ut Euchariſtiam ſumerent ſtatim, quia tunc urgebat ejus præceptum, ferme ſicut dum Sacerdotes in ſacrificio communicare debent; nullibi tamen juſſit, ut ſemper in tota Eccleſia ſtatim manducetur, nec ſervetur in ſacrario, adoretur &c. Imo contrarium conſtat ex praxi Eccleſiæ, eſtque aſſervatio Euchariſtiæ valde utilis ad illius finem & cultum, qui teſte S. Auguſtino Lib. 20 contra Fauſtum tantus in antiqua Eccleſia fuit, ut Gentiles ſuſpicarentur a Chriſtianis coli Cererem & Bachum.

551 Dices 2. Origines Homil. 5 in cap. 7 Levit. ait: *Quæ ad ſacrificium & laudes Dei pertinent, nova & recentia eſſe debere; nam Dominus panem, quem diſci-*

pulis

pulis dabat, non distulit, nec servari jussit in crastinum S. Cyprianus Tract. de cœna Dom. *Panem Eucharisticum recipi, non includi.* S. Hieronymus in cap. 11, 1 ad Cor. *Quæcunque de sacrificiis superfuissent, illic in Ecclesia communem cœnam comedentes pariter consumebant.* Resp. Quod Eucharistia, prout est sacrificium, semper de novo offerri debeat, ipsi Catholici dicunt, idque solum probare volebat Origenes, at non asserit, quod omnia, quæ Christus in cœna fecit, semper præceperit fieri, imo ipsius ætate Eucharistiam servatam esse, constat ex S. Cypriano Tract. de lapf. At Tractatum de cœna Domini non esse S. Cypriani sed Arnaldi Bonævallis consentiunt eruditi, quamquam etiam iste non neget Corpus Domini includi in pixide, sed solum velit, non includi ita, ut non sit etiam in aliis hostiis consecratis & in qualibet earum parte. Pariter commentarii in 1 ad Cor. non sunt S. Hieronymi, sed Pelagii Hæresiarchæ, qui tamen plus non videtur voluisse, quam quod Eucharistia non sit asservanda diu, ne species vitium contrahant.

Ob. 2. Traditio non debet desumi ex praxi 52
hominum privatorum, sed totius Ecclesiæ; atqui celeberrimæ Ecclesiæ prohibuerunt Eucharistiam asservari; nam 1. Teste Hesichio Lib. 2. in Lev. in multis Ecclesiis Orientis particulæ Eucharistiæ post sacrificium superstites igni tradebantur, quod etiam p. 2 Decret. cap. 22. præcepit Concilium Aurelianense. 2. Teste S Clemente Epist. 2 sacræ reliquiæ Dominici Corporis a Clericis. 3 In Ecclesia vero Constantinopolitana a pueris innocentibus absumi debuerunt, ut testatur Nicephorus Lib 17 Hist. cap. 25, & Evagrius Lib. 4. cap. 35, quem morem etiam amplexi sunt Patres Concilii Matisconensis II Can. 6. Resp. Ex allatis testimoniis constat quidem, illas particulas fuisse igne combustas, vel Clericis aut pueris datas, quæ sine periculo

corruptionis diutius ſervari non poterant, vel ex publica communione, & fidelium oblationibus ſuperérant; at ex nullo probatur, quod non prius aliquæ in gratiam infirmorum fuerint ſepoſitæ, aut ad abſentes miſſæ, & ab ipſis fidelibus domum aſportatæ. Imo Heſſichius ſatis indicat, Euchariſtiam aſſervatam fuiſſe, dum ait: *Eſt locus ſanctus altare, ibi enim Sanctum Sanctorum requeſcit.* Similiter S. Clemens, vel quisquis fuit auctor citatæ epiſtolæ, inquit, miniſtros debere aram corporis Dominici cuſtodire, ne putredo in ſacrario inveniatur. Concilium Matiſconenſe denique ſtatuit, pueros, qui reliquias Euchariſtiæ conſumant, ſolum feria 4 & 6 advocandos eſſe.

553 Dices 1. Concilium Cæſar-Auguſtanum anno 381 Can. 3, & Toletanum anno 400 Can. 14 prohibuerunt, ne Euchariſtia detur privatorum manibus domum referenda; Humbertus quoque Cardinalis Sæculo XI diſputans contra Græcos, eos reprehendit, quod Euchariſtiam aſſervarent, S. Udalricus in conſuetud. Cluniac. eodem ſæculo teſtatur, ab ipſis nihil de Euchariſtia reſervatum fuiſſe. Reſp. Mos antiquus, quo fideles Euchariſtiam domum aſportare ſolebant, a dictis Conciliis prohibitus eſt, quia tunc Priſcillianiſtæ occulte ſe immiſcebant Catholicis ad ſacram Synaxin accedentibus, ut colligitur ex Concilio Toletano II Can. 11. Nec tamen lex iſta ubique obtinuit; nam mos iſte adhuc duravit tempore S. Gregorii, ut patet ex Lib. 3 dialog. cap. 33, & V. Bedæ Lib. 4 Hiſt. cap. 24. Cardinalis Humbertus Græcos ſolum reprehendit, quod per quadrageſimam celebrarent miſſas imperfectas, id eſt, ex hoſtiis die Dominica præcedente jam conſecratis. Udalricus agit tantum de illa Euchariſtiæ portione, quæ pro die Paraſceves ſervata fuerat, & hac ipſa die tota conſumebatur.

Dices

Dices 2 In ipsa Germania Sæculo XV non vi- 554
guit mos Euchariſtiam ſervandi in ſacrario, ut colligitur ex doctrina Gabrielis Biel, inſignis inter Germanos Theologi, qui Lect. 36 in Can Miſſæ ſic loquitur: *Poſtquam Chriſtus Corpus ſuum conſecravit, non ſiſtebat in conſecratione, neque dedit Diſcipulis, ut honorifice ſervarent, ſed dedit in ſui uſum.* In Ecclesia Æthiopica vero dicunt Euchariſtiam etiamnum non aſſervari, & Concilium Toletanum XVI Can. 6 docet, *Modica oblata eſſe offerenda*, nimirum ut nihil ex eis maneat ſuperſtes. Reſp. Gabriel Biel ut Chriſtianos ad ſacram Communionem incitet, ſolum docet, multo amplius prodeſſe Euchariſtiam, cum reipſa manducatur, quam cum in pixide aſſervatur: *Non tantum*, inquit, *prodeſt Corpus Chriſti in pixide conſervatum, ſicut ablatum & ſumptum in vera fide & devotione.* Æthiopes, cum ſint ſchismatici, parum pro aliis ſectariis probant, & fors ipſis non videtur neceſſarium Euchariſtiam aſſervare, cum illam omnes etiam laici bis in hebdomade percipere debeant. Denique Patres Toletani expreſſis verbis teſtantur Euchariſtiam aſſervari, & ſolum ideo modica oblata volunt conſecrari, ut commodius ſerventur, nec communicantium ſtomachum gravent.

Obj. 3. Natura & conditio Sacramenti debet 555
dignoſci ex verbis & fine inſtitutionis; ſed verba *accipite* & *manducate* indicant actionem & uſum: ergo Conf Sicut Chriſtus Matth. 28 v. 19 dixit: *Baptizate omnes Gentes:* ſic Matth. 26 v. 26 dixit, *Accipite & manducate:* ergo ſicut baptiſmus conſiſtit in actione, ſic Euchariſtia. Reſp. Diſt. Maj. Natura & conditio Sacramenti debet dignoſci ex verbis eſſentialibus, & ſine quibus finis non poteſt obtineri, Conc. Maj. aliter, Neg Maj. & ſic Diſt. min. Conſ. Verba *accipite & manducate* tantum continent mandatum Chriſti; verba autem aſſentialiter

requiſita ſunt ſola illa, quæ neceſſario conſtituunt formulam conſecrationis, qua poſita finis Euchariſtiæ jam poteſt obtineri, etſi actualis uſus non ſtatim ſequatur. Porro licet ſumptio ſit finis præcipuus Euchariſtiæ, non tamen eſt unicus, ut notavi num. 550. Ad Conf. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Verba citata probant quidem Chriſtum utriusque Sacramenti uſum præcepiſſe, at non probant unum æque ac alterum in ipſo uſu conſiſtere, quod enim in baptiſmo & cæteris quinque Sacramentis effectio ab uſu non diſtinguatur, ex ipſis formis colligitur, dum e contrario Euchariſtia ad ſui uſum præſupponitur; conſiſtit enim in Corpore & Sanguine Chriſti, tanquam cibo ſpirituali, & ejus effectio in conſecratione.

556 Dices. Omne Sacramentum debet eſſe ſignum practicum gratiæ ſanctificantis; atqui Euchariſtia non eſt tale ſignum niſi in uſu, extra quem, nec actu ſignificat, nec nutrit: ergo. Conf. Licet oleum ſignificet corroborationem, non habet rationem Sacramenti, niſi in ipſa applicatione: ergo a pari. Reſp. Conc. Maj. Neg. min. Cum corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis exiſtens habeat rationem cibi ſpiritualis, actu gratiam ſanctificantem, & nutritionem ſpiritualem ſignificat, quamvis ante applicationem neutram in actu ſecundo conferat, quod ne quidem requiritur ad illa Sacramenta, quæ in actuali uſu conſiſtunt; nam de fide eſt, baptiſmum eſſe Sacramentum in hæreticis aliisque peccatoribus, qui illum ſuſcipiunt cum obice gratiæ. Ad Conf. Diſt. Ant. ſignificat corroborationem naturalem, Conc. Ant. ſpiritualem per gratiam, Neg. Ant. & Conſ. Nam hanc ſignificationem tantum habet ex inſtitutione Divina, & ad illam primum determinatur per formam Sacramentalem. Econtra Euchariſtia ad eſſe cibum ſpiritualem jam ante uſum deter-

determinata est, neque Christus circa oleum, aquam &c. unquam talia verba demonstrativa protulit, sicut supra panem & vinum: *Hoc est Corpus meum. Hic est Sanguis meus.*

QUÆSTIO IV.

An præter Corpus & Sanguinem Christi in Eucharistia etiam sit panis & vinum?

Quæstionem hanc alii ita proponunt, an in Eu- 557
charistia detur vera transsubstantiatio? per quam intelligitur conversio unius substantiæ in aliam, adeoque in mysterio Eucharistiæ, conversio totius panis & vini in substantiam Corporis & Sanguinis Christi, remanentibus solis speciebus tanquam communi medio. Conversio hæc definita fuit in pluribus conciliis. sæculo XI. in duobus Romanis contra Berengarianos, Sæculo XIII in Lateranensi IV contra Albigenses, Sæculo XV in Constantiensi contra Wicleffum, dein in Florentino, ac tandem omnium clarissime in Tridentino, quod Sess. 13. Can. 2 contra Lutheranos ita statuit: *Si quis dixerit in SS. Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis & vini una cum Corpore & Sanguine Domini nostri JEsu Christi, negaveritque mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem manentibus duntaxat speciebus panis & vini, quam quidem conversionem Catholica Ecclesia optime transsubstantiationem appellat, anathema sit.* Dissentiunt nihilominus Auctores quidam Catholici circa modum, veritatem hanc probandi & exponendi, quos redarguit Vasquez & Petrus Lombardus.

 Dicen-

558 Dicendum. In Euchariſtia cum ſanguine & corpore Chriſti non manet ſubſtantia panis & vini, ſed datur vera transſubſtantiatio. Prob. 1 ex verbis inſtitutionis; nam hæc propoſitio Chriſti: *Hoc eſt Corpus meum*, juxta verborum proprietatem & mentem Patrum nullum alium ſenſum poteſt habere quam iſtum: Hæc res, quæ nunc ſub ſpecie panis continetur, non amplius eſt panis, ſed Corpus meum, ſicut ſi Chriſtus, dum aquam convertit in vinum, dixiſſet: Hoc eſt vinum, quivis intelligeret, quod non amplius adſit aqua, ſed ſolum vinum, in quod mutata eſt. Conf. Senſus proprius dictæ propoſitionis non poteſt eſſe. 1. Hic panis eſt Corpus meum; neque enim corpus Chriſti cum pane identificatur, aut hypoſtatice unitur, ut contra impanatores communiſſime fatentur Lutherani; alias inter corpus Chriſti & panem daretur communicatio idiomatum, quod per ſe abſurdum eſt. Non 2. Hic panis continet corpus Chriſti; nam hic ſenſus non minus eſſet improprius, deceptorius & inſuſpicabilis, quam ſenſus Calvini & Zwinglii, Hic panis eſt figura Corporis mei, quem ipſi conſubſtantiatores rejiciunt. Imo cum panis neque ex natura ſua, neque ex inſtitutione hominum ſit ordinatus, ut tanquam vas & involucrum corpus Chriſti contineat, pronomem *hoc* non demonſtraret corpus Chriſti ſed panem, adeoque Chriſtus potius dicere debuiſſet: Hic eſt Corpus meum. Certe dum ex mortuis reſurgens per lapidem ſepulchralem tranſiit, nemo demonſtrans lapidem cum veritate potuiſſet dicere: Hoc eſt corpus Chriſti.

559 Probatur 2 traditione & auctoritate Patrum tam Latinorum quam Græcorum, qui licet voce *tranſubſtantiatio* uſi non ſint, verbis tamen æquivalentibus eandem clare aſſeverant; docent enim

I. Panem Eucharisticum non esse communem, sed esse corpus Christi, & quidem verum, proprium & naturale, quale natum est ex B. Virgine, ut num. 519 jam adverti. II. Christum panem fecisse suum Corpus. Ita Tertullianus Lib. 4 contra Marc. cap. 40, & S. Cyrillus Hierosolymit. catech. 1 Mystag. III. Post Verba Christi non super esse naturam seu substantiam panis. Ita S. Chrysostomus Homil. 24. in 1 ad Cor. S. Hilarius Lib. 8 de Trinit. IV. Panem & vinum converti, mutari, transmutari in Corpus & Sanguinem Christi. Ita S. Ambrosius Lib. de init. cap. 9, S. Joannes Damascenus Lib. 4 de fide cap. 13, S. Chrysostomus Homil. 83 in Matth. Textus Patrum recitat Bellarm. Lib. 7 cap. 30, & Tournelyus quæst. 3 de Euchar. art. 3. Audiamus tantum unum aut alterum. S. Cyrill. Hierosolym. catechesi 4 ait: *Hoc pro certo habemus, panem hunc, qui videtur a nobis, non esse panem, sed Corpus Christi.* Eusebius Emiss. Homil. 4 de paschat. *Antequam invocatione Summi Nominis consecrentur* (creaturæ altaribus impositæ) *substantia illic est panis & vini, post verba autem Christi Corpus & Sanguis est Christi.* Gregorius Nyss. in Orat. catechet. cap. 37: *Panis statim per verbum transmutatur, sicut dictum est a Verbo: Hoc est Corpus meum.* S. Anselmus Epist. 106. Lib. 4: *Nec dubitare debet aliquis, quomodo panis in verum Corpus Christi convertatur, ita ut panis substantia non remaneat, cum multa alia non minus miracula videantur.*

Objectiones contra 1 Probationem.

Obj. 1. Ad veritatem formæ consecratoriæ 560
non requiritur transsubstantiatio: ergo ex verbis institutionis non evincitur nostrum dogma. Ant. Prob. 1. de ferro candente vere dicitur: Hic est

 ignis,

ignis, quin ferrum in ignem mutetur. 2. Demonstrato dolio vino referto, aut bursa auro plena, dici potest: Hoc est vinum, Hoc est aurum, licet adsit duplex substantia: ergo. Resp. Neg. Ant. Ad Prob. 1 pronomina demonstrativa denotare solent illas substantias, ad quas maxime pertinet apparentia exterior, hæc autem in ferro candente maxime pertinet ad ignem, econtra si in Eucharistia remaneret substantia panis, apparentia exterior maxime pertineret ad panem. Ad Prob. 2 Pronomen hoc promiscue quidem demonstrare potest rem contentam vel continentem, si res contenta sit unica, & continens ad illam continendam destinata, uti dolium ad continendum vinum, & bursa ad continendum aurum destinata sunt; at panis non est ordinatus ad continendum corpus Christi, neque juxta adversarios res sub speciebus contenta esset unica, sed duplex & disparata: ergo licet possit dici: Hoc dolium est vinum, nequit tamen cum veritate dici: Hic panis est Corpus; imo neque dici potest: Hoc est corpus Christi & panis; quippe Christus in verbis institutionis nullam prorsus mentionem de pane fecit, sicut tamen facere debuisset Si enim in bursa simul lateret argentum & aurum, male diceretur: Hoc est aurum, Hoc est argentum, sed deberet dici: Hoc est aurum & argentum.

561 Dices 1. Christus ipse panem tanquam vas ad continendum Corpus suum instituit, idque facile intelligere potuerunt Apostoli, quos Joann. 6. v. 35 præmonuit dicens: *Ego sum panis vitæ*; hinc Eucharistia passim & ab ipso Apostolo 1 ad Cor. 10 & 11 panis & vinum vocatur. Conf. Licet in Eucharistia præter Corpus adsit Anima & Divinitas illius, tamen forma consecrationis est vera: ergo. Resp. Neg. Ant. quod prorsus gratis fingitur contra men-

mentem Patrum & fidelium, quorum aures offenderet, qui diceret, micam panis eſſe vas a Chriſto inſtitutum ad continendum Corpus ſuum, neque ex textu S. Joannis diſcipuli hoc colligere potuerunt, cum enim ibi Chriſtus addiderit vitæ ſeu panis vivus, facile intellexerunt, propoſitionem hanc in ſenſu metaphorico intelligendam eſſe, dum vero v. 52 dixit: *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt*, omnes in ſenſu litterali intellexerunt; atqui non potuerunt aliter intelligere, quod panis ſit corpus Chriſti, quam per converſionem, ut probatum eſt. Hinc Euchariſtia ſolum vocari ſolet panis & vinum ampliative, & quia retinet figuram panis, ſicut Exod. 7. v. 12 virga Aaronis in ſerpentem converſa adhuc vocatur virga, & ſtatua Geneſ. 19. v. 26 adhuc dicitur uxor Loth. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Nam forma conſecrationis ad ſignificandam animam ſufficienter determinatur per pronomen poſſeſſivum *meum*, id eſt, Chriſti Corpus, quod tunc habebat, & cum anima & Divinitate unitum fuerat.

Dices 2. Quamvis in Chriſto ſint duæ natu- 562
ræ, nihilominus vere dicitur: Hic homo eſt Deus, quin homo in Deum debuerit converti: ergo licet in Euchariſtia detur ſubſtantia panis & Corporis Chriſti, Chriſtus vere potuit dicere: Hoc eſt Corpus meum. Conf. Quia de Sacramento ſeu ſigno rem ſignificatam continente, res ſignificata vere poteſt affirmari e. g. de columba ſupra caput Chriſti baptizati apparente, aut de linguis ignitis die Pentecoſtes ſuper Apoſtolos delapſis vere potuit dici: Hoc eſt Spiritus Sanctus. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Quando homo dicitur Deus, id ſit propter unionem hypoſtaticam, & in recto importatur ſubſiſtentia, quæ reſpectu naturæ humanæ & Divinæ eſt eadem, econtra in Euchariſtia panis

& corpus Christi hypostatice non uniuntur, hinc nisi daretur conversio, subjectum & prædicatum essent substantiæ disparatæ; imo licet panis fingeretur hypostatice cum Verbo unitus, nondum esset verum, quod panis sit corpus Christi, sicut cum veritate dici nequit: corpus Christi est Anima Christi. Ad Conf. Dist. Ant. de signo potest res contenta & significata affirmari, si per effectus sensibiles se prodat, adeoque præcipue vel unice attendatur, & exprimatur, Conc. Ant. si se nullo modo exterius prodat, ut fit in Eucharistia, Neg. Ant. Quis enim v. g. de baptismo vel manuum impositione recte dicat: Hoc est Spiritus Sanctus? aut quis id de qualibet columba affirmarit: negatur itaque suppositum, quod substantia panis, quæ utique non videtur, sit signum sensibile Sacramenti.

563 Dices 3. De ratione cujuslibet Sacramenti est habere materiam & formam, & per signum sensibile significare gratiam: ergo ipsa substantia panis debet adesse tanquam materia, & signum sensibile refectionis; nam ut S. Augustinus tract. 80 in Joann. ait: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Conf. Juxta nos verba Christi haberent hunc sensum: Hoc fit Corpus meum; atqui iste sensus est improprius: ergo. Resp. Dist. Ant. de ratione Sacramenti est habere materiam & formam sibi proportionatam, Conc. Ant aliter, Neg. Ant. & Conf. Quamvis panis sit materia remota Eucharistiæ in fieri, adeo tamen rationi hujus Sacramenti non obest, si hæc materia per consecrationem destruatur, ut inde potius perficiatur, & a parte rei id fiat, quod significatur. Unde signum visibile spiritualis refectionis in Eucharistia in facto esse sunt accidentia, quæ alias sunt signa naturalia illius substantiæ, quæ reficit; hinc S. Augu-

Augustinus vel loquitur tantum de materia remota, vel per elementum intelligit quodlibet signum sensibile. Ad Conf. Neg Maj. Verba institutionis formaliter & directe tantum significant præsentiam realem corporis Christi sub speciebus panis, hujus vero conversionem consecutive; ista vero propositio: Hoc sit Corpus meum, formaliter & directe significat conversionem panis in corpus Christi, & realem Christi præsentiam tantum consecutive.

Obj. 2. Si tota substantia panis & vini destrui- 564
tur, tam parum datur vera conversio, ac si Deus totum Petrum destrueret, & ejus loco produceret Paulum: ergo ex ipsa natura conversionis sequitur, quod debeat remanere panis & vinum, vel saltem illorum materia, ut vult Durandus Conf. Si ex pane fieret corpus Christi, de novo produceretur, vel saltem augmentaretur vel alteraretur; hoc indignum: ergo. Resp. Neg. Ant. Nam in posito casu non daretur commune tertium, ut datur in Eucharistia, dein annihilatio Petri & productio Pauli essent duæ actiones diversæ, destructio vero panis, & positio Christi in Eucharistia fit per eandem actionem, qualiscunque hæc sit. Porro sententia Durandi manifeste refellitur a Concilio Tridentino, dum definit totam substantiam panis & vini converti in Corpus & Sanguinem Christi. Equidem Durandus, Paludanus, Ochamus, & alii quidam auctores Catholici existimant transsubstantiationem non satis probari ex Scriptura, sed respective sunt pauci, nec quoad ipsum dogma dissentiunt, imo etiam probationem ex Scriptura haud gravate admittunt, si juxta interpretationem Patrum intelligatur. Ad Conf. Neg. Maj. Quia corpus Christi non fit ex pane tanquam materia componente, sed præcise tanquam ex termino a quo, neque opus est, ut de novo producatur, sed sufficit, ut per

repli-

replicationem & alium modum existendi ponatur sub speciebus panis.

565 Dices 1. Si propter verba institutionis totus panis per transsubstantiationem deberet mutari in corpus Christi, etiam accidentia panis per transaccidentationem deberent mutari in accidentia Christi, alias sensus verborum esset: Hoc album, hoc rotundum est Corpus meum; atqui hic sensus est falsus: ergo. Conf. Quia accidentia non possunt manere sine subjecto. Resp. Neg. Ant. Nam ex communi usu & modo loquendi pronomina demonstrativa in recto solum appellant supra substantiam, nisi expresse ad accidentia determinentur; si enim dico: Hic homo, non intendo dicere: Hic color, hæc figura est homo, sed substantia his accidentibus substans. Quare ad veritatem hujus propositionis: Hoc album est Corpus meum, requiritur quidem, ut in fine propositionis non amplius adsit substantia panis, non item ut etiam absint accidentia. Ad Conf. Quod accidentia absoluta, quæ non quidem naturaliter, attamen supernaturaliter sine subjecto existere valeant, sint possibilia, ostenditur in Philosophia, & talia a parte rei in Eucharistia dari, videtur conformius Patribus & Conciliis, si vero contendas destructo pane tantum manere accidentia intentionalia, hoc ipso evanescit objectio.

566 Dices 2. Si accidentia panis sine pane remanent in Eucharistia, datur deceptio, & sensus falluntur; cum enim accidentia externa sint signa naturalia suæ substantiæ, accidentia panis intellectum inducunt ad judicandum adesse substantiam panis. Conf. Post consecrationem sensibus apparet idem panis, adest eadem vis nutriendi &c. Resp Neg. Maj. quoad 1 membrum, Dist. quoad 2. Sensus falluntur quoad objectum suum proprium, immediatum,

tum, & per se, Neg. Maj. circa objectum suum mediatum, Transf. Maj. accidentia externa sunt tantum signa naturalia suæ substantiæ internæ, adeoque solum indicant v. g. substantiam panis illis subesse servato naturæ ordine: quod autem intellectum mysterii Divini ignarum inducant ad judicium falsum, est per accidens, sicut per accidens fuit, si aliqui ex accidentibus externis & proprietatibus humanis judicarunt, in Christo dari personam humanam. Porro quia sensus revera tales impressiones recipiunt, quales a pane fieri solent, circa objectum suum immediatum non falluntur, circa mediatum vero raro errant etiam naturaliter, imo de illo proprie non judicant. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Non enim ex sensuum indicio, sed fidei testimonio dogma nostrum inferimus, neque nutritio materialis in Eucharistia fit modo naturali, sed per omnipotentem Dei virtutem, ut jam indicavi num. 534.

Objectiones contra 2 probationem.

Obj. 3. Vox *transsubstantiatio* neque habetur 567
in Scriptura, neque apud antiquos Patres: ergo. Conf. Doctrina transsubstantiationis primum invecta est Sæculo XIII ab Innocentio III in Concilio Lateranensi: ergo. Resp. Dist. Ant. vox transsubstantiationis neque in Scriptura, neque apud antiquos Patres habetur quoad syllabas, litteras, & sonum, Conc. Ant quoad rem significatam, Neg. Ant. & Conf. Non est inusitatum in Ecclesia, ut ad fidei dogmata clarius adversus novatores explicanda novis utatur vocibus. Sic a Concilio Nicæno contra Arianos vox ὁμούσιος, ab Ephesino contra Nestorianos vox *Deiparæ* introducta est. Ubi vero in

Scri-

Scriptura & Patribus legitur vox *impanatio* vel *consubſtantiatio?* videlicet recte dicebat S Athanaſius Lib. de decret. Synod. Nicæn. *Etiamſi ipſæ voces in Scriptura non exſtent, ſententia tamen, quam (* Eccleſia Catholica *) tenet, in Scripturis habetur,* Ad Conf. Neg. Ant. Voce tranſubſtantiationis jam anno 1188 uſus eſt Gaufredus in Epiſt. ad Cardinal. Albanenſ. & annno 1200 Petrus Bleſ. Epiſt. 14. anno 950 Stephanus Eduenſis Tract. de Sacrament. altaris cap. 13.

568 Dices 1. Saltem doctrina de tranſubſtantiatione in Eccleſia fuit incognita uſque ad Paſchaſium Corbejenſem, qui vixit Sæculo IX, vel certe usque ad Sæculum IV: ergo. Conf. Quando Patres dicunt, in Euchariſtia fieri aliquam mutationem, ſolum volunt, quod panis communis accedente verbo Chriſti ſimul fiat corpus Chriſti. Reſp. Neg. Ant. Quippe jam diu ante Paſchaſium nempe Sæculo IV hoc dogma aperte tradiderunt S. Ambroſius & Cyrillus, Sæculo III. Tertullianus & S. Cyprianus, Sæculo II S. Juſtinus & S. Irenæus, ut patet ex probatione. Ad Conf. iterum Neg. Ant. Quod enim Patres plus voluerint, manifeſtum eſt, cum clare doceant, quod poſt conſecrationem non amplius ſuperſit ſubſtantia panis, quod Chriſtus panem fecerit ſuum Corpus, & in illud converterit, ac transmutarit. Hinc jam tempore Berengarii doctrina noſtra tanquam dogma Catholicum a pluribus Conciliis fuit agnita, & Berengarius ſub Gregorio VII jurejurando realem & ſubſtantialem panis converſionem in veram & propriam carnem Chriſti profiteri debuit.

569 Dices 2. In profeſſione fidei, quæ a Berengario ſub Nicolao II fieri debuit, dicitur, panem poſt conſecrationem in corpus Chriſti converti, frangi, & dentibus atteri; hinc Gregorius XII poſtea

stea istam formulam mutavit. Conf. Ipse Magister sententiarum, Scotus, Cameracensis &c. fatentur, transubstantiationem ante Concilium Lateranense non fuisse dogma fidei : ergo. Resp. Etiam hanc professionem fidei a Berengario editam fuisse Catholicam, eamque loqui de pane in Corpus Christi substantialiter mutato, quod mediantibus speciebus frangitur & atteritur, non quidem formaliter, sed denominative, ferme sicut olim Christus, cum in terra degeret, mediantibus vestimentis tangebatur. Ad Conf. Magister sententiarum solum ait, quod non possit definire modum, quo fiat mutatio in corpus Christi, ipsam vero transubstantiationem quoad substantiam clare docet Lib. 4 dist. 10 & 11, eandem in 4 dist. 11 q. 3 clare profitetur Scotus. Quod autem negaverit illam ante Concilium Lateranense fuisse dogma fidei, inde est, quia, ut ait Bellarm. non legerat Concilia Romana sub Nicolao II & Gregorio VII, neque illum consensum Patrum, quem nos adduximus. Idem est de Cameracensi, quos proin ex hac parte errasse non diffiteor.

Obj. 4. S. Irenæus Lib. 4. advers. hæres. cap. 570
34. docet, quod Eucharistia constet ex duabus rebus terrena & cœlesti ; nempe pane & Corpore, panem vero mutari in corpus Christi, sicut corpora nostra corruptibilia fient incorruptibilia ; atqui hoc fit sine mutatione substantiali. 2. S. Chrysostomus in Epist. ad Cæsar. disputans contra Sinusiastas exemplo Eucharistiæ probat duas in Christo naturas inconfusas & incommixtas, atque aperte dicit in Eucharistia manere naturam panis. Resp. S. Irenæus hæreticis sui temporis voluit probare veram carnis nostræ resurrectionem, & in hunc finem usus est similitudine conversionis, quæ fit in Eucharistia ; an vero hæc sit substantialis, vel tantum acci-

accidentalis, ad ipsius scopum nihil referebat: per panem vero & rem terrenam intellexit species. 2. Sicut Sinusiastæ non negarunt in Christo esse naturam humanam, sed tantum ejus affectiones & proprietates naturales formam, effigiem, circumscriptionem &c. ita S. Chrysostomus per naturam panis in Eucharistia intellexit solas species, qui modus loquendi etiam apud antiquos non erat infrequens; & ipsis Sinusiastis usitatus.

571 Dices 1. Theodoretus dialog. 1. contra sui temporis hæreticos ait, vinum sanctificatum eo modo vocari Sanguinem Christi, quo Genes. 49 v. 11 vinum vocatur Sanguis Christi, *Lavabit in vino stolam suam.* Et dialog. 2 addit, signa mystica post sanctificationem non discedere a sua natura, sed naturæ gratiam addidisse, & visibilia symbola Corporis sui appellationem honorasse. 2. Gelasius Papa Lib. de duabus in Christo naturis ait, quod substantia panis in Eucharistia maneat in proprietate suæ naturæ, & sic vere nobis repræsentari duas naturas Christi. Resp. Theodoretus dialog. 1 non instituit paritatem adæquatam, sed tantum quoad permutationem nominum, in quantum sicut in veteri lege symbolo datum est nomen Sanguinis Christi in figura, sic Christus idem nomen dedit vino in novo Testamento, sed in veritate; nam dialog. 2 clare docet Christum in nova lege panem reipsa fecisse Corpus suum; hinc per substantiam & naturam solum intelligit formam exteriorem. 2. In eodem sensu loquitur Gelasius, qui pariter claris verbis asserit dona in altari posita in Domini substantiam commutari. Taceo, quod citatus liber juxta Baron. & Bellarm. non sit Gelasii Papæ.

572 Dices 2. S. Ambrosius Lib. 4 de Sacrament. cap. 4 quærit: *Quomodo potest, qui panis est, esse Corpus Christi.* Et respondet: *Consecratione; si enim*

tanta

tanta vis eſt in ſermone Domini, ut ea incipiant eſſe, quæ non erant, quanto magis operativus eſt, ut ſint, quæ erant, & in aliud commutentur. 2 Rupertus Abbas Tuitienſis Lib. 2 de offic. Divin. & Lib. 6 in Joann. Unionem quamdam hypoſtaticam inter corpus Chriſti & panem admittere videtur. Reſp. Textus primus S. Doctoris habet hunc ſenſum, quomodo poteſt, qui nunc panis eſt, paulo poſt eſſe corpus Chriſti, ut ipſemet explicat eodem libro dicens: *Panis iſte panis eſt ante verba conſecrationis, ubi acceſſerit conſecratio, de pane fit Caro Chriſti* Textus ſecundus in aliis codicibus non habet illa verba: *Ut ſint, quæ erant*, vel certe ſolum intelligi debent de ſpeciebus externis. 2. Rupertus de Divin. offic. juxta Tournelyum intendit ſolum docere, unum eſſe corpus Chriſti non plura, ſicut unum eſt Verbum, a quo ſuſcepta fuit humanitas. Lib. 6 in Joann vero, quod ſicut verbum non fuit mutatum in humanitatem, ita Chriſtus non fuerit mutatus in panem, licet poſt conſecrationem unum quid ſit cum Chriſto, quia non amplius panis eſt, ſed Chriſtus ipſe. At Bellarminus exiſtimat, Rupertum circa hoc dogma erraſſe, neque dubia explicatio unius aut alterius ferme omnium reliquorum Patrum teſtimoniis officere poteſt.

Quæres. Quid cum ſubſtantia panis & vini 573
fiat poſt conſecrationem? Reſp. Cum Suario & Theologis fere omnibus, ſubſtantiam panis & vini poſt conſecrationem penitus deſinere & deſtrui; alias deberet fieri miraculum fidelibus ignotum & nullibi revelatum; deberet enim hæc ſubſtantia abſque accidentibus naturaliter ſibi propriis conſervari, & alio v. g. ab Angelo deportari. Quia tamen in Euchariſtia panis & vini ſpecies remanent, ſubſtantia proprie non annihilatur, eo quod per annihilationem non intelligatur quævis deſtru-

ctio rei, ſed talis, vi cujus res omnimode deſinat, & nullus alius terminus in communi tertio eidem ſuccedat. Ex quibus vides, quomodo ex veritate verborum conſecrationis arguitive ſequatur deſtructio panis & vini, quia videlicet non poteſt manere unita accidentibus Euchariſticis. Quodſi dein hæc ipſa accidentia etiam deſtruantur, corpus Chriſti ſub illis exiſtere deſinit, & a Deo vel prior materia vel alia illius loco iterum videtur produci, per quam alia corpora augmentari & nutriri poſſint.

DISPUTATIO IV.

De materia remota Euchariſtiæ.

574 Omiſſis Gnoſticorum & Manichæorum nefandis erroribus Artatyritæ pro materia Euchariſtiæ offerebant liba ex pane, & caſeo facta, eoquod a primis hominibus oblationes de fructibus terræ & ovium celebratæ fuerint. Calviniſtæ exiſtimant in neceſſitate pani ſubrogari poſſe quodlibet eſculentum Græci non pauci duce Michaele Cærulario aſſerunt, nullam & invalidam eſſe conſecrationem in pane azymo apud Latinos, quos ideo invidioſo nomine Azymitas appellant: hodierni quoque novatores panem fermentatum adhibent tanquam magis convenientem. In conſecratione calicis Ebionitæ, Encratitæ, Tatiani, Aquarii vino aquam ſubſtituerunt; alii adhibuerunt lac, aut integras uvas, vel fæces vini aquæ immerſas. Armacanus & nonnulli alii apud S. Bernardum Epiſt. 69 contenderunt, calicem ſine admixta vino aqua invalide conſecrari: econtra Armeni, ne videantur ſignificare unionem duarum naturarum in Chriſto purum vinum ſine aqua offerunt, Lutherus vero & Calvinus dicunt, hanc mixtionem inſtitutioni Chri-

sti esse contrariam. Denique sæculo X Galli quidam docuerunt, aquam in consecratione manere immutatam, aut converti in aquam, quæ cum sanguine fluxit ex latere Christi.

QUÆSTIO I.

Quænam sit materia remota Eucharistiæ?

Dicendum. Materia remota & necessaria Eu- 575
charistiæ est panis & vinum. Ita Catholici omnes cum S. Thoma 3 p. q. 74 art. 1 in corp. Nam 1. Matth. 26 v. 26 & seq. legitur, quod Christus hoc Sacramentum confecerit ex pane & genimine vitis, simulque præceperit Apostolis, ut idem facerent. 2. Panem & vinum pro materia remota Eucharistiæ assignant Concilia, Lateranense cap. *firmiter*, Florentinum in decreto Unionis, Tridentinum sess. 22 cap. 1. loquuntur autem hæc Concilia de materia necessaria, alias ex illis nihil posset colligi, & pari jure dici, ad baptismum non esse absolute necessariam aquam. 3. De solo pane & vino tanquam materia Eucharistiæ locuti sunt Patres, eamque perpetuo usu adhibuit Ecclesia. 4. Ratio congrua inter alias est, quod panis confortet, & vinum recreet; hinc S Thomas in Rhytmo ait: *Dedit fragilibus corporis ferculum, dedit & tristibus sanguinis poculum.*

Dices 1. Materia necessaria Eucharistiæ debet 576
esse talis, quæ ubique potest haberi; atqui vinum & panis præsertim triticeus non potest haberi ubique: ergo. Conf. Canones Apostolorum permittunt in altari offerri uvas, oleum & incensum. Imo & Melchisedech, qui fuit figura Christi Sacerdotis, præter panem & vinum fructus terræ & ovium

obtulit. Resp. Omitt. Maj. Neg. min. Licet triticum & vinum non ubique nascatur, potest tamen in omnes terras tantum deferri, quantum ad conficiendam Eucharistiam est necessarium, & sicut hoc Sacramentum non ita indispensabiliter requiritur sicut baptismus, ita ejus materia non debet esse ita obvia. Sane apud nos etiam non crescit oleum aut balsamum necessarium ad confirmationem. Ad Conf. Dist. Ant. Canones illi admittunt in altari offerri uvas &c. in ordine ad sacrificium & consecrationem, Neg. Ant. per modum alicujus doni vel exsolutionis voti, Conc. Ant. Porro Melchisedech, cujus Sacerdotium ad legem naturæ pertinebat, non erat figura Christi & sacrificii a Christo oblati in omnibus.

577 Dices 2. Teste S. Joanne cap. 19 v. 34 de latere Christi exivit sanguis & aqua, idque juxta SS. Patres repræsentatur in calice Eucharistico: ergo non solum vinum est materia necessaria calicis. Conf. Christus professus est legem Nazaræorum, qui vinum non bibebant; quando autem dicitur bibisse de genimine vitis, id tantum intelligi debet de calice cœnæ legalis; hinc S. Paulus & Evangelistæ solum faciunt mentionem de calice, & S. Lucas expresse refert, Christum Pascha celebrasse apud hominem, qui portabat amphoram aquæ. Resp. Conc. Ant. quoad 1. membrum, Dist. quoad 2. aqua ista & sanguis Christi repræsentatur in calice Eucharistico, quoad suam efficaciam, quam habet ex sanguine Christi, Conc. Ant. aliter, Neg. Ant. Quomodo hic locus Scripturæ intelligendus sit, dixi num. 32. Ad Conf. Christus legem Nazaræorum non fuit professus emisso voto & formaliter, sed eminenter, quatenus per unionem hypostaticam Deo fuit specialissime consecratus, vitamque instituit perfectissimam, quod autem semper

abſtinuerit vino, gratis dicitur, illudque ſub ultimum tempus bibiſſe clare teſtatur Scriptura. Porro quod calix cœnæ legalis vino, Euchariſticus vero aqua fuerit impletus, nullo fundamento probatur: quæ enim conſecutio? paterfamilias aquam portavit; ergo Chriſtus ex calice Euchariſtico bibit aquam; nempe ſicut aqua lavit pedes diſcipulorum.

Dices 3. Apoſtolus 1 ad Cor. 10 v. 4 teſtatur, 578
quod omnes etiam Judæi eundem potum ſpiritualem biberint, & quidem de petra, ex qua Judæis aquæ fluxerunt: ergo. Conf. Quia aqua magis videtur ſignificare effectus Euchariſtiæ vitam, nutritionem, extinctionem ſitis &c. cum econtra vinum quibusdam infirmis noceat, & non omnibus competat. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Nam figura a Judæis deſumpta non eſt adæquata & perfecta; alias etiam manna deberet eſſe materia Euchariſtiæ, quia Judæi teſte eodem Apoſtolo etiam manducaverunt eandem eſcam, videlicet manna. Nimirum Apoſtolus ibi non loquitur de materia Euchariſtiæ, ſed ut ipſe explicat, de eſca & potu ſpirituali, qui eſt Chriſtus, quem Judæi ſpiritualiter per fidem manducabant. Ad Conf. Quamvis nutritio & vita ſimpliciter accepta, de qua nonnunquam Scriptura loquitur, magis per panem & aquam ſignificetur, tamen nutritio pinguior, vitaque hilaris clarius repræſentatur per panem & vinum. Porro communio ſub utraque ſpecie non eſt omnibus præſcripta, & vinum modice ſumptum non poteſt infirmis multum obeſſe; aut ſi obſit, id mere eſt per accidens.

QUÆSTIO II.

Qualis panis ſit materia Euchariſtiæ?

579 Dicendum 1. Non ſolum panis uſualis ex tritico ſtricte dicto Waizen, ſed etiam ex tritico Suevico Kern, Feſen eſt materia apta Euchariſtiæ. Prob. 1 pars ex Concilio Florentino, quod in decret. ad Armen. ait: *Sacramentum Euchariſtiæ, cujus materia eſt panis triticeus, & vinum de vite*, & ex Miſſali Romano, ubi de defect. in celebr. Miſſæ occurrentibus tit. 3 num. 1 dicitur: *Si panis non ſit triticeus, vel ſi triticum admixtum ſit granis alterius generis in tanta quantitate, ut non maneat triticum, non conficitur Sacramentum.* Prob. 2 pars, quam communiſſime tenent Auctores Germani, quia ſpelta, licet pondere levior ſit, & triturando non poſſit paleis excuti, nihilominus vel ſpecie phyſica, vel certe morali non differt a tritico ſtricte dicto, & panis ex ea confectus æque bonus aut melior eſt, ideoque non ſolum paſſim in conviviis, ſed in ipſo ſacrificio ab Epiſcopis & Clericis tam regularibus quam ſæcularibus per Sueviam, Helvetiam, aliasque finitimas regiones adhibetur ſcientibus, & non contradicentibus Nuntiis Apoſtolicis; jam vero non eſt credibile, quod Deus, ſi materia hæc eſſet inepta, errorem adeo noxium in viris doctiſſimis & religioſis tanto tempore permitteret; debet autem panis iſte eſſe uſualis, id eſt, confectus ex farina aqua naturali ſubacta, & calore ignis excocta, ut docet exemplum ac præceptum Chriſti ac perpetua praxis Eccleſiæ.

580 Dicendum 2. Probabiliter etiam panis uſualis ex ſiligine Rocken eſt materia ſufficiens ad Euchariſtiam, non item panis ex hordeo, avena, oryza, fru-

frumento Turcico, multo minus panis ex fabis, piſis, caſtaneis & aliis fructibus, leguminibus aut radicibus arborum. Communis cum S. Thoma. Prob. 1 pars. Quia etiam panis ſiligineus ſpecie phyſica, aut ſaltem morali non differt a triticeo ſtricte dicto; nam teſte Plinio ex tritico ob terræ malignitatem naſcitur ſiligo, & ex ſiligine ob terræ fertilitatem triticum. Eſt inſuper panis ſiligineus panis proprie dictus & communiter adhibetur non ſolum in defectum alterius ab hominibus in neceſſitatem redactis, ſed etiam ab honeſtioribus familiis, atque in locis, ubi tritici non eſt defectus. Prob. 2 & 3 pars. Quia panis ex aliis arborum aut terræ fructibus non eſt panis triticeus, neque uſualis ac proprie dictus, ſed tantum in defectum alterius adhibetur; unde in æſtimatione morali nomine tritici ſolum veniunt tres illæ præcipuæ ſpecies frumenti, nempe triticum ſtricte dictum, ſpelta, & ſiligo, panis autem e. g. ex hordeo tantum vocatur panis cum addito hordeaceus, ut Joann. 6 v. 9: *Eſt puer hic, qui habet quinque panes hordeaceos.* Ex eadem ferme ratione non valet paſta farinacea, igne nondum excocta, item panis confectus ex oleo, melle, aqua roſacea &c. quia potius eſt placenta quam panis uſualis.

Dicendum 3. Ad valorem conſecrationis nihil 58
refert, an panis ſit azymus, an fermentatus, id eſt, exiguo fermento permixtus. Prob. 1 ex Concilio Florentino, cui tam Græci quam Latini ſubſcripſerunt, ubi in litteris unionis ita habetur: *Definimus in azymo ſive pane fermentato triticeo Corpus Chriſti veraciter confici.* 2. Ex antiqua praxi & uſu Eccleſiæ Latinæ. Quamquam enim certo argumento demonſtrari nequeat, quod a primis temporibus panem azymum ad ſacrificium adhibuerit, dubium tamen non eſt, quin illius uſus jam ante ſæcu-

 lum

lum IX invaluerit ; de hoc enim teſtatur Alcuinus Epiſt. 69 ad Lugdun. Rabanus Maurus Lib. 1 Inſtit. Cler. cap. 13, Amalarius Fortunatus, aliique dicti ſæculi Scriptores, quin tamen Græci ante ſæculum XI ideo Latinis litem moverint. 3. Ex ratione Quia non ſolum panis fermentatus, ſed etiam azymus eſt panis uſualis proprie dictus. De fermentato nemo dubitat, azymus vero in ipſa Scriptura ſæpe ſimpliciter panis vocatur, eoque ex lege divina uti debuerunt Judæi feſtis paſchalibus, quæ ideo dies azymorum dicuntur. Dixi, utrumque panem ſufficere ad valorem ; nam ex præcepto Eccleſiæ Sacerdos Latinus in Eccleſia Latina in azymo, & Græcus in Eccleſia Græca in fermentato ſub gravi conſecrare tenetur, ut colligitur ex Florentino in litteris Unionis & cap. final. extra de celebr. Miſſ.

Objectiones.

582 Obj. 1. Non ſatis conſtat, quod Chriſtus in inſtitutione Euchariſtiæ determinate adhibuerit panem triticeum : ergo non ſolus panis triticeus eſt materia neceſſaria Euchariſtiæ. Conf. Si per panem triticeum, quem expreſſe requirit Concilium Florentinum, poteſt intelligi panis ſpeltaceus, & ſiligineus, ſimili modo poterit intelligi panis ex quolibet frumento confectus, ſicut in conſecratione calicis intelligitur quodlibet vinum de vite: ergo. Reſp. Neg. Ant. Id enim certo conſtat tum ex modo loquendi Scripturæ, quæ per panem ſimpliciter talem ſemper ſolet intelligere triticeum, tum & præcipue ex declaratione, perpetua praxi & conſenſu totius Eccleſiæ. Hinc etiam ad Conf. Neg. Ant. Nomenclatura diverſarum ſpecierum frumenti apud auctores valde ambigua eſt, nec in ea conveniunt, unde merito arguimus, quod Florenti-

rentinum nomen tritici acceperit in ſenſu latiore & morali pro omni eo frumento, ex quo panis ſimpliciter talis confici ſolet, quale eſt non ſolum triticum ſtricte dictum, ſed etiam ſpelta & ſiligo, utpote quæ tantum accidentaliter differre videntur, & in æſtimatione morali cenſetur eſſe idem, ſicut quodlibet vinum de vite; non item hordeum, avena &c.

Dices. Doctores Hiſpani, Itali, aliique com- 583
muniter cum S. Thoma 3 part. q. 74 a. 3 docent, ſpeltam non eſſe materiam aptam conſecrationis, & ipſe La Croix ac Buſenbaum illam habent pro materia dubia: ergo ſaltem non licet conſecrare panem ſpeltaceum. Conf. S. Thomas art. cit. ad 2 videtur inſinuare, quod ex tritico non naſcatur ſpelta, & licet hoc fieret, nihil inde poſſet inferri; alias etiam acetum eſſet materia calicis, eoquod ex vino naſcatur. Reſp. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Cum S. Thomæ aliisque Doctoribus externis triticum Suevicum, ejusque uſus non ſatis fuerit notus, & hæ voces ſpelta, ador, far, ſiligo in diverſis regionibus diverſas habeant ſignificationes, longe magis attendendum eſt ad Auctores Germanos Albertum Magnum, Tanner, Laym. aliosque, qui communiter aſſerunt, panem ſpeltaceum non ſolum eſſe materiam validam ſed etiam licitam conſecrationis, quod etiam teſtatur praxis, ut adeo hæc ſententia merito pro practice certa habeatur. Ad Conf. Imprimis Paludanus apud S. Antoninum 3 p. tit. 13 cap. 6 teſtatur, quod in eadem terra triticum ſeminatum uno anno generet ſpeltam vel far, in alio triticum; acetum vero non naſcitur ex vino tanquam germinante, & juxta omnes ſaltem ſpecie morali ab illo differt.

Obj. 2. Chriſtus in cœna ultima conſecravit 584
in pane fermentato: ergo ſicut propter exemplum Chriſti dicimus, quod neceſſarius ſit panis triti-

ceus, sic etiam dicendum de fermentato. Conf. Primis temporibus tam Ecclesia Græca quam Latina consecravit in solo fermentato: ergo. Resp. Omitt. Ant. Neg. Cons. Etsi Christus panem fermentatum adhibuisset, ideo nobis non imposuisset, necessitatem eundem adhibendi; alias si constaret, quod consecraverit in vino rubro, deberet inferri, quod vinum album non sit materia valida. Quare necessitatem panis triticei non probamus ex solo Christi exemplo, sed etiam ex praxi Ecclesiæ, & quia solus panis triticeus est panis usualis proprie dictus. Cæterum Latini contra Græcos multis probant, quod Christus consecraverit panem azymum, quia Eucharistiam instituit tempore paschali, quo Judæis prohibitum erat panem fermentatum non solum comedere, sed etiam asservare. Ad Conf. Qualem panem prima Ecclesia adhibuerit, non satis constat. Tournelyus quæst. 4 art. 5 existimat Ecclesiam Latinam probabiliter promiscue azymo & fermentato usam; imo etiam a Græcis quandoque azymum adhibitum fuisse. Interim certum est, quod usus azymi apud Latinos sit antiquissimus, quem errorem Deus in Ecclesia Latina tamdiu non permisisset, si panis azymus esset materia invalida.

585 Dices. Usus azymorum prohibetur can. 7 Apost. & can. 11 Concilii Trullani. 2. S. Epiphanius Hæres. 50 rejicit pascha Ebionitarum in azymis celebratum. 3. Concilium Nicænum statuit, ut a Christianis non celebretur pascha Luna 14 more Judæorum, sed die Dominica proxime sequente, ne videlicet cum Judæis judaizare videamur: ergo. Resp. ad 1. Canones isti nunquam fuerunt ab Ecclesia approbati, & solum prohibent usum azymorum more Judaico. Ad 2. S. Epiphanius agit

agit contra Ebionem, quia contendebat, ritus legis Mosaicæ cum Evangelii professione conjungi debere. Ad 3. Concilium Nicænum solum vetat pascha celebrare cum Judæis Luna 14, an vero in azymo vel fermentato consecrandum sit, non statuit, neque ideo, quod consecremus in azymo, cum Judæis communicamus, alias neque liceret habere templum, neque sacrificium; neque consecrare in pane fermentato, imo ne quidem aqua baptizare, quia Judæi habebant templum, sacrificia, & in quibusdam pane fermentato usi sunt, aquam autem in suis purificationibus adhibuerunt.

Obj. 3. Panis azymus non est panis usualis, & 586
simpliciter ac proprie dictus; nam illo præter Judæos vix aliqui vescuntur. Conf. Panis ex ipsa Etymologia vocis Græcæ ἄρτος aliquid elevatum & sursum portatum significat; attollitur autem & elevatur per solum fermentum. Resp. Neg. Ant. Quod homines plerumque non utantur azymis, est per accidens, quia deest condimentum aliquod accidentale nempe fermentum, cujus defectus substantiam panis usualis non evertit, sicut substantia carnis & cibi non evertitur, si carnes assatæ nullo sale respersæ fuerint. Certe pane azymo non solum utebantur Judæi tempore paschatis, sed etiam Romani aliique populi. Similiter panes propositionis in antiquo testamento azymi fuerunt, quis vero neget illos fuisse panes proprie tales? unde licet modo usus azymi sit rarior, inde non sequitur, quod nequeat dici panis usualis. Ad Conf. Quid per panem simpliciter & proprie dictum intelligatur, potius ex modo loquendi Scripturæ & usu Ecclesiæ, quam ex Etymologia vocis desumi debet.

Dices. Azyma sunt insipida, & signa luctus & 587
doloris: ergo panis azymus non est proportionatus

ad

ad ſignificandos effectus Euchariſtiæ. Conf. Per uſum fermentati magis receditur a Judæis, & ineffabilis Verbi cum natura humana unio ſignificatur: ergo illius uſus ſaltem eſt convenientior. Reſp. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Quamvis inter panem azymum & effectus Euchariſtiæ non ſit convenientia adæquata, quæ inter res tantopere diverſas dari non poteſt, per illum tamen non minus quam per fermentatum repræſentatur nutritio, qui eſt affectus primarius, quem Chriſtus per hoc Sacramentum ſignificari voluit. Porro apud Judæos panis azymus etiam lætitiæ ſymbolum fuit, quia non ſolum in memoriam revocavit miſerias in deſerto exantlatas, ſed etiam liberationem ab illis, ſicut viciſſim Euchariſtia paſſionem Domini, & præſentem gratiam ſignificat. Ad Conf. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Nam panem azymum magis commendat exemplum Chriſti, & quemadmodum corpus illius in puriſſimo B. Virginis utero ſine ulla corruptione conceptum eſt, ita decet panem Euchariſticum eſſe purum, & corruptionis fermentique expertem.

QUÆSTIO III.

Quale vinum ſit materia Euchariſtiæ?

588 Dicendum 1. Omne & ſolum vinum de vite eſt materia valida Euchariſtiæ. Prob. tum ex facto & præcepto Chriſti Matth. 26 v. 27 & Luc. 22 v. 20, tum ex perpetua praxi Eccleſiæ, & auctoritate Concilii Florentini cit. num. 579, tum denique ratione, quia omne & ſolum vinum de vite eſt vinum uſuale & ſimpliciter tale, reliqui autem liquores tantum cum addito, ut notat S. Thomas 3 p. q. 75 art. 1. Unde materia valida eſt 1. Muſtum ſeu liquor ex uvis matu-

maturis quidem expressus, at nondum defœcatus, ut habetur in Missali tit. 4 n. 2, quia tamen nondum est vinum depuratum, absque urgenti necessitate adhiberi non licet. 2. Vinum paucis guttulis absynthii vel alterius liquoris mixtum; manet enim adhuc physice & moraliter vinum usuale. 3. Vinum miraculo productum, vel ex aqua factum ut in nuptiis Canæ; nam Florentinum per vinum de vite solum intellexit tale, quod est ejusdem naturæ, & naturaliter de vite nasci potest. 4. Juxta communem Recentiorum etiam congelatum vinum, quia vere & proprie est vinum, & Sanguis Christi sub speciebus congelatis manet; quod autem consecratio vini congelati graviter prohibita sit, fatentur omnes.

Econtra materia ad consecrationem inepta 589
est 1. Acetum; hinc S. Pius in rubricis præcipit Sacerdoti, ut si comperiat se in aceto consecrasse, vinum apponat, & denuo consecret. Aliud est, si vinum primum incipit acescere, tunc enim nondum est mutatum quoad substantiam, sed tantum accidentaliter alteratum. 2. Vinum aqua ita dilutum, ut moraliter non amplius censeatur vinum usuale. 3. Idem est de vino cocto, aut alia ratione mixto vel corrupto, si rationem vini usualis amittit, quando autem ita mutatum censeri debeat, ab experientia sensuum & prudentum judicio colligi debet. 4. Aqua acinis uvarum expressis affusa, aut liquor expressus ex uvis immaturis. 5. Vinum arte confectum, quia non est de vite. 6. Vinum adustum similesque liquores ex pomis, cerasis, malis, granatis aut aliis arborum fructibus expressum, si dubium sit, an vinum sit de vite, aut qualitates vini non amiserit, extra necessitatem sine peccato gravi adhiberi non potest.

Dicens

590 Dicendum 2. Vino ante conſecrationem debet admiſceri modica aqua. Ita communis ac certa. Prob. ex praxi Eccleſiæ, & auctoritate Patrum & Conciliorum ; nam ut Bellarm. Lib. 4 cap. 10 oſtendit, omnium ferme regionum Patres teſtantur vinum conſecrandum aqua miſcendum eſſe. Concilium Aurelianenſe IV can. 4 ſtatuit : *Ut nullus in oblatione ſacri calicis, niſi quod ex fructu vineæ ſperatur, aqua mixtum offerre præſumat, quia ſacrilegium judicatur aliud offerri, quam quod in mandatis ſacratiſſimis Chriſtus inſtituit.* Carthaginenſe III can. 24: *Ut in Sacramentis Corporis & Sanguinis Domini, nihil amplius offeratur, quam quod ipſe Dominus tradidit, hoc eſt panis, & vinum aqua mixtum.* Florentinum in decret. ad Armen. poſtquam dixit materiam calicis eſſe vinum de vite, ſubdit: *Cui ante conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri debet.* Rationes Concilium Tridentinum ſeſſ. 22 cap. 7 aſſignat 1. Quia Chriſtus in vino aqua permixto Euchariſtiam inſtituiſſe videtur. 2. Quia ſic recolitur mors & paſſio Domini, in qua ſanguis & aqua ſimul ex latere Chriſti prodiit. 3. Quia per mixtionem aquæ cum vino ſignificatur conjunctio populi cum Chriſto, cujus ſanguis per vinum repræſentatur.

591 Dixi 1. Ante conſecrationem ; non enim ſufficit, ſi aqua vino jam fuerit admixta a caupone domi, quia hæc commixtio debet eſſe ceremonia ſacra, neque etiam fieri debet poſt conſecrationem, ut inferius dicetur. 2. Aqua videlicet naturalis, quæ ſola ſimpliciter nomine aquæ venit, & vino uſuali affundi ſolet, ut etiam teſtatur Eccleſiæ praxis. 3. Modica, ut patet ex Concilio Florentino & cap. pernicioſus 13 de celebr. Miſſ. quænam autem quantitas modica cenſenda ſit, non conveniunt Auctores. Conſuetudo ex catechismo Romano tenet, ut una tantum vel altera aquæ gut-

ta

ta affundatur; non tamen, inquit P. Antonius Mayr, debet quis ſibi ſtatim ſcrupulum facere, ſi aliquanto liberalior ſit, modo ſpectata quantitate & qualitate vini aqua adhuc ſit modica. 4. Debet, nempe ſub obligatione gravi. Quamvis enim materia de ſe gravis non videatur, fit tamen talis ex reſpectu ad ſuam ſignificationem & finem. Quod ſi Sacerdos aquæ mixtionem ex oblivione omiſiſſet, idque adhuc ante conſecrationem adverteret, deberet ſtatim adhuc miſcere, quia præceptum adhuc urgeret, & impleri poſſet.

Dicendum 3. Mixtio aquæ cum vino non eſt 592
de neceſſitate Sacramenti, neque præcepti divini; ſed probabilius tantum eccleſiaſtici. Pars 1 eſt communiſſima, & probatur tum negative, quia nec auctoritate ſacra, nec ratione oſtendi poteſt, aquam eſſe neceſſariam neceſſitate Sacramenti, imo contrarium clare ſupponunt Rubricæ Miſſalis tit. 4 n. 7, ubi dicitur: *Si celebrans primum poſt conſecrationem advertat, nullam aquam vino admixtam fuiſſe, nullo modo apponat, quia non eſt de neceſſitate Sacramenti:* tum poſitive ex can. cum omne 7 diſt. 2 de conſecr. *Si vinum tantum quis offerat, Sanguis Chriſti eſſe incipit.* Idem ipſo modo loquendi indicat Concilium Florentinum verbis ſupra citatis; neque enim præcipit, ut aqua miſceatur ſanguini, ſed vino. Pars 2 eſt longe communior, & rurſus probatur tum, quia nullum præceptum Divinum poteſt oſtendi, tum ex Concilio Tridentino, quod ſeſſ. 22 cap. 7 nullam præcepti Divini mentionem facit, ſed tantum ait: *Monet deinde ſacra Synodus, præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miſcerent.*

Objectiones.

Obj. 1. Aqua congelata non eſt materia apta 593
baptiſmi: ergo neque vinum congelatum Euchariſtiæ;

ſtiæ; cum non ſit proxime potabile; ſed ſe habeat ſicut ſuccus in uvis adhuc contentus. Conf. Licet Chriſtus maneat ſub ſpeciebus vini, quando ſunt mixtæ ſpeciebus panis, qua ratione Græci ſub utraque ſpecie communicant, tamen vinum pani ita mixtum probabilius non poteſt conſecrari: ergo. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Baptismus conſtat in actuali ablutione, ad quam aqua congelata non eſt apta; Euchariſtia vero eſt Sacramentum permanens, ideo ad illam non requiritur, ut materia ſit proxime potabilis, quia nihilominus ſimpliciter poteſt eſſe vinum: at vinum in uvis adhuc latens moraliter potius eſt cibus quam potus, adeoque in ſenſu morali nondum cenſetur eſſe potabile, ſed potius ſe habet ſicut paſta cruda ex farina nondum cocta. Ad Conf. Dicaſtillo negat Ant ſed melius cum Lugone videtur negari Conſ. quia etiam tale mixtum in æſtimatione hominum potius pro cibo, quam pro potu habetur.

594 Obj. 2. Chriſtus pro materia calicis inſtituit vinum; bibit enim de genimine vitis: neque de mixtione aquæ ullum in Scripturis habetur fundamentum; hinc S. Chryſoſtomus Homil. 83 in Matth. illam tanquam hæreticam rejicit. Conf. Vinum purum melius ſignificat puritatem Chriſti & ſinceritatem fidelium, ſicut panis azymus illam magis ſignificat: ergo. Reſp. Diſt. Ant. quoad 1 membrum. Chriſtus pro materia calicis inſtituit vinum uſuale, Conc. Ant. tantum vinum purum, Neg. Ant. quoad hoc membrum, & transmiſſ. alt. Conſ. Quod Chriſtus conſecraverit in vino aqua temperato, præter Concilia in probatione laudata docent SS. Patres Irenæus, Cyprianus, Baſilius, &c. apud Bellarm. Lib. 4 cap. 10, & veteres Rabbini teſtantur conſuetudinem Judæorum eſſe, vinum in quotidianis epulis aqua miſcere. Quamvis igitur hæc

mixtio

mixtio in Scripturis non præcipiatur, nihilominus Eccleſia ſufficientem habuit rationem illam præcipiendi, tum propter exemplum Chriſti, tum ad melius repræſentandas aliquas veritates Catholicas. Porro S. Chryſoſtomus tantum damnat aquarios, qui ſolam aquam in calice offerebant. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Quia puritas Chriſti & ſinceritas fidelium ſatis repræſentatur per panem azymum, Eccleſia convenienter ſtatuit, ut per materiam calicis alia myſteria exprimantur.

Dices. In Euchariſtia tantum commemoramus 595
paſſionem Chriſti, non item unionem illius cum fidelibus; alias non ſolus Chriſtus, ſed etiam populus in calice offerretur; imo ſanguis & aqua ex latere Chriſti impermixta profluxerunt: ergo. Conf. mixtio aquæ cum vino habet peſſimam ſignificationem; nam juxta S. Hieronymum in cap. 1 Iſai. v. 22. ſignificat corruptionem Verbi Divini per admixtas humanas traditiones. Reſp. Diſt. Ant. non commemoramus unionem Chriſti cum fidelibus ut ſignificandam ante conſecrationem, Conc. Ant. ut ſignificandam poſt conſecrationem, Neg. Ant. In Sacramento Euchariſtiæ principaliter quidem commemoratur paſſio Chriſti, ſecundario autem unio cum fidelibus, quæ per ipſam effuſionem ſanguinis facta eſt. Nec obſtat, quod ſanguis, quando ex latere Chriſti fluxit, non fuerit cum aqua permiſtus; nam Eccleſia ſolum intendit repræſentare id, quod profluxit, non item modum, quo profluxit, ſimulque orat, ut quemadmodum aqua convertitur in ſanguinem, ita fideles Chriſto illius virtute incorporentur, quin ideo etiam populum in calice offerat. Ad Conf. Conſtat in Scriptura ſæpe eandem rem habere diverſas ſignificationes pro diverſis circumſtantiis. Sic mixtio vini cum aqua ſignificat fraudem & corruptionem,

ſi ſimilitudo ducatur ab iis, qui vinum vendunt: ſi vero comparetur cum potu, ſobrietatem & temperantiam indicat; unde illud Proverb. 9. v. 5: *Bibite vinum, quod miſcui vobis.*

596 Obj. 3. Chriſtus Euchariſtiam inſtituit, & conſecravit in aqua & vino, ut ipſimet ſupra diximus: ergo aqua non minus eſt de neceſſitate Sacramenti quam vinum. Conf. Quia ſine aqua non obtinetur primaria repræſentatio Euchariſtiæ; nempe repræſentatio paſſionis Chriſti, e cujus latere ſanguis & aqua fluxit. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Quod non omnia ſint de neceſſitate Sacramenti, quæ Chriſtus fecit, ſæpius jam adverti, & alias etiam panis azymus eſſet materia determinate neceſſaria ad Euchariſtiam. Itaque Chriſtus ſolum præcepit & inſtituit conſecrationem calicis in vino uſuali, quod ſicut ſine vino dari nequit, ſic habetur, ſive aqua fuerit admixta ſive non fuerit admixta. Ad Conf. Neg. Ant. Vel enim Euchariſtia conſideratur ut Sacramentum, & ad hoc tantum requiritur vera tranſubſtantiatio: vel conſideratur ut ſacrificium, & ſic mors Chriſti & ſeparatio Sanguinis a Corpore repræſentatur per ſeparatam conſecrationem panis & vini, illius autem effuſio, quæ ſignificatur per admixtionem aquæ & vini, eſt ſolum repræſentatio quædam ſecundaria.

597 Dices. SS. Patres nominatim Cyprianus Epiſt. ad Cæcil. ſæpius docet: *In ſanctificando calice offerri aquam ſolam non poſſe, quomodo nec vinum ſolum poteſt.* 2. Idem tradunt Concilium Aurelianenſe IV, & Carthaginenſe III locis ſupra citatis. Hinc 3. S. Bernardus Epiſt. 69 liberum cuique relinquit credere, ſine aqua calicem non poſſe valide conſecrari. Reſp. ad 1. Quamvis aliqui Patres videantur eodem modo loqui de neceſſitate aquæ & vini, quia tamen alii, quando materiam neceſſariam Euchariſtiæ expli-

explicant, ſolius vini mentionem faciunt, reliqui ſolum volunt, quod mixtio aquæ requiratur ad licitam, plenam ac etiam accidentaliter perfectam adminiſtrationem Sacramenti; nam illorum ſcopus erat confutare errorem aquariorum, & S. Cyprianus in cit. Epiſt. ait: *Si vinum tantum quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe.* Ad 2 eadem eſt reſponſio, imo Concilium Aurelianenſe ſolum ait, quod ex mandato Domini nihil aliud offerri poſſit præter vinum aqua mixtum; Carthaginenſe vero, traditam a Chriſto mixtionem videlicet tanquam exemplum, non ut mandatum. Ad 3. S. Bernardus contrarium quidem non damnat ut hæreticum, attamen tanquam falſum in eodem loco rejicit.

Obj. 4. Saltem præceptum miſcendi aquam 598
cum vino eſt Divinum; nam Concilia laudata illud vocant mandatum Chriſti, Inſtitutionem Salvatoris, Divinam traditionem: ergo. Conf. Si hoc præceptum tantum eſſet juris Eccleſiaſtici, mixtio aquæ in neceſſitate poſſet omitti, & Pontifex circa illam diſpenſare. Reſp. Neg. Ant. Rationem additam diſt. vocant mandatum Chriſti, Inſtitutionem Salvatoris &c. quoad ſubſtantiam, quatenus præcipitur conſecratio vini, Conc. quoad circumſtantiam mixtionis, Neg. Nam Concilia agebant contra illos, qui volebant etiam lac & mel in ſacrificiis Domino offerri poſſe, aut certe ſolum dicebant, hoc præceptum eſſe Divinum ideo, quia ab ipſis Apoſtolis ex ſpeciali Dei illuſtratione fuit conditum, & a Chriſto traditum tanquam exemplum. Ad Conf. Licet mixtio aquæ ſit tantum ceremonia Eccleſiaſtica, eſt tamen antiquiſſima, & longe majoris momenti videtur illam omittere, quam celebrare ſine veſtibus ſacris, quod juxta omnes nunquam licet; hinc Suarius in 3 part. Diſp. 45 ſect. 2 ait, Pontificem in hoc præcepto probabilius poſſe

quidem dispensare valide, vix tamen fore, ut practice occurrat casus, in quo id posset licite, eoquod hæc mixtio sit facillima, & aqua semper obvia.

QUÆSTIO IV.

An aqua convertatur in Sanguinem Christi?

599 Quamvis decisio hujus quæstionis nullibi in Scriptura clare contenta sit, nec circa illam Ecclesia aliquid definierit, tamen a tempore Innocentii III, qui exeunte sæculo XII Pontificatum gessit, sententia affirmativa adeo inter Theologos communis est, ut theologice certa videatur. Magis inter se disceptant de modo, quo aqua in sanguinem Christi convertatur. Nam Suarez, Vasquez, Valentia &c. cum Thomistis & Scotistis docent, conversionem hanc tantum esse mediatam, si videlicet aqua prius fuerit conversa in vinum. Econtra Alanus, Toletus, Baronius, Lugo, Melchior Canus, Tournelyus &c. stant pro conversione immediata. Certe juxta Philosophos ad minimum valde dubium est, an aqua naturaliter in substantiam vini converti possit, præsertim si aquæ copia sit notabilis, vinum valde debile, & consecratio statim post admixtionem fiat, ut defacto non raro fit, & in ipsa institutione Eucharistiæ contigit: cum tamen neque ignis licet summe activus lignum aut oleum, multo minus aquam tam brevi tempore possit consumere. Imo Plinius, Alchimistæ, aliique peritissimi Philosophi experimentales testantur, aquam ex vino iterum extrahi posse. Quidquid de hoc sit,

600 Dicendum. Aqua vino affusa per consecrationem convertitur in sanguinem Christi, sive prius physi

physice fuerit conversa in vinum, sive non. Prob 1. S. Hieronymus in cap 4 Marci de Christo ait: *Formans sanguinem suum in calicem vino & aqua mixtum.* S Ambrosius Lib 4 de Sacrament cap. 4: *Ante verba Christi calix est vini & aquæ plenus, ubi verba Christi apposita fuerint, ibi sanguis efficitur.* Similia habent SS. Justinus, Irenæus, Augustinus, Gregorius Magnus &c. apud Dicast. & Haunold. ex quibus ita licet arguere 1. Id convertitur in sanguinem Christi, supra quod pronunciatur forma calicis; atqui hæc pronunciatur supra aquam & vinum in calice contentum: ergo aqua & vinum vi ipsorum verborum convertitur in sanguinem Christi, sicut fermentum panis cum tritico in corpus Christi convertitur. 2. Patres loquuntur de aqua sicut de vino, & simpliciter ac universaliter dicunt, utrumque in sanguinem converti; atqui hoc ita absolute & universaliter dicere non potuissent, si aqua prius deberet converti in vinum, ut patet ex numero superiore. Et alias Ecclesia summopere debuisset curare, ut aqua modicissima vino infunderetur, quod tamen ante Concilium Florentinum non fecit, ut colligitur ex cap. perniciosus 13 de celebr. Miss. & Concilio Triburiensi, quod Can. 19 permittit, ut in calice tertia pars aquæ sit.

Objectiones.

Obj. 1. Ex una parte Christus Apostolis nullibi 601
dedit potestatem consecrandi aquam, sed præceptum aquam vino miscendi est mere Ecclesiasticum: ex altera parte Ecclesia non potest instituere materiam Sacramenti: ergo. Conf. Si vino misceretur parum aquæ rosaceæ aut absynthii, non converteretur in sanguinem Christi: ergo neque aqua naturalis. Resp. Neg. Ant. quoad 1 membrum. Licet Christus mixtionem aquæ cum vino positive & determinate non præceperit, instituit tamen Euchari-

 stiam

ſtiam in vino uſuali, & pro materia illius determinavit tam vinum purum quam vinum aqua mixtum; Eccleſia vero ſolum præcepit, qualem ex iis materiis, quas Chriſtus inſtituit, adhibere debeamus; unde ex hoc argumento plus non ſequitur, quam quod aqua non ſit materia conſecrationis abſolute neceſſaria, neque conſecrari poſſit ſe ſola, & quin vinum uſuale conſtituat. Ad Conf. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Quia gutta aquæ roſaceæ aut abſynthii non videtur eſſe pars vini uſualis, ſed tantum aliquid additum: at aqua vino mixta cenſetur eſſe pars vini uſualis, ſicut fermentum pars panis uſualis.

602 Obj. 2. Concilium Tridentinum Seſſ. 13. cap. 3 tantum dicit, quod Chriſtus reliquerit corpus ſuum, & ſanguinem ſub ſpecie panis & vini, & Can. 2 tantum definit, manere ſpecies panis & vini; atqui juxta nos etiam manerent ſpecies aquæ. Conf. Eadem Seſſ. Can. 3 ſtatuit, Chriſtum manere ſub ſingulis cujuscunque ſpeciei partibus: ergo juxta nos etiam maneret ſub ſpeciebus ſolius aquæ, ſi a ſpeciebus vini ſepararentur; ſed tali modo non amplius eſſet ratio, quare non etiam aqua ſeparata poſſet conſecrari: ergo. Reſp. Diſt. Maj. Tridentinum tantum dicit, quod Chriſtus ſuum corpus & ſanguinem reliquerit ſub ſpeciebus panis & vini uſualis, & hæ ſolæ ſpecies remaneant, Conc. Maj. aliter, Neg. Maj. & ſic Diſt. min. Conſ. Tridentinum Seſſ. 13 Can. 2 agit contra conſubſtantiatores, & ſolum vult definire, quod non amplius maneat ſubſtantia panis & vini; de cætero panem & vinum ſumit in ſenſu morali & communiter uſitato, videlicet pro pane & vino uſuali, quod cum etiam per fermentum & aquam conſtituatur, implicite utriusque mentionem fecit. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Quia ſpecies aquæ ita ſeparatæ ne quidem in æſtimatione morali ma-

nent

nent ſpecies vini. Argumentum ab adverſariis ſolvi debet in pane triticeo modica farina hordei permixto, qui juxta S. Thomam in 3 part. q. 74 a. 3 ad 3 totus in corpus Chriſti convertitur.

Dices. Si modicum vini conſecrati infundere- 603 tur ingenti copiæ aquæ, nihilominus ſub guttulis vini maneret Chriſtus: ergo juxta nos etiam deberet manere ſub ſpeciebus aquæ ſeparatis. Conf. juxta nos daretur duplex materia calicis videlicet vinum & aqua, vel certe vinum adhuc poſſet conſecrari, etſi aqua in æquali vel majori copia infunderetur prout in communi uſu ſolent facere Itali & Hiſpani; imo etſi aqua infunderetur vino poſt conſecrationem, ut faciunt Græci; atqui hæc dici non poſſunt: ergo. Reſp. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Licet ſpecies vini aquæ longe copioſiori mixtæ forte in æſtimatione morali non amplius ſint vinum uſuale, manent tamen phyſice ſpecies vini: econtra ſpecies aquæ ſeparatæ nec phyſice nec moraliter vinum uſuale dici poſſunt. Materia autem conſecrationis eſt illud, quod moraliter aut phyſice rationem vini habet. Ad Conf. Neg. ſequelam; nam 1 ſicut farina, aqua & fermentum, ex quibus panis conficitur, ſunt una integra materia, ſic etiam vinum & aqua. 2. Cum vinum ſit materia principalis, videtur, quod non ſolum debeat prædominari virtute, ſed etiam quantitate, hinc cap. perniciosus 13 de celebr. Miſſ. dicitur perniciosus error miſcere plus aut tantum aquæ, quantum vini. 3. Ut aqua conſecretur, juxta omnes debet eſſe præſens ſaltem tunc, quando pronunciatur ultima pars formæ, neque in Euchariſtia, in qua datur phyſica converſio, pars major trahit minorem, ſicut in aliis rebus benedictis.

604 Obj. 3. Innocentius III cap. cum Marthæ 6 de celebr. Miss. postquam retulit tres Scholasticorum sententias, quarum una volebat, aquam in Eucharistia manere immutatam, altera illam mutari in eam, quæ fluxit ex latere Christi, tertia in sanguinem Christi, *Alii*, inquit, *tenent*, *quod aqua cum vino transsubstantietur in sanguinem*, *cum in vinum transeat mixta vino, licet physici contrarium asseverent*, & hanc sententiam dein asserit tanquam probabiliorem: ergo aqua in sanguinem Christi solum convertitur mediate. Conf. Eandem sententiam approbat Lib. 4 de Myst. Missæ cap. 30: *Quis enim* (verba illius sunt) *ambigat*, *aquam in vinum transire*, *cum multo vino modicum infunditur aquæ*. Resp. Dist. Ant. hanc sententiam assert probabiliorem quam duas alias ibi relatas, Conc. Ant. quam nostram, Neg. Ant. & Cons. Innocentius solum approbat sententiam, quæ dicit, aquam cum vino converti in sanguinem, non item rationem sententiæ, quam ait tantum afferri ab aliquibus; imo illam potius refellit, dum inquit Physicos contrarium asseverare. Hinc alii ex hac ipsa auctoritate Innocentii nostram sententiam confirmant. Ad Conf. Imprimis Innocentius hunc librum jam scripsit ante Pontificatum. Dein solum videtur loqui de transitu morali aquæ in vinum, vel certe transitum physicum tantum vult contingere quandoque; nam in eodem capite asserit: *In Sacramento Corporis est Trinitas specierum*, *videlicet panis*, *vini & aquæ*.

605 Dices. 1. S. Thomas 3 p. q. 74 art. 8 in corp. ita interpretatur Innocentium, quasi tanquam probabiliorem approbaverit sententiam asserentem, aquam prius converti in vinum, & hanc ipsam conversionem alibi sæpius adstruit. Conf. Eucharistia est mysterium miraculis plenum: ergo licet aqua in vinum forte nequeat converti naturaliter, potest

tamen

tamen dici, hoc fieri ſupernaturaliter. Reſp. S. Thomam, ſicut de Innocentio diximus, juxta multos intelligi poſſe de converſione morali: nam eadem quæſtione, poſtquam argumento tertio ſibi objecit, vix inveniri materiam triticeam puram ab admixtione alterius e. g. hordei, reſpondet: *Modica permixtio non ſolvit ſpeciem, quia id, quod eſt modicum, abſumitur a plurimo,* videlicet moraliter, cum utique farina hordacea per ſolam admixtionem nequeat phyſice in triticeam commutari. Taceo, quod videatur habuiſſe vitioſum exemplar decretalis Innocentii, quia non refert verba Pontificis, ſicut in capitulo *cum Marthæ* habentur. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conſ. Quia hoc miraculum prorſus gratis fingitur, & longe conformius ad mentem Patrum dicitur, quod aqua ſtatim miraculoſe convertatur in ſanguinem Chriſti.

Dices 2. Concilium Florentinum in decret. ad 606
Armen. jubet, ut vino modiciſſima aqua miſceatur; atqui hujus nulla alia eſt ratio, quam ut aqua facilius poſſit converti in vinum. Conf. Catechiſmus Romanus part. 2 cap. 4 ait, ideo aquam modicam infundendam eſſe, quia Eccleſiaſticorum Scriptorum ſententia & judicio aqua illa in vinum convertitur. Reſp. Conc. Maj. Neg. min. Nam Florentinum longe alias rationes dat, nempe illas, quas ex Tridentino adduxi num. 590. Adde, quod modica aqua melius exprimat præeminentiam Chriſti ſupra populum fidelem, & hac ratione magis præcaveatur, ne vinum propter nimiam aquæ copiam corrumpatur. Ad Conf. Catechiſmus Romanus tit. de SS. Euchariſt. non eſt irrefragabilis, & ab adverſæ ſententiæ patronis compoſitus fuit; poteſt nihilominus explicari de converſione morali, vel quod aqua in vinum convertatur quandoque, ſi illud ſit valde generoſum & tempus longum; quod enim aqua ſemper

per physice in vinum convertatur, neutiquam docuere Scriptores antiqui, neque pro hac sententia aliquid probat ritus PP Dominicanorum & Carmelitarum; quippe non ideo citius aquam & vinum infundunt in calicem, ut detur sufficiens tempus ad aquam in vinum mutandam, sed quia sequuntur ritum antiquum Ecclesiæ Latinæ, quo cautum erat, ut materia sacrificii præpararetur, antequam Sacerdos missam inchoaret. Ita Ledr. Dominicanus.

607 Quæres 1. An una species possit consecrari sine altera e. g. panis sine vino & vicissim. Resp. Id fieri quidem posse valide, sed non licite. Ratio prioris est, quia consecratio cujuslibet speciei est absoluta, adeoque statim habet suum effectum ante consecrationem alterius; hinc jam ante consecrationem calicis adoramus sacram hostiam; ordo autem consecrandi panem ante vinum est quidem necessarius necessitate præcepti, non item necessitate Sacramenti. Ratio posterioris est præceptum Christi: *Hoc facite in meam commemorationem*, Luc. 22 v. 19. quod traditio Ecclesiastica ita explicat, ut offeratur sacrificium utriusque speciei, & sic non solum repræsentetur passio & mors Christi, sed etiam genus mortis per effusionem sanguinis, ut colligitur ex Tridentino Sess. 22. cap. 1. Est itaque præceptum consecrandi utramque speciem Divinum, in quo Pontifex probabilius non tantum non potest dispensare stricte, sed neque per modum interpretationis declarare, licitum esse aliquando conficere unam speciem sine altera. Quod autem Volteranus ait, Innocentium VIII cum Norwegis dispensasse, ut ob inopiam vini consecrarent in solo pane, merito inter fabulas reputatur, cum etiam scribat, Pontificem cum ipsis dispensasse, ut calicem consecrarent sine vino.

Quæ-

Quæres 2. An eadem species valide possit con- 608
secrari a pluribus? Resp. affirmative, non quidem a pluribus successive, attamen a pluribus simul, sicut plures simul eundem hominem valide possent baptizare vel absolvere; nulla enim in hac re potest ostendi repugnantia. Imo Ecclesia Romana Neomistis id præcipit, & in ordinatione novorum Sacerdotum tam Romæ quam alibi id fit, præsertim post novum Pontificale a Clemente VIII editum, ubi etiam dicuntur Episcopo concelebrare, adeoque verba consecrationis non tantum materialiter proferre. Quia tamen Christus statim post verba consecrationis sub speciebus adest, monentur, ut alta voce, lente & attente illa proferant, ne Episcopum, qui principalis est celebrans, præveniant. Quare debent habere intentionem proferendi verba modo meliore, quo juxta voluntatem Dei & Ecclesiæ possunt, & debent proferri, quæ intentio juxta P. Ant. Mayr de Eucharist. Disp. 1 q. 3 a. 2 num. 186 speculative loquendo est conditionata, scilicet consecrandi, si cum Episcopo formam absolvant, non vero consecrandi, si ante vel post eum absolverint. Neque obstat, quod tali modo verba Sacramentalia exponantur periculo nullitatis, quia tantum proferuntur conditionate, idque ex sufficienti causa & ordinatione Ecclesiæ, uti fit, quando iterum baptizantur, de quibus merito dubitatur, an vere baptizati fuerint. Vid. laudatus Auctor.

DISPUTATIO V.

De Forma, Ministro, Subjecto, & Effectibus Eucharistiæ.

Circa formam Eucharistiæ varii sunt tum erro- 609
res novatorum, tum opiniones Catholicorum. Bucerus

cerus in cap. 26 Matth. simpliciter negat verba Christi instituentis ad hoc Sacramentum esse necessaria. Calvinus Lib 4 Instit. cap. 17 vult, illa solum requiri ad excitandam fidem. Lutherus Lib. de abroganda Missa privata contendit, ad consecrationem totam liturgiam esse necessariam. Nicolaus Cabasilas, Marcus Ephesinus, aliique Græci schismatici dicunt, verba, quibus Christus consecravit, a Sacerdote tantum proferri narrative, & tunc primum operari, cum Sacerdos preces suas fuderit, quibus Deum rogat, ut mittat Spiritum Sanctum suum super proposita dona, & panem faciat corpus Christi, vinum vero sanguinum ejus. Ex Catholicis Innocentius III Lib. 4 de Myst. Miss. cap. 6 docuit, Christum per potestatem Excellentiæ consecrasse sola intentione interna, quamvis posteris aliqua verba necessario adhibenda præscripserit. Addidit Catharinus hæc verba tantum proferri historice, nec perfici Sacramentum sine precibus, quæ apud Latinos antecedunt: *Quam oblationem Deus in omnibus benedictam &c.* S Thomas 3 p. q. 78 art. in corp. asserit in consecratione calicis de necessitate Sacramenti esse etiam hæc verba: *Novi & æterni Testamenti, mysterium fidei.* Denique Scotus videtur exigere verba illa præcedentia: *Qui pridie, quam pateretur &c.*

QUÆSTIO I.

An ad valorem Consecrationis requirantur verba Christi: Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus?

610 Dicendum. Ad valorem consecrationis necessario requiruntur dicta verba Christi, vel æquivalentia.

lentia. Prob. Ex una parte ipse Christus his verbis usus est: ex altera parte jussit iisdem consecrationem fieri: ergo. Pars 1 patet tum ex historia Evangelica, in qua SS. Matthæus, Marcus & Lucas expresse testantur, Christum in consecratione Eucharistiæ hæc verba protulisse: tum ex auctoritate Patrum, qui clare docent, Christum per hæc verba effecisse suum corpus & sanguinem, uti videre est apud Bellarm. Lib. cit. cap. 12, & Tournel. quæst. 4 art. 8. Ex iisdem ferme momentis ostenditur Pars 2; nam Evangelistæ expresse testantur, Christum, postquam perfecit consecrationem, addidisse: *Hoc facite in meam commemorationem.* Eadem voluntas Christi colligitur ex SS. Patribus & praxi Ecclesiæ Græcæ & Latinæ. Sic S. Chrysostomus Homil. 1 de proditione Judæ ait: *Hoc verbo: hoc est Corpus meum, proposita dona consecrantur.* S. Ambrosius Lib. 4 de Sacrament. cap. 4: *Quomodo potest, qui panis est, esse Corpus Christi; consecratione: consecratio autem quibus verbis est? Domini JEsu.* Rationem dat Florentinum in decreto ad Armenos. Quia Sacerdos in persona Christi hoc Sacramentum conficit. Tridentinum vero Sess. 13 cap. 4 docet, quod semper in Ecclesia Dei fuerit creditum, totum Christum in Eucharistia contineri vi verborum, quibus Christus illam instituit.

Dices 1. Christus panem consecravit benedi- 611
cendo: ergo in consecratione nulla adhibuit verba sed solam prolationem Sacramenti, & diversas actiones, ut colligitur ex verbis S. Matthæi cap. 26 v. 26: *Accepit panem, benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite & comedite, Hoc est Corpus meum.* Conf. S. Marcus cap. 14 v. 23 & seq. consecrationem calicis primum ponit post sumptionem vini, & S. Lucas cap. 24 consecrationem panis, quem Christus dedit discipu-

lis in Emaus, ſine omni verborum forma refert; ita enim v. 30 habet: *Dum JEſus recumberet cum eis, accepit panem, benedixit, fregit, ac porrigebat illis.* Reſp. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. rationem additam Diſt. inter benedictionem & prolationem verborum interceſſit duplex actio reipſa, & in facto Chriſti, Neg. in hiſtoria factum referente, Conc. Sæpe uno tempore ab eodem diverſæ eliciuntur actiones, quæ non poſſunt niſi cum aliqua ſucceſſione enumerari, nec ſemper in Scriptura referuntur eodem ordine, quo facta ſunt. Atque ita res ſe habet in præſenti; Chriſtus enim Euchariſtiam inſtituens ſimul benedixit panem, & omnipotenti ſermone conſecravit, fregit ac dedit diſcipulis ſuis; at hæc tantum ſucceſſive & non eodem ordine, quo contigerunt, narrantur, ut ex S. Auguſtino advertit S. Thomas 3. p. q. 78 art. 1 ad 1. Ad Conſ. Jam alibi adverti, S. Marcum, ut cum aliis Evangeliſtis concilietur, uſum eſſe anticipatione, neque opus erat, ut S. Lucas verba conſecrationis repeteret, cum illa jam cap. 22. retulerit.

612 Dices 2. Benedictio Chriſti fuit quædam gratiarum actio, & invocatio Divinæ virtutis; atque per illam panis communis factus eſt ſacer & Divinus: ergo ſanctificatio fuit diſtincta a verbis conſecrationis, quibus nos utimur. Conf. Hæc benedictio & conſecratio Chriſti non fuit minus efficax quam illa, qua quinque panes in deſerto multiplicavit ſine verbis: ergo. Reſp. Conc. Ant. quoad 1 membrum, Diſt. quoad 2. per benedictionem Chriſti panis fuit factus ſacer & Divinus immediate, Neg. Ant. mediantibus verbis, Conc. Ant. Neg. Conſ. Benedictio Chriſti fuit quidem a prolatione verborum inſtitutionis diſtincta, & per eam Chriſtus ſe ad perficiendam conſecrationem præparavit; ipſa tamen ſanctificatio & conſecratio

panis primum facta est per verba, ferme sicut quando Lazarum ad vitam revocavit, tunc enim Joann. 11 v. 41 dicitur, prius elevatis oculis Patrem rogasse, & ei gratias egisse, dein primum voce magna clamasse: *Lazare veni foras*, & *statim*, ait Scriptura v. 43, *prodiit*, *qui fuerat mortuus*. Ad Conf. Dist. Ant. non minus fuit efficax, & eodem modo, Neg. Ant. diverso tamen modo, Conc. Ant. Neg. Cons. Quamvis Christus non minus panem Eucharisticum sola benedictione consecrare, quam panes in deserto multiplicare potuisset, voluit nihilominus in Sacramento Eucharistiæ adhibere verba consecratoria, ut testantur Evangelistæ.

Dices 3. S. Paulus 1 ad Cor. 10 v. 16. ait: 613 *Calis benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est*, neque ullum exstat exemplum in Scriptura locutionis enuntiativæ, quæ efficiat id, quod significat: ergo benedictio Christi immediate fuit efficax. Conf. Si dicitur, quod consecratio sit facta per benedictionem, & verba sequentia: *Hoc est Corpus meum*, rem factam demonstrent, facilius explicatur pronomen *hoc*, & sensus verborum institutionis: ergo. Resp. Conc. Ant. quoad 1. membrum, Trans. quoad 2. Neg. Cons. S. Paulus loco objecto per benedictionem non intelligit actionem quandam singularem Christi, sed totam cœnæ celebrationem, ex quo non magis potest inferri, benedictionem fuisse per se consecratoriam, quam panis fractionem, de qua similiter v. 16 dicit: *Panis, quem frangimus, nonne communicatio Domini est*. Porro quando Christus Matth. 9 v. 2 paralitico dixit: *Dimittuntur tibi peccata tua*. Et Luc 13 v. 12 mulieri habenti Spiritum infirmitatis: *Dimissa es ab infirmitate tua*, haud dubie id effecit, quod verbis significavit. Quamquam opus non sit, ut Mysterium Eucharistiæ, utpote prorsus ineffa-

ineffabile, in Scriptura exemplum habeat. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Theologus enim non debet amplecti illam sententiam, quæ est facilior, sed quæ magis consentanea Verbo Divino, Patribus, & traditioni Ecclesiæ.

614 Dices 4. SS. Patres communiter docent Eucharistiam consecrari benedictione, oratione, precibus, gratiarum actione. Sic. S. Basilius Lib. de Spirit. Sanct. cap. 27 ait: *Quis Sanctorum in scripto nobis reliquit invocationis verba, cum conficitur panis Eucharistiæ & poculum benedictionis.* S. Gregorius Lib. 9 Epist. 16: *Apostoli primis temporibus sola oratione Dominica præmissa Eucharistiam consecrarunt.* S. Gaudentius Brixiensis Tract. 2 in Exod. *Cum panem consecratum & vinum discipulis suis porrigeret Dominus, sic ait: Hoc est Corpus meum:* ergo. Resp. Dist. Ant. docent Eucharistiam consecrari benedictione, oratione &c. formaliter & tanquam ritu absolute necessario, Neg. Ant. dispositive tanquam ritu ab Ecclesia præscripto, Conc. Ant. & Neg. Conf. SS. Patres per benedictionem, orationem &c vel intelligunt verba Christi, quæ in ipsius persona prolata implicitam Divinæ virtutis invocationem continent: vel solum loquuntur de precibus, quæ ex præcepto Ecclesiæ ante & post consecrationem fiunt. De his loquitur S. Basilius, ut patet ex contextu: S. Gregorius vero solum vult, quod Apostoli omissis longioribus precationibus tantum septem petitiones Dominicas verbis institutionis addiderint. S. Gaudentius denique indicat quidem, quod panis antea jam fuerit consecratus præparatorie, non vero formaliter & perfecte ante verba: *Hoc est Corpus meum.*

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An ad conſecrationem requirantur adhuc plura alia verba?

Dicendum. Ad valorem conſecrationis ſuffi- 615
ciunt verba inſtitutionis : Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus, vel his æquivalentia. Prob. 1. Ex una parte per hæc verba ſufficienter ſignificatur converſio panis in corpus, & vini in ſanguinem Chriſti; illis enim prolatis ſenſus propoſitionis integer & completus eſt : ex altera parte reliqua verba antecedentia & ſubſequentia tantum ſignificant vel uſum Euchariſtiæ : *Accipite & manducate*, vel mandatum Chriſti : *Hoc facite in meam commemorationem*, aut non ſunt verba Chriſti, ſed tantum proferuntur hiſtorice, uti : *Qui pridie, quam pateretur, accepit panem &c.* aut non ab omnibus Evangeliſtis referuntur. Sic particula *Enim* tantum utitur Matthæus in ſola conſecratione calicis. *Quod pro vobis tradetur*, habet ſolus Lucas, *pro vobis* omittitur a Marco. *In remiſſionem peccatorum* a Paulo 1 ad Cor. 11 v. 24 & 25. *Æterni & Myſterium fidei* in nullo leguntur; atqui non eſt credibile, quod Evangeliſtæ & S. Paulus, dum formam conſecrationis referunt, verba eſſentialia omittant. Idem dicendum de SS. Patribus, Irenæo, Gregorio Nyſſeno, Chryſoſtomo, Ambroſio aliisque, qui apud Bellarm. & Tournel. loc. cit. vim conſecrandi paſſim ſolis verbis inſtitutionis adſcribunt, hinc S. Gregorius Nazianzenus Serm. 22 de Paſch. ait : ſine dubio fidem derogare, *Qui verbis: Hoc eſt Corpus meum, a Sacerdote prolatis non credit eſſe verum Corpus Chriſti.*

Probatur 2. ſpecialiter contra Græcos, quod 616
illorum preces non requirantur ad valorem conſecrationis. Nam 1. verba inſtitutionis ſunt vera:

ergo operativa ante preces a Græcis addi solitas. 2. Preces Græcorum nec sunt verba Christi, nec nomine Christi proferuntur ; Concilium Florentinum autem in decret. ad Armen. ait : *Ipsorum verborum Salvatoris virtute, substantiam panis in Corpus Christi, & substantiam vini in Sanguinem converti.* 3. Non tantum in liturgiis Latinorum, sed etiam in Petri aliisque, quibus Græci utuntur, istæ preces non inveniuntur. 4. Tam in Ecclesia Latina quam Græca post verba Christi prolata sacra hostia & calix statim populo adoranda proponuntur. De Latina constat, de Græca patet ex ritu consecrandi. Quando enim Sacerdos verba Christi alta voce pronunciat, populus respondet Amen, & a Diacono sacra oblata adorantur, ac populo demonstrantur. Quem vero sensum vocula *Amen* habeat, docet Bessarion Sæculi XV Scriptor Græcus Lib. de Sacrament. Euchar. & S. Ambrosius Lib. de initiandis cap. 9, ubi ait *to Amen* hic idem significare, ac credimus, ita est, vere est, quod dicis, ut clarius exprimunt Æthiopes, dum in missa respondent : *Amen, amen, amen, credimus & confidimus & laudamus.*

617 Dices 1. Verba consecrationis debent habere sensum determinatum ; sed talem non habent verba : *Hoc est Corpus meum*, sed potius denotant corpus Sacerdotis quam Christi, nisi præmittantur illa: *Qui pridie, quam pateretur* : ergo. 2. Concilium Florentinum in forma calicis expresse refert voces *Novi & æterni Testamenti*, eaque in Missali Romano eodem charactere sunt impressa, eodemque tenore a Sacerdote pronunciantur, quo priora ; hinc a S. Thoma quæst. 73 a. 3, & Catechismo Romano de Eucharist. Sacrament. §. 20 dicuntur esse de essentia, & sententiam contrariam S. Pius e commentariis Cajetani expungi jussit.

Resp.

Resp. ad 1. Conc. Maj. Neg. min. Verba institutionis ad significandum corpus Christi sufficienter determinantur partim per hoc, quod proferantur a ministro specialiter consecrato & deputato, ut nomine Christi loquatur, partim ex eo, quod hic & nunc velit nomine Christi loqui. Ad 2. Florentinum non solum exprimit, quæ sunt de necessitate Sacramenti, sed etiam, quæ sunt de necessitate præcepti, propter quod in Missali omnia eodem charactere sunt impressa, & quia ad eandem continuam orationem pertinent, eodem tenore a Sacerdote pronuntiantur. A S. Thoma & Catechismo Romano, nisi de formæ integritate & perfectione intelligi possint, licebit cum Scotistis recedere; sententiam vero Cajetani non S. Pius, sed inquisitores Romani expungi jusserunt, quia, ut ait Isambertus, non satis honorifice de opinione S. Thomæ locutus est.

Dices 2. In Ecclesia Græca post relata verba 618
institutionis Sacerdos a Deo petit, ut panis & vinum fiat corpus & sanguis Christi per virtutem Spiritus Sancti, ut patet ex antiquissimis liturgiis Jacobi, Clementis, Basilii, Chrysostomi, &c. ergo. Resp. Dist. Ant Sacerdos a Deo petit, ut fiat corpus & sanguis Christi simpliciter, Neg. Ant. ut corpus & sanguis Christi, qui jam factus est, fiat suscipientibus, iisque ita prosit, ut communicantes ex illo percipiant effectum & fructum spiritualem, Conc. Ant. Neg. Cons. Responsionem hanc solidam esse colligitur ex contextu; nam postquam Sacerdos oravit, ut corpus & sanguis Christi fiat, statim subjungit: *Ut fiat suscipientibus in sobrietatem animæ, in remissionem peccatorum, in communicationem S. Spiritus &c.* quemadmodum videre est in liturgia S. Chrysostomi & Basilii. 2. Ex more Græcorum solet postulari id, quod factum jam est, quasi pri-

 mum

mum debeat fieri. Sic ordinatione Sacerdotis jam perfecta fundunt preces, quibus super ordinatum invocant Spiritum Sanctum, quasi eum non supponerent advenisse. 3. Ex ipsa confessione Græcorum idem constat; postquam enim in Concilio Florentino interrogati fuerunt, quare ad Christi verba preces illas adjicerent, quasi nondum foret Sacramentum completum, responderunt, se hac in re sentire cum toto orbe christiano, faterique per verba Christi transmutari panem & fieri corpus Christi, preces vero subjungere sicut Latini, dum post consecrationem orant: *Supplices te rogamus omnipotens Deus, jube hæc perferri &c.*

619 Dices 3. In Liturgia S. Chrysostomi Sacerdos orat, ut Deus panem faciat corpus Christi, mutans illum Spiritu Sancto. 2. S. Dionysius de Eccles. Hierarch. cap. 3 dicit, consecrationem primum fieri post verba: *Hoc facite in meam commemorationem.* 3. S. Cyrillus Hierosol. catech. 5 exponens ritum conficiendi Eucharistiam, ne quidem meminit verborum Christi, sed eam fieri docet per orationem. Resp. ad 1. Teste Arcudio textum S. Chrysostomi esse male redditum per vocem latinam *mutans*, sed cum in Græco habeatur Aoristus secundus, verti debuisset in præteritum ita, ut sensus sit: Fac, ut panis, quem Spiritu Sancto tuo mutasti in corpus Christi, fiat suscipientibus ad animæ salutem. Ad 2. Quid S. Dionysius velit, incertum est, probabiliter usus fuit liturgia, in qua verba: *Hoc facite &c.* erant posita ante verba institutionis: nec enim omnes liturgiæ fuere similes, nec illæ, quas habemus præsertim ab Apostolis, sunt puræ, ut omnes fatentur. Ad 3. Fatetur Arcudius, S. Cyrillum nobis adversari. Alii illum excusant dicendo, eum pariter usum fuisse liturgia, in qua preces ante verba institutionis habebantur, ideoque

que dixisse, rogari Deum, ut mittat Spiritum Sanctum, qui panem & vinum ipsius Christi verbis in illius corpus & sanguinem convertat; nam catech. 3 disserte ait, consecrationem per verba Christi perfici.

Dices 4. S. Basilius in sua liturgia panem & 620 vinum adhuc post verba consecrationis vocat antypa, id est, figuras & imagines corporis & sanguinis Christi: ergo non credidit per hæc verba conversionem jam factam fuisse. Certe S. Joannes Damascenus Lib. 4 de fid. cap. 13 testatur, Sanctum Basilium appellare panem & vinum antypa ante consecrationem, & post verba Christi; quod ipsum etiam dixerunt Joannes & Epiphanius Diaconi in Synodo Nicæna act. 6. Resp. Transf. Ant. Nam aliqui putant S. Basilium non panem & vinum, sed ipsum corpus & sanguinem Christi vocasse antypa, videlicet corporis & sanguinis in cruce immolandi, quo modo loquendi passim alii Patres utuntur. Neg. Conf. Quippe ut Tournelyus quæst. 4 art. 8 advertit, S. Doctor in Græco iterum utitur Aoristo secundo, qui præteritum denotat hoc sensu: nos, qui proposuimus antypa corporis & sanguinis sui. Itaque panem & vinum appellat antypa corporis & sanguinis Christi respective ad tempus præcedens consecrationem. Quodsi etiam tempore præsenti dixisset proponentes antypa, nihilominus hæc vox ad præteritum referri potuisset, juxta usum & morem Ecclesiæ, quæ sæpe tempore præsenti exprimit, quæ ad antecedens referenda sunt, ut quando Deum orat, ut animas defunctorum a pœnis inferni liberet. Atque hæc responsio videtur omnino concordare cum testimoniis S. Damasceni, Joannis & Epiphanii, qui docent antypa panis & vini a S. Basilio fuisse quidem dicta post verba Christi, sed in ordine ad tempus antecedens.

621 Quæres. An verba consecrationis proferantur enunciative, an tantum narrative. Resp. cum communi, utroque modo illa proferri. Nam 1. verba tunc dicuntur proferri narrative seu recitative, quando proferuntur tanquam dicta ab alio; atqui Sacerdos profert verba consecrationis tanquam dicta a Christo; ante enim ait: *Antequam pateretur, accepit panem, benedixit, fregit, deditque discipulis suis dicens: accipite &c.* 2. Verba enunciative seu significative proferuntur tunc, quando ab aliquo proferente asseritur id, quod per verba significatur; atqui Sacerdos consecrans, quando profert verba Christi, vult asserere, hoc revera esse corpus & sanguinem Christi; cum enim juxta SS. Patres, Concilium Florentinum & Tridentinum debeat agere in nomine & persona ipsius Christi, verba illius non tantum narrat & recitat, alias Sacerdos supra mensam legens verba consecrationis revera consecraret. Quare Sacerdos consecrans tum in persona Christi, tum in sua loquitur, & quamvis fieri possit, ut reflexe etiam affirmet veritatem verborum Christi, quatenus ea in cœna dixit, hoc tamen non est necessarium, ferme sicut concionator citans textus S. Scripturæ & Patrum, illorum veritatem non debet enunciare reflexe, sed sufficit modo illos proferat.

QUÆSTIO III.

Quis sit minister, quod subjectum & quinam effectus Eucharistiæ?

622 Quod soli Sacerdotes possint conficere Sacramentum Eucharistiæ, negant quidem illi, qui cum Luthero cuilibet Christiano potestatem quodlibet Sacramentum administrandi attribuunt: verum

rum Christus Luc. 22 v. 19 ad solos Apostolos, eorumque successores Episcopos & Sacerdotes dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, alias cum hæc verba non tantum denotent potestatem, sed etiam præceptum, omnes Christiani non tantum possent, sed etiam tenerentur Eucharistiam conficere. At vero contrarium constat ex perpetua praxi Ecclesiæ & traditione, de qua nos certos facit unanimis consensus Patrum apud Bellarm. ex quibus S. Hieronymus contra Lucifer. hoc potissimum argumento ostendit; ipsos Ecclesiam non esse, quod Sacerdotes non habeant, qui Christi corpus conficiant, sed Diaconum duntaxat; & Epist. 101 ad Evangel. ait: *Quis patiatur, ut supra eos tumidus Diaconus se efferat, ad quorum preces corpus Christi sanguisque conficitur.* Idem clare statutum invenitur in Concilio Nicæno I can. 18, in Lateranensi sub Innocentio III, in Florentino in decret. ad Armen. Tridentinum vero sess. 22 can. 2 ita habet: *Si quis dixerit illis verbis: hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique Sacerdotes offerrent corpus, & sanguinem suum, anathema sit.*

Possunt quidem Diaconi Eucharistiam fidelibus 623
dispensare, & jam olim dispensasse constat ex S. Justino apolog. 2, ex S. Cypriano tract. de lapsis, ubi ait, Diaconum calicem præsentibus offerre, & ex S. Augustino serm. 37 de diversis, verum neque hæc potestas ipsis competit de jure proprio ac ordinario, sed tantum ex licentia Episcoporum & Presbyterorum. *Diaconus*, ait Concilium Carthaginense IV can. 38, *præsente Presbytero Eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget.* Et Gelasius Epist. ad Episc. Lucan. *Diaconi sub conspectu Pontificis seu Presbyteri, nisi his absentibus, sacri corporis Christi prærogationem jus non ha-*

beant exercendi. Hinc quoties jus diſpenſandi Euchariſtiam quaſi proprium ac debitum ſibi arrogare voluerunt, ſtrenue repreſſi & in ordinem redacti ſunt : ex quibus patet poteſtatem diſpenſandi Euchariſtiam multo minus competere Subdiaconis, & Clericis inferioribus, quamvis olim etiam ipſis, imo & Laicis hæc poteſtas ex indulgentia conceſſa fuerit. Sed mos hic in Eccleſia Latina dudum jam abrogatus eſt adeo, ut Laicis ne quidem vaſa ſacra manu tangere liceat.

624 Subjectum Euchariſtiæ quod attinet, quamquam omnis homo baptizatus, & a peccatis gravibus immunis capax ſit, ut illam non tantum ſacramentaliter, ſed etiam cum fructu ſuſcipere valeat, varia tamen circa hanc rem fuit Eccleſiæ diſciplina. Antiquitus ab Euchariſtia arcebantur energumeni, & in Hiſpania, Africa, Gallia etiam moribundis negabatur, ſi certorum criminum ſe reos feciſſent, ut patet ex Concilio Eliberitano, ex S. Cypriano Epiſt. 52, & Concilio Arelatenſi I can. ult. Econtra ſæculo III usque ad XII dabatur, & hodiedum adhuc apud Græcos datur infantibus & perpetuo amentibus ; imo in quibusdam locis abuſus invaluerat, ut etiam mortui cum Euchariſtia ſepelirentur, quod reprehendit & prohibuit Concilium Carthaginenſe III can. 6, & Antiſſiodorenſe can. 12. Modernis temporibus Euchariſtia non amplius conceditur infantibus, & perpetuo amentibus, uti neque ſurdis ſimul ac mutis a nativitate, ſi nullum illius deſiderium oſtendere, nec fidem ac pietatem ſuam ſignificare valeant. Viciſſim non ſolum moribundis præberi debet, ſed illius etiam participes fieri poſſunt energumeni, amentes habentes lucida intervalla, & quicunque peccatores etiam publici, modo convenientem pœnitentiam egerint. Idem in Italia, Germania multis-

multisque aliis provinciis obſervatur cum reis ad mortem damnatis, quibus tamen in Hiſpania & Sabaudia ſacra communio in pœnam ſceleris & ſcandali denegatur.

De effectibus Euchariſtiæ Lutherus docuit, primarium eſſe, quod remittat peccata mortalia, adeoque ad dignam ſumptionem non requiri, ut quis ſibi nullius peccati gravis ſit conſcius, quod non ſolum conſtanti Patrum & Eccleſiæ doctrinæ, ſed etiam Scripturæ repugnat: *Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini*, 1 ad Cor. 11 v. 29. Hinc error Lutheri a Concilio Tridentino ſeſſ. 13 can. 5 proſcriptus eſt his verbis: *Si quis dixerit, vel præcipuum fructum SS. Euchariſtiæ eſſe remiſſionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire anathema ſit.* Itaque potiſſimi effectus Euchariſtiæ ſunt: 1. Augmentum gratiæ ſanctificantis; imo probabilius etiam gratia prima, non quidem per ſe; eſt enim Sacramentum vivorum, inſtitutum per modum cibi & potus ad nutrimentum ſpirituale: attamen per accidens, ut ex num 157 colligitur. 2 Liberatio a peccatis levibus, & præſervatio a gravibus; ſicut enim cibus & potus materialis vires amiſſas reparat, & a morte præſervat, ſic cibus Euchariſticus mediantibus gratiis actualibus, & fervore charitatis peccata venialia delet, fomitem concupiſcentiæ minuit, & a morte animæ præſervat. 3. Delectatio ſpiritualis, ut conſtat ex Concilio Florentino decret. ad Armen. & Viennenſi, ubi Clemens V ait: *In hoc Sacramento habetur omne delectamentum, & omnis ſaporis ſuavitas, ipſaque dulcedo Domini deguſtatur.* 4. Glorioſa reſurrectio & immortalitas corporis, quatenus Deus ad vivificanda corpora mortuorum ſpecialiter movetur propter communicationem, quam cum carne Chriſti vivifi-

625

cante habuimus, ut teſtatur S. Joannes cap. 6 v. 55.

626 Quæres 1, Quando Euchariſtia cauſet gratiam? Reſp. cum communi, tunc, quando datur ejus manducatio vel potatio; nam promiſſiones Chriſti de danda per hoc Sacramentum gratia ſemper reſpiciunt manducationem vel potationem: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*, Joann. 6 v. 52 & 55: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, vivet in æternum.* Quare licet hoc Sacramentum non conſiſtat in uſu, tamen uſus eſt illius applicatio, adeoque ſicut cætera tantum cauſat gratiam, quando uſus eſt completus. Porro manducatio & potatio datur, quando cibus vel potus in ſtomachum trajicitur; qui enim cibum tantum ori imponit, & non deglutit, necdum manducaſſe cenſetur; hinc Eccleſia non ſolet Euchariſtiam præbere iis, qui deglutire nequeunt. Quodſi forte alicui ſacra hoſtia miraculoſe non per os, ſed per pectus ingrederetur, putat P. Ant. Mayr num. 289, illum per ſe nullam gratiam percepturum, quamquam in tali caſu Deum facile crederem diſpenſaturum, ſicut nonnunquam diſpenſavit in aliis Sacramentis, ut quando S. Amphilochium per Angelos fecit ordinari Epiſcopum.

627 Quæres 2, Quamdiu Euchariſtia illam efficiat? Reſp. cum communiori contra Cajetanum & Gabrielem per ſe & ex opere operato ſolum tunc, quando manducatur & bibitur, non vero quamdiu manet in ſtomacho. Quippe nullibi habetur, quod Chriſtus huic Sacramento promiſerit collationem gratiæ, niſi dum ſumitur. Neque obſtat, quod Euchariſtia ſit inſtituta per modum cibi & potus, aliunde enim novimus, quod in multis quoad modum nutriendi a cibo & potu materiali diſcrepet; nam hic debet converti in alitum, &

non

non nutrit nisi corruptus: econtra cibus Eucharisticus nutrit prius, &, ut ex promissionibus Christi colligitur, in manducatione; alias ad gratiam ex Eucharistia percipiendam melius esset dispositus, qui haberet debiliorem stomachum, adeoque species diutius retineret, Sacerdos vero male ageret, si communicanti tantum daret dimidiam hostiam. Merito igitur ab Inquisitoribus Hispanis rejecta est superstitiosa illa devotio quorundam laicorum, maxime fœminarum, qui vel majorem vel plures hostias petebant, & Innocentius XI anno 1679 12 Febr. illam devotionem decreto prohibuit.

QUÆSTIO IV.

An sumptio Eucharistiæ sub duplici specie causet plus gratiæ quam sub una?

Quæstio hæc inter ipsos Catholicos contro- 628
versa est, utilis tamen etiam ad refellendos errores novatorum nostri temporis, contra quos disputatione sequente agendum erit. Controvertitur autem de eo, quod fit per se & ex opere operato, supposita in subjecto recipiente æquali dispositione; si enim ille, qui Sacramentum sub utraque specie recipit, inde excitetur ad majorem devotionem, facile conceditur, quod ex opere operantis, vel etiam ob meliorem dispositionem ex opere operato uberiorem gratiam recipiat, quem in finem aliqui dicunt a Clemente VI Regi Galliæ concessum esse, ut sub duplici specie communicaret. Verum P. Mendo hanc bullam Clementis invenire non potuit, & ipsi Galli in Concilio Tridentino, quando usum calicis petierunt, nullam hujus privilegii mentionem fecerunt, sed tantum

dixe-

dixerunt, quod ab immemoriali tempore Reges Christianissimi die coronationis suæ soleant sub utraque specie communicare. Quidquid autem Clemens tanquam Doctor privatus hic egerit, aut fecerit, parum confert ad præsentem controversiam decidendam, in qua affirmativam tenent Melchior Canus, Vasquez, Lugo, Haunoldus aliique cum Scotistis, negativam vero S. Thomas 3 p. q. 80 art. 1 ad 3. Suarez, Esparza, Maurus &c. communior cum Thomistis.

629 Dicendum. Eucharistia sub utraque specie in una moraliter communione sumpta per se non plus causat gratiæ, quam sub una. Prob. negative, quia nec ex auctoritate sacra, nec ex ratione probari potest, quod Christus sumptioni sub duplici specie majorem gratiam promiserit; neque enim major gratia debet conferri ratione specierum, quæ tantum sunt signum exterius, & gratiam tantum causant propter rem, quam continent; alias qui plures in eadem communione perciperet panis consecrati portiones, majorem pro numero portionum acciperet gratiam, quod falsum, & ipsi adversarii non admittunt. Neque major gratia debet conferri ratione rei contentæ; quidquid enim continetur sub duplici specie, continetur sub una, videlicet ubique totus & integer Christus. Conf. Christus prævidit laicis non semper concedendum esse usum calicis: ergo non est credibile, quod illi voluerit annectere majorem gratiam sanctificantem, & consequenter etiam majores gratias actuales, quibus illi plurimum indigent, & forte magis quam Sacerdotes: neque ipsa Ecclesia majorem partem fidelium sine sua culpa facile his gratiis privare voluisset. Accedit auctoritas Concilii Moguntini, quod anno 1549 can. 13 nostram sententiam clare statuit, aitque de illa neminem dubitare debere.

Dices

Dices 1. Concilium Tridentinum sess. 21 cap. 630
3 de communicantibus sub una specie ait: nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari: ergo implicite admittit eos defraudari gratiæ augmento, sicut sess. 14 cap. 5 implicite docet, non debere exponi circumstantias tantum aggravantes, quia ait, in confessione exponendum esse numerum & circumstantias specificas peccatorum. Conf. Teste Francisco Blanco Archiepiscopo Compostellano apud Henriquez Patres Tridentini unanimiter tenuerunt oppositam nobis sententiam. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Concilium Tridentinum agit contra hæreticos contendentes communionem sub utraque specie omnibus jure divino necessariam esse, de præsenti autem controversia nihil voluit decidere, ne inde novi clamores hæreticorum excitentur. Implicite tamen potius pro nobis stetit, dum doctrinæ suæ hanc rationem reddidit, quod Christus integer sub qualibet specie contineatur. At de materia confessionis claram doctrinam proponere voluit, dixitque, nihil aliud requiri, quam ut exponatur numerus & species peccatorum mortalium. Ad Conf. Henriquez ex Blanco tantum refert, multos Patres sensisse sub duplici specie plus gratiæ accipi; Pallavicinus vero asserit majorem partem inclinasse in nostram sententiam, imo aliquos petiisse, ut illa definiretur. Certe ante Concilium plures nobiscum senserunt, nec est credibile, quod statim suam sententiam mutaverint.

Dices 2. Sacramentum causat illos effectus 631
quos significat; atqui Eucharistia sumpta sub specie panis & vini significat diversos effectus gratiæ, nempe sub specie panis cibum spiritualem, & confortationem, sub specie vini potum spiritualem & exhilarationem. Conf. In triduo mortis Christi Eucharistia sub utraque specie contulisset plus gra-

tiæ

tiæ quam ſub una : ergo. Reſp. Conc. Maj. Neg. min. Nam ut docet S. Auguſtinus Tract. 25 in Joan. ſitis & fames in ſpiritualibus reipſa ſunt idem, & quia ſub qualibet ſpecie tam corpus quam ſanguis Chriſti continetur, ſpecies panis potum ſpiritualem, & ſpecies vini cibum ſpiritualem ſaltem per concomitantiam ſignificat, neque ob expreſſiorem ſolum ſignificationem, quam utraque ſpecies ſimul habet, augetur effectus; alias etiam baptismus collatus per trinam immerſionem deberet cauſare plus gratiæ, quia perfectius Myſterium Trinitatis & ſepulturam ac reſurrectionem Chriſti ſignificat. Ad Conf. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Quia in triduo mortis ſub una ſpecie non fuiſſet totus Chriſtus, quamquam hæc ratio non videatur omnino efficax; alias in illo triduo ne quidem utraque ſpecies tantum cauſaſſet gratiæ, quam nunc datur per unam, eo quod ſub nulla adfuiſſet anima Chriſti. Saltem tunc ſub qualibet ſpecie fuiſſet præſens Divinitas, adeoque adfuiſſet cauſa gratiæ ſufficientiſſima.

632 Dices 3. Qui ſumit Euchariſtiam ſub una ſpecie v. g. panis, juxta nos accipit tantam gratiam, quantam acciperet, ſi alteram non ſumeret : ergo ſi poſtea etiam alteram ſumit ſpeciem v. g vini, rurſus accipit tantam gratiam; nam ſumptio prioris ſpeciei non eſt obex, quo minus altera gratiam ſibi proportionatam cauſet : alias ſumptio ſecundæ ſpeciei eſſet fruſtranea. Conf. Qui accipit plures ordines ſacros, accipit plures gratias : ergo a pari. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. Quamvis ſumptio prioris ſpeciei non ſit obex, quo minus etiam altera operetur, ſi tamen moraliter conjunguntur, unam refectionem integram conſtituunt, & ſingulæ ſunt cauſæ inadæquatæ; itaque moraliter in eandem gratiam influunt, quam primum una ipſarum ſumenti eſt debite applicata. Neque ideo

ſpecies

species secunda est frustranea; servit enim ad perfectionem sacrificii, ad meliorem repræsentationem separationis sanguinis a corpore, & convivii integri, ad augendam devotionem, & opus operantis &c. Ad Conf. Nego paritatem, quia plures ordines non conferuntur per ordinationem moraliter unam; adeoque se habent, ac si species panis & vini seorsim sumerentur per duas moraliter distinctas refectiones, ubi etiam juxta nos major acquiritur gratia, quam per unam.

Dices 4. Vel ergo in una moraliter sumptione 633
utriusque speciei tota gratia statim confertur per primam sumptionem, vel primum post secundam? non primum, quia etiam confertur intuitu secundæ speciei: non secundum, quia jam sub prima specie totus Christus sumitur, nec ulla est ratio, cur Sacramentum integre applicatum non statim totum suum effectum operetur. Conf. In extrema Unctione gratia primum confertur post ultimam Unctionem: ergo. Resp. Hoc argumentum ab ipsis adversariis solvi debere in casu, quo Sacerdos sumit plures hostias. Dicent, credo, illum gratiam statim accipere per primam sumptionem; si enim statim moreretur, utique non frustra recepisset Sacramentum. Idem poterimus & nos dicere; nihil enim obstat, quo minus gratia etiam intuitu secundæ sumptionis a Deo conferri possit, antequam illa physice existat, modo physice exstitura prævideatur. Ad Conf. Neg. Ant. Nam post perfectam Unctionem sensuum, aut partium essentialiter requisitam juxta communem confertur gratia, etiamsi primum postea soleant inungi pedes, aut etiam renes; unde hæc paritas potius roborat nostram sententiam.

DISPUTATIO VI.

De necessitate Eucharistiæ.

634 Eucharistia spectari potest vel sub alterutra tantum specie, vel sub utraque simul. Sub alterutra specie præcepto Divino & Ecclesiastico omnibus adultis necessariam esse fatentur omnes, imo S. Thomas 3 p. q. 73 art. 3 cum quibusdam putat, eam in voto saltem implicito necessariam esse necessitate medii. Cabasilas, Simeon Thessalonicensis & alii quidam Græci omnino volunt eandem ex necessitate medii tam a parvulis quam adultis percipi debere. De Eucharistia sub utraque specie iterum consentiunt orthodoxi, illam a Christo fuisse præceptam Sacerdoti sacrificanti, quod præceptum Græci quidam aliique novatores ad omnes Christianos etiam laicos extendunt. Inter hos primus fuit Petrus Dresdensis, & Jacobellus Misnensis, qui circa finem Sæculi XIV hunc errorem in Bohemia sparserunt. Sæculo XV se illis adjunxit Joannes Huss, quem dein etiam secutus est Calvinus Lib. 4 Instit. ubi magno furore contra Ecclesiam debachatur, quod usum calicis laicis prohibuerit. Lutherus circa hanc controversiam varius, & inconstans fuit; negat tamen calicem ab Ecclesia laicis juste prohiberi posse.

QUÆSTIO I.

An & quomodo Eucharistia sit necessaria sub alterutra saltem specie?

635 Dicendum 1. Eucharistia adultis est necessaria ex præcepto Divino. Prob. Joann. 6 v. 54 Chri-

Christus dicit: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Luc. 22 v. 19 præcepit Apostolis, ut faciant, quod ipse fecit: *Hoc facite in meam commemorationem*, atqui ipse non tantum confecit Eucharistiam, sed etiam aliis distribuit ad vitæ spiritualis conservationem, ad quam omnes jure divino tenentur; hinc istud præceptum obligat sæpius in vitæ decursu, ut debilitatæ ex continuo certamine vires animæ reparentur, & determinate in articulo mortis, ubi Eucharistia ad vincendas dæmonis tentationes vel maxime necessaria est, neque universa Ecclesia unquam tulit legem, ut pœnitentibus in articulo mortis hoc Sacramentum subtrahatur, sed hoc solum ex rigore disciplinæ fecerunt Ecclesiæ quædam particulares. Imo lex opposita sancita est a Concilio Nicæno can. 16: *Ut si quis egreditur e corpore, ultimo & necessario viatico non privetur.*

Dicendum 2. Eucharistia adultis etiam est necessaria ex præcepto ecclesiastico. Prob ex cap. 636
Omnis utriusque sexus 12 de pœnit & remiss ubi a Concilio Lateranensi IV præcipitur communio paschalis sub gravissima pœna, scilicet ut transgressores arceantur vivi ab ingressu Ecclesiæ, & mortui priventur ecclesiastica sepultura. Concilium quoque Tridentinum sess. 13 can. 9 ita decernit: *Siquis negaverit omnes & singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in paschate ad communicandum juxta præceptum sanctæ matris Ecclesiæ, anathema sit.* Imo olim ter in anno communicare debuerunt, videlicet die Natalis Domini, Paschæ, & Pentecostes, ut habetur can. etsi non frequentius 16 de consecr. dist. 2, & can. sæculares 10 de consecr. dist. eadem. Nunc autem Ecclesia contenta est unica communione annua. Attamen ab Innocen-

tio XI damnata eſt hæc propoſitio 55 : *Præcepto communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem.*

637 Dicendum 3. Euchariſtia tamen neque in re, neque in voto eſt neceſſaria neceſſitate medii. Prob. Euchariſtia non eſt medium ita neceſſarium ad obtinendam primam gratiam, ut ſine illa in re vel in voto hæc gratia & ſalus non poſſit obtineri: ergo. Ant. Prob. 1. Quia Euchariſtia non eſt Sacramentum mortuorum, ſed inſtituta per modum alimenti ſpiritualis, adeoque remiſſionem peccatorum & vitam ſpiritualem per ſe jam ſupponit. 2. Quia juxta fidem Eccleſiæ tam Græcæ quam Latinæ parvuli poſt baptismum ſine uſu rationis decedentes ſalvantur, etſi nec votum Euchariſtiæ habere potuerint, nec in re illam perceperint, ut conſtanter docent SS. Patres cum S. Auguſtino Epiſt. 89 ad Bonif. & 166 ad Hieron. Idem definit Concilium Tridentinum ſeſſ. 21 can. 4: Nam *nihil damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto JEſu*, ad Rom. 8 v. 1. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*, ad Tit. 3 v. 5. Profecto ſi hoc Sacramentum ad ſalutem abſolute neceſſarium eſſet, aut Eccleſia pro parvulis, dum baptizantur, votum Euchariſtiæ haberet, non potuiſſet abrogare morem antiquum, Euchariſtiam una cum baptismo conferendi parvulis, eamque illis differre, donec ad uſum rationis perveniant, quin tamen ullus huic novæ ordinationi ſe oppoſuiſſe legatur.

638 Dices 1. Sicut Joann. 3 v. 5 dicitur : *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum cœlorum*; ſic Joann. 6 v. 54 dicitur : *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, non intrabitis in regnum cœlorum.* Ergo Euchariſtia eſt neceſſaria neceſſitate medii ſicut baptismus. Conf. Ex una parte Euchariſtia præcedit dignitate omnia

alia

alia Sacramenta : ex altera parte Græci parvulis cum baptismo ſtatim Euchariſtiam conferunt, quem morem diu obſervavit tota Eccleſia : ergo. Reſp. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Verba illa *Niſi quis renatus fuerit* ad omnes tam adultos quam parvulos dicta fuerunt. Poſteriora vero : *Niſi manducaveritis* ad ſolos adultos præcepti capaces ; hinc Chriſtus per Apoſtolum conditiones præſcripſit, quibus vult præceptum iſtud obſervari : *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat*, 1 ad Cor. 11 v. 28. Ad Conſ. Hoc ipſo quod Euchariſtia reliqua Sacramenta dignitate præcedat, conveniens fuit, ut ad dignam ſui ſuſceptionem ſtatum gratiæ præſupponat : neque infantibus ideo ſtatim data eſt Euchariſtia, quaſi Eccleſia tunc judicaverit eſſe medium abſolute neceſſarium ad ſalutem, ſed ob alias probabiles cauſas, ut inquit Tridentinum ſeſſ. 21 cap. 4, ſicut tunc una cum Euchariſtia parvulis ſubminiſtrata eſt Confirmatio, quamvis non ſit neceſſaria neceſſitate medii.

Dices 2. S. Auguſtinus contra Pelagianos ſæ- 639
pius aſſerit, Euchariſtiam parvulis abſolute eſſe neceſſariam, citatque pro ſe Innocentium I, & eidem etiam conſentit Pelagius Papa Epiſt. ad Epiſcopos Picenos : ergo. Conſ. S. Auguſtinus Lib. 3 cap. 4 de peccat. merit. expreſſe reprehendit illos, qui hæc verba : *Niſi manducaveritis*, ad ſolos adultos reſtringunt. Reſp. Diſt. Ant. S. Auguſtinus, Innocentius & Pelagius hoc aſſerunt ex propria mente & ſententia, Neg. Ant. ex hypotheſi & ſententia Pelagianorum, Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Cum Patres iſti neceſſitatem baptiſmi probarent ex verbis Chriſti: *Niſi quis renatus fuerit &c.* Pelagiani reſponderunt, inde ſolum inferri, quod parvuli ſine baptiſmo non poſſint introire in regnum Dei, non item, quod non poſſint habere vitam æternam : Patres

itaque transmissa hac absurda distinctione instituerunt, Christum etiam dixisse: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis:* ergo baptismum etiam esse necessarium ad vitam æternam, eoquod sine illo nemo Eucharistiæ capax sit, quam tamen ipsi Pelagiani juxta morem Ecclesiæ tunc parvulis dare solebant. Ad Conf. eadem est responsio, vel S. Doctor etiam potest exponi in sensu mystico, quatenus videlicet parvuli per baptismum Christo incorporantur, prout ipsum exponit S. Fulgentius in Resp. ad quæst. Ferrandi, & ipse Augustinus Tract. 26 in Joann. dicens: *Hoc est ergo manducare illam carnem & illum bibere potum, in Christo manere, & illum manentem in se habere.*

640 Dices 3. Multi alii Patres ut Cyprianus, Cyrillus &c idem cum S. Augustino de necessitate Eucharistiæ censuerunt, qui de Pelagianis ne quidem cogitabant: ergo. Conf. Eucharistia est alimentum spirituale: ergo non est minus necessaria ad vitam per gratias actuales conservandam, quam cibus materialis. Resp. Neg. Ant. Alii Patres solum docuerunt Eucharistiam esse necessariam necessitate præcepti & usus Ecclesiastici, ejusque perceptioni gratiam & vitam adscribebant, quam tamen etiam sine illa haberi posse fatebantur. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Imprimis conservatio vitæ jam supponit gratiam sanctificantem: dein potest homo vel ante usum rationis, vel brevi post illum acquisitum mori, quin jam receperit Eucharistiam in re, vel in voto; interea vero perseverare virtute gratiæ per baptismum vel pœnitentiam receptæ: denique non esse omnimodam paritatem inter nutrimentum spirituale animæ, & materiale corporis patet ex num. 627. Vid. etiam dicta Disp. 1 q. 8 de Baptismo.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An Euchariſtia adultis ſit neceſſaria ſub utraque ſpecie?

Dicendum 1. Sumptio Euchariſtiæ ſub utraque 641
ſpecie non eſt neceſſaria neceſſitate Sacramenti. Prob. Quia ſine illa omnia poſſunt haberi, quæ ad ſubſtantiam & rationem hujus Sacramenti pertinent; nam 1. ſub qualibet ſpecie habetur totus & integer Chriſtus, ut diſp. 3 q. 2 oſtenſum eſt. 2. Per ſumptionem cujuslibet ſpeciei acquiritur omnis gratiæ effectus ad ſalutem neceſſarius, ut ex dictis diſp. præced. q. 4 patet; quælibet enim ſpecies fontem ipſum & originem gratiæ in ſe continet. 3. Per quamlibet ſpeciem habetur tota ſignificatio Sacramenti, videlicet ſignificatio nutritionis ſpiritualis per præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti: ſignificatio ejus paſſionis & mortis, quia vi verborum ſub ſpecie panis ſolum corpus, & ſub ſpecie vini ſolus ſanguis ponitur: ſignificatio Unionis fidelium tum inter ſe, tum cum capite ſuo Chriſto in multis granis vinique acinis, ex quibus materia remota Euchariſtiæ conficitur; præter hæc autem nihil poteſt oſtendi, quod ulterius ſive in efficiendo ſive in ſignificando deſideretur.

Dicendum 2. Communio ſub utraque ſpecie 642
extra ſacrificium adultis non eſt neceſſaria ex præcepto Divino. Prob. 1. Ex una parte nullibi tale præceptum continetur in Scriptura: ex altera parte vita & gratia indifferenter promittitur tam ſumentibus utramque ſpeciem, quam ſumentibus tantum unam; quippe ut bene expendunt Patres Tridentini ſeſſ. 21 cap. 1 ille ipſe Chriſtus, qui Joann. 6 v. 54 dixit: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in*

vobis, dixit quoque v. 52: *Siquis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*, & qui dixit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*, v. 55; dixit etiam v. 52: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*; hinc can. 1 anathema dixere asserenti: *Ex Dei præcepto vel necessitate salutis omnes singulosque Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere.* Quod contra Joann. Huss, & Hieron. Pragens. etiam statuerat Concilium Constantiense sess. 13. Conf. Quia non solum Christus Luc. 24 discipulis in Emaus Eucharistiam porrexit sub una specie, ut docet S. Augustinus Lib. 3 de Consens. Evangelist. & Hieronymus Lib. 2 in Levit. cap. 9, sed de Apostolis quoque & primis fidelibus Act. 2 v. 24 legitur: *Quod perseveraverint in communicatione fractionis panis*, ubi per fractionem panis ab ipso Luthero & Calvino intelligitur distributio Eucharistiæ, de specie vini autem nulla fit mentio.

643 Probatur 2 ex usu & praxi Ecclesiæ. Quamquam enim usque ad sæculum XII Eucharistia communiter fuerit fidelibus etiam laicis administrata sub utraque specie, sæpe tamen eandem etiam sub una sumebant. Sic 1. Quando Eucharistia concedebatur laicis domum deferenda, ipsis dari solebat sola species panis, cum calices non haberent, in quibus sacrum sanguinem secum portarent, aut servarent, ut testatur S. Athanasius Apolog. 2 contra Arian. S. Cyprianus Tract. de laps. Tertullianus Lib. 2 cap. 5 ad Uxor. 2. Infantibus tantum dabantur species vini, pueris vero grandioribus solæ species panis, ut ex S. Cypriano Tract. de lapsis, Paschali II & Concilio Matisconensi probant Tournelyus quæst. 6 a. 2, & P. Antonius Mayr num. 327 de Eucharist. 3. Pariter quibusdam infirmis tantum speciem panis datam fuisse constat ex

ex Eusebio Lib. 6 Hist. cap. 44, & ex Paulino in vita S. Ambrosii. Vicissim ex Concilio Toletano XI cap. 11 colligitur, aliis ægrotis tantum fuisse instillatum S. sanguinem, eoquod ob siccitatem faucium species panis deglutire non potuissent. 4. Etiam communio publica sub una tantum specie non erat infrequens; nam sæculo V Manichæi, ut laterent, panem Eucharisticum cum Catholicis sumebant, non vero calicem, eoquod crederent, vinum esse fel Draconis & a diabolo; quare Gelasius Papa solemni lege cautum voluit, ut fideles deinceps utramque speciem sumerent. Adde quod Græci jam a sæculo IV toto quadragesimali tempore exceptis Sabbatis, Dominicis, & festo Virginis Annunciatæ tantum panem ante consecratum in Missa offerant, & sumant, ut videre est apud Arcudium & Goarium. Eundem morem servat etiam Ecclesia Latina die Parasceves jam a tempore Innocentii I, qui initio sæculi V Ecclesiam rexit.

Objectiones.

Obj. 1. Christus Eucharistiam instituit, & di- 644
stribuit sub utraque specie: ergo utraque est necessaria jure Divino. Conf. Eucharistia fuit instituta per modum convivii in commemorationem mortis Christi; atqui hæc non habentur per unicam speciem: ergo. Resp. Conc. Ant. Dist. Conf. Utraque species jure Divino est necessaria ad Eucharistiam prout est sacrificium, Conc. Conf. prout est Sacramentum, Subdist si spectetur quoad suam integritatem, & perfectionem accidentalem, Conc. Conf. si præcise consideretur quoad substantiam, Neg. Conf. Neque ideo Sacramentum Eucharistiæ est multiplex, quia species panis & vini unam rem significatam continent, eundem effectum producunt, & ad eandem refectionem ordinantur, ut

 jam

jam adverti num. 5 5. Certe qui plura fercula in eodem prandio apponit, non ideo plura prandia instruit. Ad Conf. Conc Maj. Dist. min hæc per unam speciem non habentur tam perfecte sicut per utramque, Conc. min. non habentur sufficienter. Neg min. Sicut fames & sitis spiritualis non sunt diversæ affectiones animæ sed una, ita cibus & potus spiritualis non debent esse res duæ, sed sufficit una, nempe Christus, qui sub una specie jam est convivium spirituale, licet quoad modum externum non tam perfectum, quam sub utraque specie: quomodo autem annunciet mortem Christi, jam dixi num. 641.

645 Dices 1. Postquam Christus corpus suum dedit Apostolis, Luc. 22 v. 19 dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, utque intelligeretur, hæc verba etiam ad calicem pertinere, S. Lucas versu sequente ait: *Similiter & calicem postquam cœnavit dicens &c.* Imo S Paulus post consecrationem calicis 1 ad Cor. 11 v. 33 tanquam a Christo dictum addidit: *Hoc facite, quotiescunque bibetis in meam commemorationem:* ergo Christus jussit, ut ratio convivii, & commemoratio mortis suæ perfecte exprimatur. Resp. Transf. Ant. Dist Conf Ut ratio convivii & commemoratio mortis perfecte exprimatur a Sacerdotibus, dum Eucharistiam conficiunt, & sacrificant, Conc. Conf. ab illis, qui eandem extra sacrificium recipiunt, Neg. Conf Christus verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, jam dixit ante consecrationem calicis, eaque direxit ad Apostolos tunc præsentes, quibus jussit quidem, ut in Ecclesia usum calicis retinerent, non item ut illum etiam laicis præberent. S. Lucas particulam *similiter* solum retulit ad actionem accipientis, benedicentis & porrigentis, non vero ad omnia, quæ Christus prius egerat, & dixerat; nam panem etiam fregit, & fractum divisit,

visit, calicem vero singulis dedit integrum. Apostolus denique solum loquitur hypothetice, ut omnes, qui bibunt, & quoties bibunt sanguinem Christi, id faciant in illius memoriam.

Dices 2. Christus Luc. 22 v. 19 Apostolis eo- 646
rumque successoribus præcepit, ut facerent, quod ipse fecit: ergo Eucharistia debet eodem modo administrari fidelibus, quo Christus illam administravit Apostolis. Conf. S Paulus 1 ad Cor. 11 v. 23 ait: *Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis*, dein vero expresse utramque speciem conjungit: *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis* v. 26, *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat*, v. 28; atqui traditiones Divinæ & Apostolicæ debent servari: ergo. Resp. Dist. Ant. præcepit, ut Apostoli facerent, quod ipse fecit, pertinens ad substantiam Sacramenti, Conc. Ant. ut etiam servarent omnem modum, quem ipse in ultima cœna, & distributione Eucharistiæ servavit, Neg. Ant. & eodem modo Conf. substantia Sacramenti percipitur in unica specie, imo una sine altera etiam valide potest consecrari, quamvis id non liceat; sique omnia, quæ Christus in ultima cœna egit, essent præcepta, deberent lavari communicantium pedes. Ad Conf. Conc. Maj. Dist. min. traditiones debent observari ab iis, respectu quorum continent præceptum, Conc. min. aliter, Neg. min. & Conf. S. Paulus v. 26 rursus tantum loquitur hypothetice; v. 28 autem præceptum non cadit supra sumptionem utriusque speciei, sed supra probationem. Sic si quis diceret, probet autem se ipsum homo, & sic virginitatem Domino voveat, non vellet indicare, quod præceptum sit votum virginitatis sed probatio.

647 Obj. 2. Christus Joann. 6 v. 54 dixit : *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* ergo ex præcepto Divino quivis tenetur sumere utramque speciem ; nam particula *Et* debet copulative accipi. Resp. Conc. Ant. Neg Conf. Quippe præceptum Christi non est præceptum simplex, sed simul continet medium conservandæ vitæ spiritualis in baptismo acceptæ ; cum igitur hoc medium non consistat in speciebus panis & vini, neque in modo sumendi, sed in sumptione corporis & sanguinis, quæ quomodocunque sumantur, spiritualiter nutriunt, solum præcipitur sumptio quoad substantiam, non vero modus sub specie panis & vini. 2. Sicut alias sæpe in scriptura v. g. Deuter. 27 v. 16 : *Maledictus, qui non honorat patrem suum, & matrem,* particula *Et* sumitur disjunctive ; sic ex ipsa Scriptura & praxi Ecclesiæ intelligimus, quod etiam hic accipienda sit disjunctive, vel copulative quidem, at in hoc sensu negativo : si neque manducaveritis corpus Domini, neque biberitis ejus sanguinem, adeoque neutrum feceritis, non habebitis vitam in vobis 3. Multa in Scripturis præcepta universæ Ecclesiæ commendantur, quin omnes sine discrimine fideles afficiant, uti præceptum prædicandi Evangelium & illud Genes. 9 v. 1 : *Crescite & multiplicamini :* ergo idem potest dici in præsenti : aut cur ipsi Calvinistæ calicem non præbent infantibus, & abstemiis.

648 Dices 1. Christus non tantum præcepit, ut omnes sumant sanguinem, sed ut illum bibant; hinc Matth. 26 v. 27 expresse dixit : *Bibite ex hoc omnes:* ergo præcepit ipsum modum bibendi. Conf. Licet promiserit salutem fidei & baptismo, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*, Matth. 10 v. 32, ideo illam non promisit fidei & baptismo soli, sed

si

si etiam observentur cætera : ergo a pari. Resp. Dist. Ant. præcepit disjunctive, ut omnes bibant, & ita ut præceptum tantum afficiat substantiam rei, Conc. Ant. præcepit determinate etiam quoad modum bibendi, Subdist. omnibus Apostolis, Conc. Ant. omnibus fidelibus, Neg. Ant. & Conf. Tota series historiæ sacræ ostendit, hæc verba ad illos solos esse dicta, qui cum Christo cœnarunt, quibus calicem dedit, & qui ex illo biberunt; hinc S. Marcus statim addit : *Et biberunt ex illo omnes.* Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Etiam juxta nos in promissione Christi debet subintelligi hæc conditio : si etiam cætera præcepta observentur ; at negamus sumptionem alterius speciei præceptam esse ; nam Christus verba : *Nisi manducaveritis &c.* protulit contra illos, qui litigabant, quomodo ipsis possit carnem suam ad manducandum dare, sed ipsi litigabant de re ipsa, non de modo, & finis præcepti per quamlibet speciem obtinetur, videlicet unio spiritualis & sacramentalis cum Christo.

Dices 2. Si verba : *Bibite ex eo omnes*, ad so- 649
los Apostolos fuerunt directa, etiam ad illos solos dictum est : *Manducate :* ergo neque alterutra species foret præcepta. Conf. Licet Christus de pane non dixerit : *Manducate ex hoc omnes*, dixit tamen de calice : *Bibite ex eo omnes*, quia ut ait Calvinus, prævidit, fore aliquos, qui calicem laicis prohiberent, cum tamen jam Marci 13 v. 37 præmonuerit : *Quod vobis* (discipulis meis) *dico*, *omnibus dico* ; discipuli enim totam Ecclesiam repræsentabant. Resp. Conc. Ant. Neg. Conf. Licet enim præcise ex his verbis præceptum omnes fideles afficiens non possit inferri ; attamen satis probatur ex illis : *Nisi manducaveritis &c.* ut patet ex num. 635. Ad Conf. Conc. Ant. sed Neg. rationem additam. Nam ideo non dixit : *manducate ex eo omnes* ; quia discipulis non dedit

dedit panem integrum, sed cuilibet suam partem: at vero eundem calicem porrexit omnibus; unde merito addidit: *Bibite ex eo omnes.* Quod Marci 13 omnibus dictum voluit, erat, ut vigilent, idque ad omnes pertinere per se patet, ex quo non sequitur, multa Apostolis, eorumque successoribus solis dicta non fuisse.

650 Obj. 3 Primis fidelibus Eucharistia semper fuit administrata sub utraque specie, nisi aliud exegerit specialis necessitas, quæ in legem trahi non debet: ergo. Conf. Inprimis panis Eucharisticus dabatur intinctus vino sacro, & non raro ipsæ species vini a fidelibus domum asportabantur, ut testatur Gregorius Nazianz. de S. Gorgon. sorore sua, & S. Ambrosius de Satyro fratre suo, ac S. Chrysostomus Epist. ad Innocentium. Resp. Neg. Ant. Unde enim probatur, quod semper adfuerit specialis necessitas communionis privatæ, aut etiam publicæ, aut quænam potuisset esse tanta, ut fideles adigeret ad præceptum Divinum violandum, vel mutandam Sacramenti substantiam? Ad Conf. Esto, quod infirmis aliquando fuerit datus panis vino tinctus, aut ipsæ species vini a fidelibus domum asportatæ, ideo non sequitur, id semper factum fuisse, imo contrarium positive probavimus, & teste Tournelyo primorum sæculorum monumentis nullum in Ecclesia Græca vel Latina occurrit vestigium communionis in sanguine Christi intinctæ. S. Gregorius Nazianz. loquitur indeterminate de speciebus panis & vini. S. Ambrosius de Mysterio Divino involuto in orario seu linteolo, in quo non est credibile species vini servatas fuisse. S. Chrysostomus id solum testatur de Ecclesia quadam particulari.

651 Dices. Saltem in missis præsanctificatorum communio semper fiebat sub utraque specie; nam Græci

Græci pani conſecrato, quem pro miſſis præſanctificatorum reſervant, aliquot ſanguinis guttas per modum crucis infundunt; apud Latinos vero die Paraſceves fidelibus etiam dabatur vinum, quod *licet non conſecratum ſed ſanguine Domini commixtum ſanctificatur per omnem modum*, ait ordo Romanus. Reſp. Neg. Ant. Quamvis enim Græci recentiores aliquas ſanguinis Domini guttas pani conſecrato infundant, tamen easdem guttas ſtatim pane igni ſuperpoſito iterum exſiccant, nec mos iſte in liturgiis & auctoribus antiquis habet fundamentum, ut patet ex ipſo ſchismatis auctore Michaele Cærulario. Latini autem omnes tenent, vinum non conſecrari niſi per verba a Chriſto præſcripta. Porro ordo Romanus loquitur de alio calice, in quem aliis diebus parum ſanguinis aut vini conſecrati infundi ſolebat, & ſic fidelibus porrigebatur. Atque hunc dicit ſanctificari, non quod vinum in ſanguinem Chriſti convertatur, ſed quia ita commiſcetur cum illo, ut ſeparari non poſſit, adeoque totus calix ſanguinem Chriſti continere cenſeatur.

Obj. 4. SS. Patres, quotiescunque loquuntur 652 de Euchariſtia, utramque ſpeciem commemorant: ergo. Conf. Imo uſum unius tantum ſpeciei ut legi Divinæ adverſum reprobant. Sic S. Juſtinus Martyr Apolog. 2, poſtquam deſcripſit communionem ſub utraque ſpecie, ait: *Apoſtoli enim in commentariis ſuis, quæ Evangelia dicuntur, ita ſibi Chriſtum præcepiſſe tradiderunt.* Reſp. Diſt. Ant. utramque ſpeciem commemorant tanquam jure Divino neceſſariam, Neg. Ant. tanquam a Chriſto omnibus permiſſam, & juxta morem ſui temporis dari ſolitam, vel etiam præceptam ab Eccleſia, Conc. Ant. & Neg. Conſ. Quando Patres communionem ſub utraque ſpecie commendant, loquuntur juxta morem ſuorum temporum, neque volunt probare illius

illius necessitatem, sed convenientiam e. g. quia clarius exprimit convivium & commemorationem mortis Christi. Ad Conf. Neg. Ant. S. Justinus non agit de communione laicorum, de qua hic disputamus, sed de consecratione Sacerdotum, & conversione Eucharistica, quam immediate antea explicaverat.

653 Dices. Gelasius Papa can. comperimus 12 dist. 2 de consecr. communionem sub una specie vocat *Sacrilegium*. S. Leo serm. 4 de Quadrages. *sacrilegam simulationem*. S. Cyprianus Epist. ad Cæcil. ait: *Quosdam in calice offerendo non observare ea, quæ Christus tradidit & instituit*. S. Bernardus serm. 3 in Dominic. Palmar. *Alimoniam corporis & sanguinis Dominici in prima cœna exhibitam, ac deinceps frequentari mandatam.* Resp. Gelasius Papa & S. Leo reprehendunt Manichæos, qui utique ex sacrilega superstitione tantum unam speciem sumebant. S. Cyprianus invehitur in Aquarios, qui in calice Eucharistico solam aquam offerebant; de necessitate vero utriusque speciei ibi non disputat. S. Bernardus solum ait, Alimoniam corporis & sanguinis Domini necessariam esse, hæc autem sub una specie æque ac sub duplici accipitur, cum nec corpus Christi sine sanguine, nec sanguis sine corpore sit.

QUÆSTIO III.

An Ecclesia non sacrificantibus jure & rationabiliter usum calicis potuerit prohibere?

654 Quamquam, ut quæst. præced. dictum, communio sub utraque specie primis Ecclesiæ temporibus etiam laicis & Sacerdotibus non sacrificantibus fuerit

fuerit permissa, imo tempore Gelasii Papæ etiam præcepta, nihilominus postea faventibus quibusdam Episcopis usus unius speciei sensim invalescere cœpit. Tandem sub initium sæculi XV Concilium Constantiense ad reprimendum errorem Joannis Huss, & Hieronymi Pragensis statuit, ac declaravit consuetudinem dandi laicis Eucharistiam sub una specie non tantum rationabilem, sed etiam pro lege habendam esse, quam non liceat reprobare, aut sine Ecclesiæ auctoritate mutare, ideoque Episcopis sedulo curandum, ne quis minister communionem sub utraque specie laicis aut clericis non sacrificantibus dispenset; qui vero morem hunc tanquam illicitum & sacrilegum rejicere ausi fuissent, tanquam hæreticos arcendos esse, & per Diœcesanos locorum graviter puniendos. Equidem dein Concilium Basileense anno 1437 Bohemis & Moravis calicis usum iterum concessit, verum cum hac concessione hæretici abuterentur, & exinde occasionem sumerent vellicandi definitionem Concilii, iterum revocata & penitus sublata est.

In Concilio Tridentino quoque legati tum Im- 655
peratoris tum Galliarum Regis aliorumque Principum nomine postularunt usum calicis restitui, quibus non pauci favebant Theologi, non quod existimarent illum jure Divino necessarium esse, sed ad sedandos populorum motus, fovendam, ut dicebant, illorum pietatem, ac præcipue ad omnem calumniandi occasionem novatoribus præscindendam. At non acquievit Concilium, in fine tamen sess. 22 judicio Summi Pontificis reliquit, an expediret alicui nationi aut regno calicem permittere. Et revera instante Ferdinando Imperatore Pius IV anno 1564 usum calicis quibusdam Germaniæ populis restituit; quia autem non minus ac olim apud Bohemos varii abusus irrepserunt, & novatores nihilo-

nihilominus in suis erroribus perseverarunt, hoc indultum iterum revocavit Pius V. Ex singulari tamen indulgentia communio sub utraque specie adhuc permittitur Regi Galliarum die inaugurationis, Diaconis & Subdiaconis Ecclesiæ Monachorum S. Dionysii prope Parisios, & ministro altaris in Monasterio Cluniacensi diebus Dominicis & Festis solemnibus.

656 Dicendum. Ecclesia laicis & Sacerdotibus non sacrificantibus juste & rationabiliter prohibuit usum calicis. Prob. Ex una parte Ecclesia potest ordinare & mutare ea, quæ ad substantiam Sacramentorum non pertinent, nec jure Divino sunt præcepta: ex altera parte habuit sufficientes causas laicis & Sacerdotibus non sacrificantibus usum calicis prohibendi: ergo. Ant. quoad 1 membrum patet; ubi enim a Deo nihil est præceptum, aut Ecclesia, cui Christus regimen concessit, debet habere potestatem certas regulas, & leges statuendi, aut nullus erit ordo, sed mera perturbatio; hinc istam potestatem expresse asserit S. Augustinus Epist. 118, illamque probat ex textu S. Pauli 1 ad Cor. 11 v. 34: *Cætera, cum venero, disponam.* Sic licet aliquando baptismus in Ecclesia fuerit administratus per trinam immersionem, tamen exigente postea rationabili causa Concilium Toletanum IV statuit, ut imposterum unica immersione daretur, eumque ipsi novatores per unicam infusionem conferunt. Porro ex dictis quæst præced. constat, usum calicis nec esse de substantia Sacramenti, nec præceptum jure Divino non sacrificantibus. Restat igitur solum probandum Ant quoad 2 membrum, afferendo rationes, quæ Ecclesiam ad usum calicis extra sacrificium interdicendum rationabiliter permovere potuerunt.

Tales rationes sunt 1. Periculum irreverentiæ, 657
ne frequenter aliquot guttæ sanguinis Christi effundantur, quod in tanta multitudine & compressione diversissimorum hominum ad sacram Synaxim accedentium moraliter vitari non posset. 2. Periculum corruptionis aut effusionis, si species vini pro communione laicorum asservarentur, & ad infirmos deportari deberent. 3. Nausea & horror eorum, qui vini odorem & saporem pati non possunt, & ideo abstemii vocantur. 4. Uniformitas communionis respectu omnium, quæ haberi vix posset ob raritatem vini multis in locis, & in quibusdam regionibus etiam aliunde asportatum brevi tempore acescit, & corrumpitur. 5. Ipsa desuetudo fidelium & consuetudo communicandi sub una specie, quæ in Ecclesia passim jam inoleverat. 6. Hæresis illorum, qui asserebant sub specie panis tantum esse corpus, & sub specie vini tantum sanguinem Christi. Ex quibus vides, Concilium Tridentinum sess. 21 can. 2 merito anathematizasse illum: *Qui dixerit, sanctam Ecclesiam Catholicam non justis causis & rationibus adductam fuisse, ut laicos aut etiam Clericos non conficientes, sub una tantummodo specie panis communicaret; aut in eo errasse.*

Dices 1. Ex una parte Christus fidelibus libe- 658
rum reliquit, an velint communicare sub utraque specie vel tantum una: ex altera parte inferior nihil potest disponere circa voluntatem superioris: ergo Ecclesia laicis non potuit auferre calicem a Christo ipsis permissum. Conf. Si Ecclesia laicis posset adimere usum unius speciei, etiam posset tollere usum alterius, vel saltem fidelibus debuisset liberum relinquere, an sub hac vel illa communicare velint. Resp. Dist. Ant. Christus fidelibus liberum reliquit, id est, præcepit, ut permittantur communicare sub utraque vel tantum una

 specie,

ſpecie, Neg. Ant. id eſt, uſum utriusque ſpeciei præcepto Divino non prohibuit, Conc. Ant. quoad hoc membrum, & Diſt. etiam alterum, inferior nihil poteſt diſponere circa voluntatem ſuperioris ſtatuendo aliquid illi contrarium, Conc. Ant. eandem pro certis circumſtantiis declarando, aut ultra illam ex rationabili cauſa aliquid præcipiendo, Neg. Ant. & Conſ. Aut cur novatores ſibi arrogant facultatem Euchariſtiam negandi parvulis, cujus illos Chriſtus capaces fecit? Ad Conf. Neg. ſequelam, Chriſtus enim ipſe uſum Euchariſtiæ ſub alterutra ſaltem ſpecie adultis præcepit, neque ex communione ſub ſpecie panis ſequuntur illa incommoda, quæ ſequerentur ex uſu calicis.

659 Dices 2. Euchariſtia eſt hæreditas a Chriſto relicta, cujus non tantum partem, ſed totam fidelibus legavit: ergo Eccleſia fideles non poteſt hac hæreditate privare. Conf. Euchariſtia ſub duplici ſpecie juxta quosdam ex ipſis Doctoribus Catholicis confert plus gratiæ, quam ſub una tantum ſpecie. Reſp. Conc. Ant. Neg. Conſ. & ſuppoſitum, quod Eccleſia etiam fideles tantum ex parte ſua hæreditate privet; hæc enim conſiſtit in ipſo corpore & ſanguine Chriſti, & tota ſub qualibet ſpecie continetur: ſpecies autem tantum ad modum hanc hæreditatem participandi pertinent, quem modum Chriſtus Eccleſiæ determinandum reliquit. Ad Conf. Tranſ. Ant. quod Diſp. præced. negavimus, Neg. Conſ. Etſi Euchariſtia ſub utraque ſpecie ſumpta aliquanto majorem gratiam conferret; hæc tamen ad ſalutem non eſſet neceſſaria & poſſet compenſari per majorem devotionem, aliaque opera pia. Quare Eccleſia melius cenſuit, ſi fideles hoc fructu carerent, quam ut Eccleſia in diſtribuenda Euchariſtia tot incommodis, & ipſum Sacramentum periculo irreverentiæ exponeretur. Ob ſimiles

miles causas laicis non permittitur communio quotidiana.

Dices 3. Christus prævidit omnia ista incommoda, & tamen Eucharistiam in utraque specie instituit : ergo non sunt tanta, ut ideo usum calicis fidelibus oporteat interdicere ; alias etiam deberet interdici Græcis. Conf. Posset dici communionem sub utraque specie saltem semel in vita necessariam esse, sic evitarentur omnia incommoda, & clarius explicaretur illud : *Nisi manducaveritis &c.* Resp. Conc Ant. Neg. Cons. Christus Sacramentum Eucharistiæ instituit, ut simul esset sacrificium, in quo Sacerdotes utramque speciem sumere debent. Græcis vero usum calicis Ecclesia adhuc permittit ob inveteratam apud ipsos consuetudinem, & ad servandam Ecclesiæ unionem, propter quam in multis aliis diversi a nostris ritus apud ipsos tolerantur. Ad Conf. Neg. Ant. Si enim tale præceptum daretur, vel maxime urgeret in periculo mortis ; atqui neque tunc ex præcepto Divino tenemur sumere utramque speciem, ut docemur ex usu & more Ecclesiæ antiquæ. Unicus ergo casus est, in quo apud Latinos non sacrificantibus sanguinem Christi sumere licet, si nempe Sacerdos celebrans post sumptionem sacræ hostiæ subito deficeret, aut irruentibus hostibus infidelibus aufugeret, tunc alius Sacerdos, vel in ejus defectu alius Clericus, imo in defectum utriusque etiam laicus calicem sumere posset ad sacrificium complendum & impediendam profanationem. 660

Dices 4. Si communio sub utraque specie tantis incommodis esset obnoxia, cur per tot sæcula Majores nostri illam omnibus fidelibus dispensarunt? 2. Aut cur post Concilium Constantiense, & Tridentinum tot populi, Reges, & Principes eundem sibi restitui tam ardenter petierunt? Resp. Eccle- 661

ſia antiqua communionem ſub utraque ſpecie fidelibus dedit tum propter exemplum Chriſti, tum ad expreſſiorem mortis Chriſti ſignificationem; has tamen & ſimiles rationes Eccleſia non judicavit tantas eſſe, ut hic uſus non ſit immutandus, poſtquam numerus fidelium fuit multiplicatus, hæreſis Manichæorum ſuppreſſa, & novi errores contra Sacramentum Euchariſtiæ fuerunt invecti. Ad 2. Qui uſum calicis reſtitui petierunt, id fecerunt variis ex cauſis. Aliqui animo plane hæretico & armata manu ut Bohemi: alii ex errore, vel totum Chriſtum non contineri ſub qualibet ſpecie ut Calviniſtæ, vel in una ſpecie non ſalvari totam Sacramenti ſubſtantiam, ut Lutherani: alii denique fide bona, & animo pacis atque concordiæ, ut Reges & Principes Chriſtiani; ſperaverant enim futurum, ut facilius ad unitatem Eccleſiæ hæretici hac ratione reducerentur, ſed vanam fuiſſe illorum exſpectationem eventus oſtendit.

DISPUTATIO VII.

De SS. Miſſæ Sacrificio.

662 Quoniam Euchariſtia eſt ſimul Sacramentum & Sacrificium; ſub hac quoque ratione paucis eſt expendenda. Equidem in ſenſu latiore quælibet actio interna vel externa, Deo grata, & ad illius cultum ac honorem relata Sacrificium vocari poteſt. Sic Pſalm. 49 v. 14 legitur: *Sacrificium laudis.* Pſalm. 50 v. 19: *Sacrificium Spiritus contribulati.* Eccleſ. 35 v. 4: *Sacrificium miſericordiæ.* Verum hunc ſenſum minus proprium eſſe ex eadem Scriptura colligitur, in qua multarum virtutum opera ſacrificiis opponuntur, ut cum Oſ. 6 v. 6 dicitur: *Miſericordiam volo, non ſacrificium*; & 1 Reg. 15 v. 22: *Melior eſt obedientia quam victima*; ſed neque quælibet

libet res sensibilis & externa sacrificium dici potest; nam Num. 8 v. 11 dicitur, Aaron obtulisse Levitas in munus Domino, & tamen nec Scriptura dicit, nec juxta communem loquendi modum proprie dici potest homines illos sacrificatos fuisse; hinc S. Chrysostomus & Theophilactus in cap. 10 Epist. ad Hebr. notant, discrimen inter oblationem & sacrificium esse, quod sacrificium solum dicatur de illis rebus, quæ occiduntur vel aliter consumuntur.

Itaque Sacrificium in sensu proprio est oblatio 663
externa rei sensibilis per aliquam ejus destructionem a legitimo ministro facta soli Deo ad testificandum supremum ejus in omnes res creatas dominium, & ritu mystico consecrata. Dicitur 1 oblatio externa rei sensibilis sive animatæ sive inanimatæ, quia est cultus Dei externus, & sacrificium debet esse accommodatum naturæ humanæ, ac publico usui. 2. Per aliquam ejus destructionem, qua videlicet res desinat esse physice vel saltem moraliter, ita ut non amplius ad suos usus naturales apta maneat. 3. Facta soli Deo ad testificandum supremum ejus dominium; est enim cultus latriæ, cujus præcipuus ac immediatus finis est testificatio supremi dominii Divini; atque per hoc sacrificium distinguitur a Sacramentis. 4. Facta a legitimo ministro, nempe ab homine ad id specialiter deputato, vel saltem ex ordinatione Dei non inhabili. Nam ut S. Paulus ad Hebr. 5 v. 1 ait: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia.* 5. Ritu mystico consecrata; id enim denotat verbum sacrificare; videlicet rem Deo offerendam ex profana facere sacram, ut notat S. Thomas 2. 2 q. 85 art. 5.

Dividitur sacrificium 1 ratione materiæ seu rei 664
significatæ in Victimam, Immolationem & Libamen.

Victima dicebantur sacrificia ex animalibus v. g ovibus, capris, bobus. Immolatio sacrificia ex rebus inanimatis & solidis e. g. farina, pane, thure Libamen sacrificia rerum liquidarum v. g. vini aquæ. 2. Ratione formæ seu ritus sacrificandi in Holocaustum, quod totaliter ita consumi debuit, ut nihil cederet hominum usui. In Hostiam pro peccato, quæ partim cremabatur, partim a Sacerdotibus in ipso atrio sancto manducabatur. In Hostiam pacificam, quæ partim consumebatur igne, partim a Sacerdotibus & ipsis offerentibus comedebatur, & quidem ipso die sacrificii, si fuit oblata pro beneficio accepto ; si vero pro accipiendo, in crastinum servari poterat. 3. Ratione finis in Latrevticum, quod speciali modo in reverentiam Divinæ majestatis ad contestandam creaturæ subjectionem offerebatur: in Eucharisticum, quod fiebat in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis : in Impetratorium, per quod petebantur beneficia accipienda ; in Propitiatorium, quo Deum placare volebant.

665 Hæc omnia sacrificia fuerant in antiqua lege, & adhuc varias sub se continebant species. In lege nova tantum dantur duo, quæ tamen omnia reliqua in se complectuntur. Primum erat cruentum illud sacrificium, quo Christus Deo Patri se ipsum in contestationem supremi dominii, & pro expiatione peccatorum totius mundi obtulit, ut sæpius testatur Apostolus Epist. ad Hebr. & ad Ephes. 5, ubi v. 2 inquit : *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & Hostiam Deo in odorem suavitatis.* Alterum est sacrificium illud incruentum, quo Christus quotidie in missa immolatur, principaliter quidem a se ipso, ut docet Apostolus ad Hebr. 7 v. 28, & S. Augustinus Lib. 10 de civit. cap. 19 de Christo dicens ; *Per hoc & Sacerdos est ipse offerens,*

ferens, ipse & oblatio. Secundario vero & ministerialiter a Sacerdotibus, qui dum sacrificant, nomine Christi agunt, itaque sacra verba pronuntiant, ac si ipse Christus esset : *Hoc est Corpus meum ; Hic est Sanguis meus.* Unde hæc duo sacrificia tantum sunt diversa ratione modi, quoad substantiam autem sunt unum & idem, in utroque enim datur eadem hostia, idemque Sacerdos, licet modus immolandi sit diversus, in cruce cruentus, in missa incruentus & mysticus.

Porro vox *Missa* jam ab antiquissimis tempori 666
bus usitatissima fuit ; legitur enim apud S. Ambrosium Lib. 5 Epist. 33, apud S. Augustinum Serm. 91 de tempore, apud S. Benedictum in Reg. cap. 17, in Concilio Romano sub Sylvestro I, in Carthaginensi II & IV, in Valentino, Agathensi & Aurelianensi, quæ ante annos mille & amplius conscripta sunt. Habet autem apud Scriptores Ecclesiasticos varias significationes. 1. Quandoque idem significat ac missio, vel quia Christus est Hostia a Deo missa, vel quia peracto sacrificio populus dimittebatur, dicente Diacono : *Ite, missa est.* 2. Quandoque accipitur pro missa catechumenorum, id est, pro Divino officio lectionum & precum usque ad offertorium, qua parte expleta Diaconus clamabat: *Exite catechumeni, pœnitentes, indigni &c.* 3. Pro illa parte liturgiæ, quæ est ab offertorio usque ad finem, & proprie missa fidelium vocabatur. 4. Pro tota celebratione Divini officii, ut comprehendit simul missam catechumenorum & fidelium. 5. Denique pro actione illa sacra, qua Eucharistia conficitur, & de qua Catholicos inter & sectarios maxime controvertitur, an sit verum ac proprium sacrificium.

Sicut enim ipsi novatores non negant missam 667
seu sacram cœnam in sensu quodam spirituali, & impro-

improprio sacrificium dici posse ; ita Catholici facile ipsis concedunt, Eucharistiam non esse sacrificium proprie tale, dum sumitur, dum proponitur adoranda, dum in templis & compitis solemniter circumfertur. Neque verum est, quod scribit Kemnitius in 2 part. Exam. Trident. nempe Sacrificium missæ, de quo Pontificii dimicant, in eo consistere, quod sacrificulus certis ornamentis & instrumentis super panem & vinum Eucharistiæ variis utitur gestibus, motibus & actibus, ut sæpius geniculari, inclinari &c. hæc enim solum accidentalia quædam ornamenta & ceremoniæ sunt, quas in sacrificio adhibemus. Proin controversia cum sectariis consistit in hoc : an actio illa sacra, externa & visibilis, qua conficitur Eucharistia, sit verum ac proprie dictum sacrificium ? adeoque an in Missa seu actione cœnæ Domini, si rite celebretur, Eucharistia Deo offeratur, & offerri debeat ?

668 Inficiantur hoc non solum Albigenses, Zwingliani, Calvinistæ, & quotquot realem Christi præsentiam in Eucharistia non admittunt, sed etiam Lutherus, qui in formula missæ Wittenbergensi oblationem seu sacrificium abominationem appellat, & in libro de Missa privata scribere non dubitavit, tandem sibi a dæmone suggestum ac persuasum fuisse, Missæ sacrificium esse abrogandum. Magistrum suum strenue sequuntur discipuli ; nam licet in Confessione Augustana dicant, Missam apud se retineri, & summa reverentia celebrari, per illam tamen nihil nisi cœnam seu communionem intelligunt. In Anglia quoque, utut Henricus VIII circa veterem de sacrificio & reali præsentia Christi doctrinam nihil innovare ausus sit, postea tamen in confessione fidei, quæ sub Eduardo VI prodiit, præsentia realis Christi sub speciebus Eucharisticis impossibilis declaratur, & in confessione Londini anno

anno 1717 edita art. 31 dicitur: *Missarum sacrificia, quibus vulgo dicebatur, Sacerdotem offerre Christum in remissionem pœnæ & culpæ pro vivis & defunctis, blasphema figmenta sunt, & perniciosæ imposturæ.*

QUÆSTIO I.

An in Missa offeratur verum ac proprium Sacrificium?

Dicendum. In Missa verum ac proprium Deo 669
offertur Sacrificium. Prob. 1. Auctoritate veteris Testamenti: Malach. 1 v. 10 & 11 dicitur: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra; ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Quibus verbis Dominus per Prophetam prædicit, se reprobare Sacrificia Judæorum, eisque successuram aliam oblationem mundam, videlicet SS. Eucharistiæ Sacrificium, ut hunc locum interpretantur S. Justinus, Irenæus, Chrysostomus, Theodoretus, Hieronymus, Augustinus aliique Patres apud Bellarm. Lib. 1 de Miss. cap. 10; quippe per oblationem illam mundam non potest intelligi 1 Aliquod Sacrificium Judaicum; hæc enim a Deo reprobantur Malach. 1 v. 10: *Non suscipiam munus de manu vestra*, & nullum offertur in omni loco, sed tantum Jerosolymæ. 2. Non aliquod Sacrificium Paganorum, dicit enim Propheta v. 11: *Offertur nomini meo oblatio munda*, &: *In omni loco sacrificatur*; atqui sacrificia Gentilium non sunt munda, quæ autem alii homines pii ante Christum obtulerunt, fuerunt admodum rara & in locis paucissimis. 3. Non sacrificium cruentum in cruce, quia non nisi semel in uno loco oblatum est. 4. De-

nique non ſacrificium aliquod ſpirituale & impro-prie dictum orationes, eleemoſynæ &c. iſta enim non ſunt ſacrificium novum, nec a Deo abrogata.

670 Probatur 2 auctoritate novi Teſtamenti. Quando Chriſtus in ultima cœna Euchariſtiam inſtituit, ſe ipſum ſub ſpecie panis & vini Deo Patri obtulit, & verum Sacrificium celebravit; atque idem ab Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus usque ad conſummationem mundi fieri voluit: *Hoc facite in meam commemorationem*, Luc. 22 v. 19. Ant. Prob. Pſalm. 109 v. 4 & ad Hebr. 5 v. 6 Chriſtus dicitur: *Sacerdos ſecundum Ordinem Melchiſedech*, qui fuerat Rex Salem, & Sacerdos Altiſſimi, eique panem & vinum obtulit, ut habetur Geneſ. 14 v. 18; ergo etiam Chriſtus in ultima cœna (aliud enim tempus non poteſt oſtendi) ſacrificavit in pane & vino, & adhuc continuo per ſuos miniſtros ita ſacrificat; alias non poteſt explicari, quomodo maneat Sacerdos in æternum ſecundum Ordinem Melchiſedech, quem tamen typum Chriſti in pane & vino ſacrificaturi fuiſſe docent omnes Patres apud Bellarm. Lib. cit. cap. 6. Conf. Quando Chriſtus Euchariſtiam inſtituit, non dixit: Hoc eſt corpus & hic eſt ſanguis, qui vobis datur ad manducandum & bibendum, ſed qui pro vobis datur, qui pro vobis funditur, ut habet textus Græcus, quem ſequuntur novatores: ergo Chriſtus corpus & ſanguinem ſuum obtulit Patri pro diſcipulis, & ut Matth. 26 v. 28 legitur: *Pro multis*; ergo vere ſacrificavit: ergo etiam legitimi Eccleſiæ miniſtri vere ſacrificant, dum ex mandato Chriſti Euchariſtiam celebrant.

671 Probatur 3 ex traditione & perpetuo Eccleſiæ uſu & conſenſu. Traditio habetur ex unanimi doctrina Patrum & Conciliorum, quam ſibi adverſari ipſe Calvinus non diffitetur; Lutherus vero

Lib.

Lib. de captiv. Babil. cap. 1 ad illorum auctoritatem ita respondet: *Si nihil habetur, quod dicatur, tutius est omnia negare, quam Missam sacrificium esse concedere*; & in Lib. cont. Henric. VIII ait: *Se nihil curare, si mille Augustini, & mille Cypriani contra se stent.* Perpetuus usus & consensus Ecclesiæ tam Græcæ quam Latinæ patet ex antiquissimis Liturgiis SS. Jacobi, Clementis, Basilii, Chrysostomi &c. De S. Andrea Presbyteri Achajæ, qui ejus martyrio adfuere, testantur, quod ad Egeam proconsulem dixerit: *Ego omnipotenti Deo immolo quotidie non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immolatum Agnum in altari.* De S. Laurentio scribit S. Ambrosius Lib. 1 de officiis cap. 41, quod Xistum Pontificem compellarit his verbis: *Quo Sacerdos sancte sine Diacono properas, nunquam Sacrificium sine ministro offerre consueveras.* Certe nullum initium Sacrificii missæ ostendi poterit, nisi ad ipsum Christum deveniatur; hinc Concilium Tridentinum sess. 22 de Sacrific. Miss. can. 1 ita definit: *Si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum ac proprie dictum Sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit.* Idem ulterius confirmat per tres Canones sequentes, & fusius explicat cap. 1 & 2.

Probatur 4 ratione theologica. Nulla unquam 672
fuit Religio, quæ non putaverit necessarium esse aliquod sacrificium tanquam præcipuum Dei cultum & primarium Religionis actum; atqui in Religione Christiana nullum aliud sacrificium proprie tale datur, quam quod in missa offertur: ergo. Maj. constat ab inductione legis naturæ & scriptæ, quam ipsi etiam Gentiles & Pagani imitati sunt, Min. Prob. tum negative tum positive, quia Sacrificio Missæ conveniunt omnes conditiones ad verum & proprium sacrificium requisitæ. Nam 1 est obla-

tio

tio externa rei visibilis, videlicet corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini. 2. Est immutatio rei oblatæ, quatenus vi verborum sanguis a corpore separatur, atque sic Christus moraliter & mystice moritur. 3. Est immolatio facta soli Deo ad testificandum supremum ejus dominium; in hunc enim præcipue finem soli Deo offertur. 4. Fit a legitimo ministro, Sacerdote scilicet, qui ad illud nomine Christi offerendum specialiter ab Ecclesia fuit deputatus. 5. Per certum ritum & ceremonias sacras Deo consecratur. Taceo, plures figuras, Prophetias, plurimaque miracula, quibus doctrina nostra Catholica præfigurata & approbata legitur.

Objectiones.

673 Obj. 1. Juxta S. Scripturam nullum in lege nova datur sacrificium; nàm *Venit hora, ubi veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate*, inquit Christus Joann. 4 v. 23: ergo. Conf. Sæpe victimæ spirituales cum dedignatione corporalium a Scriptura commendantur: *Sacrificium laudis honorificabit me*, Psalm. 49 v. 23. *Sacrificium salutare est attendere mandatis*, Eccles. 35 v. 2: ergo per Sacrificium, quod a Malachia prædictum est, non potest intelligi Sacrificium proprie tale. Resp. Neg. Ant. Cum Samaritani contenderent Sacrificia solum offerri posse in monte Garizim, Judæi vero in templo Hierosolymitano, Christus, ut vanam hanc præsumptionem refelleret, prædicit quidem sublata sacrificiorum umbra brevi fore, ut veri adoratores Patrem adoraturi sint in spiritu & veritate; atque his verbis legem Evangelicam spiritualisque sacrificii excellentiam commendat: at ideo sacrificium & cultum externum non excludit; nam sicut spiritualis cultus est necessarius, quia Deus spiritus est, sic nobis competit cultus corporalis, quia

quia ex ſpiritu & materia concreti ſumus. Ad Conf. eadem eſt reſponſio. Quamvis enim Prophetæ merito ſacrificia ſpiritualia commendaverint Judæis, utpote carnalibus tanto ſtudio addictis, ut interna penitus negligerent, inde neutiquam ſequitur, quod Deus cultum externum omnino a nova lege voluerit auferre, quodque verba Malachiæ tantum in ſenſu improprio accipi debeant.

Dices 1. Sacrificium, de quo loquitur Mala- 674
chias, debet offerri in omni loco; atqui de Chriſto ad Hebr. 9 v. 12 dicitur: *Introivit ſemel in ſancta æterna redemptione inventa*; & v. 28: *Semel oblatus eſt ad exhaurienda peccata*; rurſus cap. 10 v. 12: *Unam pro peccatis hoſtiam offerens ſedet ad dexteram Dei*; & v. 14: *Una oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos*: ergo. Conf. Eodem cap. 10 v. 18 habetur: *Ubi peccatorum remiſſio, jam non eſt oblatio pro peccato*: ergo. Reſp. Conc. Maj. Diſt. min. hæc de Chriſto dicuntur relate ad ſacrificium cruentum in cruce, Conc. min. relate ad ſacrificium incruentum in miſſa, Neg. min. Quod Apoſtolus cap. 9 ſolum loquatur de ſacrificio cruento manifeſtum eſt ex v. 26: *Alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi*, de eodem cap. 10 loquitur; ibi enim opponit ſacrificium Chriſti Judæorum ſacrificiis, aitque illud ſemel tantum fuiſſe offerendum, quia ad omnium redemptionem pleniſſime ſufficiebat, quod libenter admittimus, neque enim dicimus per ſacrificium miſſæ pretium redemptionis a nobis acquiri, ſed jam prius a Chriſto in cruce ſolutum nobis applicari. Ad Conf. Diſt. Ant. ubi peccatorum remiſſio, jam non eſt oblatio pro peccato in ordine ad acquirendum pretium redemptionis, Conc. Ant. in ordine ad illius applicationem, Neg. Ant. Alias etiam deberet excludi baptismus, & cœna Domini, cum ſint Sacramenta applicantia fructum crucis.

Dices

675 Dices 2. Sacrificium proprie tale debet offerri a Sacerdote; atqui Christus solus est Sacerdos, & quidem in æternum; nam ut Apostolus ad Hebr. 7 v. 23 ait: *Alii quidem plures facti sunt Sacerdotes idcirco, quod morte prohiberentur permanere; hic autem* (Christus) *quod maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium.* Conf. S. Paulus v. 28 ita pergit: *Lex homines constituit Sacerdotes infirmitatem habentes, sermo autem jurisjurandi, qui post legem est, Filium in æternum perfectum*: ergo in lege nova omnes illi a Sacerdotio excluduntur, qui sunt infirmi, talem autem quilibet homo, se fateri debet. Resp. Conc. Maj. Dist. min. Solus Christus est Sacerdos principalis & æternus, Conc. min. temporalis & ministerialis, Neg. min. Cum succedere alteri sit alterius vel spontanea discessione, vel mortis interventu, vel alia de causa ab officio remoti locum occupare, Christus utique non habet successores, sicut habuerunt Sacerdotes in veteri lege, sed perpetuum servat Sacerdotium; at hoc non impedit, quo minus habeat Sacerdotes vicarios & ministros dicente Apostolo 1 ad Cor. 4 v. 1: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi & dispensatores Mysteriorum Dei.* Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. S. Paulus solum docet, quod sacrificia legis veteris neque in se ipsis, neque ratione mactantium Deo ita acceptabilia fuerint, sicut sacrificium novæ legis, utpote quod in se sit summi pretii, & a Sacerdote principali immaculato & impolluto offeratur, adeoque a ministris secundariis nullum pretium mutuare debeat.

676 Obj. 2. Quando Christus in ultima cœna Sacramentum Eucharistiæ instituit, nulla fit mentio de sacrificio; hinc teste Pallavicino Lib. 18 hist. Trident. Concil. cap. 2 multi theologi negabant, quod Christus se ipsum in sacrificium tunc obtulerit: ergo. Conf, Nemo potest esse simul Sacerdos & victima,

victima, nec idem offerens & cui offertur, alias sibi ipsi sacrificaret. Resp. Dist. Ant. Nulla fit mentio clara & explicita de sacrificio, Conc. Ant. saltem implicita, Neg. Ant. Quod Christus in ultima cœna se ipsum in sacrificium verum obtulerit, colligitur tum ex verbis, quibus ibi usus est, tum ex aliis Scripturæ locis; sicut vicissim de Christo in cruce aperte non dicitur, quod sacrificaverit, sed tantum quod tunc pependerit inter duos latrones, magna voce clamaverit, & inclinato capite emiserit spiritum. In Concilio Tridentino controversia potissimum erat, an sacrificium illud incruentum fuerit vere Propitiatorium, & omnes Patres tandem unanimiter in sententiam affirmativam concesserunt, ut idem Pallavicinus testatur. Ad Conf. Neg. Ant. Nam sæpe in sacrificiis internis idem est minister & hostia, cumque Christus simul fuerit Deus & homo, utique se ut hominem potuit sacrificare sibi ut Deo. *Tradidit semetipsum oblationem & hostiam Deo*, ad Ephes. 5 v. 2.

677 Dices 1. Eucharistia est Sacramentum & Testamentum: *Hic calix novum Testamentum est*, Luc. 22 v. 20: ergo non potuit esse sacrificium; nam per Sacramentum datur, & per testamentum aliquid nobis a Deo promittitur; per sacrificium autem aliquid damus Deo; atqui id quod a Deo accipimus, & nos Deo damus, non potest esse idem. Imo per se absurdum est dicere, quod per testamentum ab hærede aliquid detur testatori. Conf. Promissio Dei, & id quod promittitur, non possunt esse idem: ergo neque testamentum & sacrificium. Resp. Conc. Maj. Dist. min. hæc non possunt esse idem sub eadem ratione & respectu, Conc. min. sub diversa ratione & respectu, Neg. min. & Conf. Eucharistia est Sacramentum, quatenus est signum gratiæ: est testamentum, quatenus est pu-

blicum

blicum & authenticum inſtrumentum voluntatis Divinæ: eſt ſacrificium, quatenus primario quidem offertur in recognitionem dominii Divini, ſecundario vero pro impetrandis a Deo gratiis, licet igitur per Euchariſtiam nihil poſſimus dare Deo, quatenus eſt Sacramentum & teſtamentum, poſſumus tamen illam offerre Deo, quatenus eſt victima; nec obſtat, quod illam ab ipſo Deo acceperimus; alias nihil prorſus poſſemus illi ſacrificare; nam ut Paralip. 1 cap. 29 v. 14 dicitur: *Tua ſunt omnia Domine, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi*; quamquam ſacrificium miſſæ non tam ſit actio noſtra, quam actio & corpus Chriſti. Ad Conf. Tranſ. Ant. Neg. Conſ. Teſtamentum enim non eſt ipſa promiſſio Dei, ſed ſignaculum promiſſionis; nihil autem repugnat, quo minus Deus ſignaculum promiſſionis ſuæ in victimam ſibi oblatam accipere valeat.

678 Dices 2. Si Sacrificium Chriſti ſimul eſt teſtamentum, hoc ipſo non potuit offerri in ultima cœna, & multo minus nunc offerri poteſt. *Ubi enim teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris*, ad Hebr. 9 v. 16; & alias quoties miſſa legeretur, ſemper conderetur novum Teſtamentum, novaque remiſſio peccatorum promitteretur. Conf. Mors Chriſti Deo magis injuriam intulit quam honorem: ergo ejus commemoratio illi placere non poteſt. Reſp. Neg. Ant. Quamvis teſtamentum nondum irrevocabiliter valeat, quamdiu teſtator vivit, ſed per ipſius mortem plene confirmari debeat, ut loc. obj. advertit Apoſtolus, poteſt tamen teſtamentum ante mortem teſtatoris condi, & poſtea ejus memoria celebrari: unde Chriſtus jam in ultima cœna ſimul ſacrificare & teſtamentum condere potuit; poſtquam vero illud in ſacrificio cruento confirmavit, nos merito per ſacrificium incruentum ejus memo-

memoriam celebramus, nec ideo novum Testamentum conditur, sed tantum sit repetitio testamenti a Christo instituti, & remissio peccatorum per sacrificium incruentum acquisita nobis applicatur. Ad Conf. Dist. Ant. Mors Christi Deo injuriam intulit, quatenus a Judæis fuit illata, Conc. Ant. quatenus a Christo voluntarie fuit tolerata, Neg. Ant. & Conf.

Obj. 3. Quamvis S. Paulus ad Hebr. 7 totus 679
sit in eo, ut probet Melchisedechum fuisse figuram Christi, tamen nec verbum dicit, quod ejus sacrificium gesserit typum Eucharistiæ: ergo. Conf. Ipse Melchisedech panem & vinum non sacrificavit Deo, sed tantum obtulit in alimentum Abrahæ, & militibus ejus ex prælio redeuntibus. Resp. Transf. Ant. Neg. Conf. S. Paulus in hoc capite non proposuit comparare sacrificium cum sacrificio, sed ostendere, quod Sacerdotium Melchisedech fuerit excellentius, quam Sacerdotium Aaronis; unde infert, secundum Ordinem Melchisedech, & non secundum Ordinem Aaron dici debuisse. Imo hoc ipso quod Christum dicat Sacerdotem, & quidem, ut cap. 5 v. 6 addit: *In æternum*, satis indicat, quod Christus sicut Melchisedech, in pane & vino sacrificaverit, & adhuc sacrificet; itaque Apostolum intellexere omnes Patres. Ad Conf. Neg. Ant. Contrarium rursus constat ex interpretatione Patrum, & ex ipso textu sacro colligitur, in quo Genes. 14 post verba *panem & vinum proferens*, v. 18 statim additur: *Erat enim Sacerdos Dei*; neque alia fuisset causa, cur panem & vinum offerret; Abraham enim & milites ejus redierant cum ingenti præda, & paulo ante comederant, ut Genes. 14 v. 24 narratur; hinc etiam Abraham Melchisedecho ex omnibus decimas dedit.

Dices 1. Christus ad Hebr. 7 comparatur cum 680
Melchisedech, quod uterque fuerit Sacerdos, prin-

ceps pacis, ſine patre, ſine matre &c. ergo licet nunquem ſacrificaſſet, nihilominus poſſet dici Sacerdos ſecundum Ordinem Melchiſedech, & quidem 2 in æternum, qu a ſemper interpellat pro nobis, & fructus ſacrificii, quod in cruce obtulit, in æternum durat, atque per illud ſalvat, & ſalvare poteſt accedentes per ſemetipſum: ergo. Reſp. ad 1, Conc. Ant. Neg. Conſ. Ut Chriſtus dicatur Sacerdos ſecundum Ordinem Melchiſedech non ſufficit, quod cum illo conveniat in officio, nomine, origine, ſed debet cum illo convenire in eo, quod eſt præcipuum, & peculiare illius Sacerdotio; hoc autem nihil aliud erat, quam forma ſacrificii incruenti in pane & vino: cætera ſunt Sacerdotio extrinſeca, aut etiam communia Sacerdotibus ſecundum Ordinem Aaron. Ad 2 Neg. Ant. Ratio addita probat quidem Chriſtum eſſe noſtrum advocatum, & ſalvatorem, non item eſſe Sacerdotem in æternum; ad hoc enim non ſufficit, quod aliquando ſacrificaverit, & ipſe atque effectus ſacrificii illius ſemper duret; nam etiam Abel & Elias aliquando ſacrificarunt, & poſt reſurrectionem vivent in æternum, quin ideo ſint Sacerdotes in æternum, & ſæpe videmus, quod effectus regiminis unius diei duret per multos annos, etſi ipſum regimen non duret.

681 Dices 2. Si Chriſtus eſt Sacerdos ſecundum Ordinem Melchiſedech, quia ſe ſub ſpecie panis & vini obtulit modo incruento, erit etiam Sacerdos ſecundum Ordinem Aaron, quia in cruce ſe obtulit modo cruento; imo etiam in Ordine Aaron panis & vinum offerebatur. Conf. Melchiſedech præciſe ſacrificavit modo incruento, Chriſtus etiam modo cruento, & ſacrificium in cruce erat præcipuum: ergo. Reſp. Neg. Ant. Quia Sacerdotium Chriſti nihilominus in multis differt a ſacrificio Aaronis;

Aaronis; neque enim Christus fuit ex tribu Levi, neque se obtulit sub specie agni, neque illius sacrificium cruentum fuit typicum & præfigurativum, sicut fuere omnia sacrificia Aaronica. Porro panis & vinum ab Aarone nunquam fuere oblata tanquam sacrificium principale, sed tantum tanquam pars quædam, & veluti illius condimentum. Ad Conf. Conc. Ant. Neg. Conf. Christus ratione sacrificii cruenti nec fuit Sacerdos secundum Ordinem Aaron, nec secundum Ordinem Melchisedech, multo minus in æternum. Est autem Sacerdos secundum Ordinem Melchisedech ratione sacrificii incruenti; quia illud quoad repræsentationem externam fuit prorsus simile sacrificio Melchisedech; durat insuper in æternum, quia omnibus reliquis abrogatis Christus hoc unicum instituit tanquam proprium Religionis Christianæ, & frequentandum usque in finem sæculorum.

Obj. 4. Sacrificium Missæ antiquis tempori- 682
bus fuit incognitum adeo, ut teste Minutio Felice in Dialog in GentilesChristianis exprobraverint, quod aras & templa non haberent. Conf. Hoc ipso quod Missa ejusque institutio tantum habeatur ex testimoniis Patrum, & antiquis liturgiis Clementis, Basilii &c. est inventum mere humanum; imo liturgiam S. Jacobi omnino apocrypham esse scribit Theodorus Balsamon, & fatetur ipse Bellarm. Resp. Neg. Ant. Nam in Ecclesia jam diu ante tempora Minutii altaria extitisse, patet ex testimonio Tertulliani Lib. de pœnit. Dionysii cap. 3 Hierarch. Eccles. Presbyterorum Achajæ &c. quamvis Christiani tunc diligentissime caverint, ne ethnici sacris suis interessent, quia erant indigni, nec ad ta nta mysteria capienda idonei. Ad Conf. SS. Patres a nobis non laudantur tanquam institutores sacrificii, sed tanquam fideles Scripturæ interpre-

tes, & testes omni exceptione majores perpetui usus Ecclesiæ & traditionis Divinæ. Missam vero ab ipso Christo institutam esse, auctores liturgiæ supponunt, nec nisi ceremonias & precum formulas in illa observandas præscripserunt. Talem liturgiam a S. Jacobo compositam fuisse testatur can. 32 Trullanus, Bellarminus autem solum fatetur, illam additione precum fuisse auctam. Taceo, quod in ipsis actis Apostolorum cap. 13 v. 2 legatur, illos Domino ministrasse, per quæ verba sacrificium denotari probat Bellarminus ex voce Græca, & ipsa Confessione Augustana.

683 Dices 1. Quando SS. Patres Eucharistiam vocant sacrificium, vocem sacrificii tantum accipiunt in sensu latiore; nam Eucharistiam expresse docent esse repræsentationem & commemorationem oblationis Christi in cruce. Sic S. Chrysostomus Homil. 17 in Epist. ad Hebr. ait: *Offerimus quidem, sed ejus mortem revocamus in memoriam, & hæc oblatio una est, & non multa.* Conf. Humanitas Christi a primo instanti incarnationis jam fuit sacra: ergo non amplius potuit consecrari Deo, multo minus nunc potest mutari; nam Christus ex mortuis redivivus non moritur. Resp. Neg. Ant. rationem additam Dist. dicunt Eucharistiam esse repræsentationem & commemorationem nudam & vacuam, Neg. simul etiam sacrificium, Conc. SS. Patres Eucharistiam expresse vocant oblationem, immolationem, locum, in quo offertur, altare, ministros eam conficientes Sacerdotes, quæ proprie soli sacrificio vero conveniunt. S. Chrysostomus solum ait, quod sacrificium incruentum, quo mortem Christi in memoriam revocamus, non multiplex, sed unicum fuerit. Ad Conf. Quamvis humanitas Christi non amplius potuerit sanctificari intrinsece, & quoad rem; potest tamen sanctificari extrinsece, & quoad modum, in quantum Deo de

nove

novo offertur tanquam victima, ut patet ex sacrificio cruento in cruce; ex eo autem, quod Christus non amplius moriatur, solum sequitur, quod in sacrificio incruento non mutetur physice, sed solum mystice & moraliter.

Dices 2. Sacrificium crucis fuit valoris & efficaciæ infinitæ: ergo non solum nullo alio indigemus, sed Christo inferimus injuriam, si illud repetimus. Conf. Ad applicationem sacrificii cruenti sufficiunt prædicatio Verbi Divini, sacræ cœnæ administratio, aliaque ejusmodi media: ergo illud neque in hunc finem licet repetere; alias Sacerdos vellet agere intercessorem inter Deum & hominem, quam vocem Antichristi esse docet S. Augustinus Lib. 2 cont. Parmen. cap. 8. Resp. Conc. Ant. Neg. Cons. Sacrificium Missæ non est aliud quam sacrificium crucis, neque ut supra jam adverti, ideo repetitur, quasi se solo ad nostram redemptionem esset insufficiens, sed quia ipse Christus voluit, ut per sacrificium incruentum pretium redemptionis nobis applicetur, ut adeo hoc sacrificium in maximam Christi in cruce pro nobis oblati gloriam cedat. Ad Conf. Quamvis etiam alia dentur media ad fructum sacrificii cruenti nobis applicandum, sacrificium tamen altaris est præcipuum, in quo Sacerdos quidem agit mediatorem inter Deum & hominem ex merito Christi, non item ex merito proprio, in quo sensu id affirmabat Parmenianus a S. Augustino reprehensus. Quare merito Concilium Tridentinum sess. 22 can. 4 ita statuit: *Si quis dixerit blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in cruce peracto per Missæ sacrificium, aut illi per hoc derogari, anathema sit.* 684

QUÆSTIO II.

Quale Sacrificium in Miſſa offeratur?

685 Sacrificium Miſſæ conſiderari poteſt vel quoad ſuam eſſentiam, vel quoad ſuas proprietates & virtutem. Ipſius eſſentiam novatores ſæpe talibus verbis & æquivocationibus involvere ſolent, ut putares, eos nobiscum loqui & ſentire; quippe non dubitant affirmare, in Euchariſtia percipi ſubſtantiam corporis Chriſti, illamque eſſe reale, verum ac proprie dictum ſacrificium; at reipſa nihil aliud intelligunt quam ſubſtantiam myſticam modo ſpirituali per fidem ſumptam, ac veritate & realitate figuræ nobis repræſentatam, per quam repræſentationem & mortis Chriſti commemorationem paſſio & mors Chriſti nobis applicetur. Verum apud omnes Catholicos ratum eſt, ideo ſacrificium miſſæ reale, verum ac proprie dictum appellari & eſſe, quia continet veram ac proprie dictam Chriſti realiter præſentis oblationem, ut demonſtrat Concilium Tridentinum Seſſ. 22 cap. 1, tum ex oblatione corporis & ſanguinis Chriſti, quam ipſemet fecit in ultima cœna, tum ex reali illius præſentia ſub ſpeciebus Euchariſticis, & unitate ſubſtantiali cum ſacrificio cruento; Can 3 autem anathema dicit aſſerenti: *Sacrificium Miſſæ nudam eſſe commemorationem ſacrificii in cruce peracti.* Nihilominus inter ipſos Catholicos tam de materia, quam de forma hujus ſacrificii adhuc controvertitur.

686 Ex parte materiæ ſeu rei ſignificatæ ſe tenent ſanguis & corpus Chriſti, panis & vinum, eorumque ſpecies. Verum ſpecies Sacramentales nullatenus videntur eſſe partes ſubſtantiales ſacrificii, ſed tantum conditiones, per quas ſacrificium redditur

ditur viſibile & externum; nam ſpecies Sacramentales non ſunt hoſtia illa immaculata, quæ in propitiationem & remiſſionem peccatorum noſtrorum Deo offertur; alias ſacrificium miſſæ quoad rem oblatam non eſſet idem cum ſacrificio crucis, quia ibi res oblata fuit ſolus Chriſtus, hic autem eſſet compoſitum ex Chriſto & ſpeciebus. Neque obſtat, quod Can. hoc eſt 48 Diſt. 2 de conſecr. ſacrificium Eccleſiæ viſibili elementorum ſpecie, & inviſibili Domini noſtri JEſu Chriſti carne conſtare dicatur; nam Canon hic eſt tantum Lanfranci, cui ſine piaculo contradicitur. Multo minus ipſe panis & vinum ſacrificium Miſſæ intrinſece conſtituunt, ſed ſunt tantum materia ſubjecta, ex qua ſacrificium conficitur. Unde quando Patres dicunt panem & vinum in Miſſa offerri, vel ſolum volunt indicare, quod Chriſtus tanquam Sacerdos ſecundum Ordinem Melchiſedech panem & vinum adhibuerit, ut ſeipſum ſub eorum ſpeciebus offerret: vel per panem & vinum intelligunt ipſum corpus & ſanguinem Chriſti, uti S. Cyprianus Epiſt. 68, ubi ait: *Chriſtus obtulit hoc idem* (quoad ſpeciem externam) *quod Melchiſedech, id eſt, panem & vinum, ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem.*

Itaque eſſentia ſacrificii materialiter, & quoad 687
rem ſacrificatam accepti conſiſtit in ipſo corpore & ſanguine Chriſti; prout exiſtunt ſub ſpeciebus panis & vini. Prob. 1 tum ex Apoſtolo: *Chriſtus Paſcha noſtrum immolatus eſt*, 1 ad Cor. 5 v. 7; *Tradidit ſemetipſum hoſtiam & oblationem Deo*, ad Epheſ. 5 v. 2; tum ex verbis inſtitutionis: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur*, vel *traditur: Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effundetur*, ſeu juxta Græcum *effunditur.* 2. Ex Concilio Tridentino, quod Seſſ. 22 cap. 2 ait: *In Divino hoc ſacrificio, quod in Miſſa peragitur, idem ille Chriſtus*

continetur, & incruente immolatur, qui in ara crucis seipsum cruente obtulit; & infra: *Una enim eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit sola offerendi ratione diversa.* Dixi, prout existit sub speciebus panis & vini; nam Christus prout est in cœlo & in propria specie non sacrificatur, quia nullo modo destruitur, aut immutatur: ex quo solum sequitur, quod species sint conditiones ad sacrificium essentialiter requisitæ, ut supra jam adverti. Aliud est, quod sint partes constitutivæ Sacramenti Eucharistiæ, quod ex definitione sua est signum sensibile, sacrificium vero essentialiter consistit in oblatione & consecratione hostiæ in contestationem supremi Dei in nos dominii, ita ut species externæ solum in obliquo veniant.

688 Ex parte formæ occurrunt varii ritus & actiones, quas minister sacrificans exercet; attamen ex his ad essentiam sacrificii non videntur pertinere 1. Oblatio panis & vini antecedens consecrationem, tum quia panis & vinum non sunt pars victimæ, tum quia hæc oblatio tantum est institutionis Ecclesiasticæ, & ad essentiam sacrificii sufficit oblatio, quæ fit per ipsam immolationem. 2. Elevatio & positio hostiæ super altare, & oblatio consecrationem consequens; nam nulla harum actionum legitur facta, aut instituta a Christo, neque hæc oblatio dicitur in persona Christi, sed ministri, & totius Ecclesiæ, ut constat ex verbis: *Unde & memores nos servi tui.* 3. Fractio & immixtio hostiæ consecratæ in calicem; Christus enim hanc mixtionem non adhibuit, fractionem vero solum fecit ad usum distributionis: hinc si panis consecratus in calicem decidat, non solet frangi, quin ideo sacrificium irritum, aut essentialiter mutatum credatur. 4. Distributio & sumptio Eucharistiæ a populo; quippe Tridentinum sess. 22 can. 8 definit,

nit, Missas, in quibus solus Sacerdos communicat, esse licitas; hinc participatio victimæ respectu populi sacrificium jam perfectum & consummatum supponit. 5. Denique communio Sacerdotis celebrantis, quia hanc Sacerdos non facit in persona Christi ex potestate per ordinationem directe accepta, neque per illam Deo aliquid offert, sed potestas communicandi etiam laicis convenit.

Restat igitur dicendum, quod essentia sacrificii 689
formaliter spectati probabilius consistat in sola consecratione. Prob. 1. Quia ipse Christus in sacrificio Missæ est principalis Sacerdos, reliqui autem Sacerdotes tantum offerunt ejus nomine, ut patet ex Concilio Tridentino supra num. 687 citato: ergo essentia hujus sacrificii consistit in illa sola actione, quam minister exercet in persona Christi; atqui sola consecratio est actio, quam minister exercet in persona Christi, dum assertive dicit: *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.* Prob. 2. Quia consecrationi convenit tota definitio sacrificii, ut colligitur ex num. 672. Neque obstat, quod sacrificium primum consummari dicatur per communionem Sacerdotis, quia videlicet est holocaustum, ad cujus rationem pertinet, ut totum consummatur; nam ex hoc solum sequitur, quod communio Sacerdotis sit aliquod complementum extrinsecum spectans ad integralem perfectionem & usum, ad quem hoc sacrificium ex præcepto Christi ordinatur. Ratio holocausti autem sufficienter salvatur per hoc, quod tota victima Deo penitus offeratur, & in illius honorem destruatur moraliter. Certe holocausta veteris legis nec a Sacerdote, nec ab alio comedebantur, sed tota igne consumebantur.

Id tamen concedo, quod ad essentialem perfe- 690
ctionem sacrificii Missæ spectet consecratio utriusque speciei, panis & vini; nam 1. Christus tanquam Sacerdos secundum Ordinem Melchisedech

in pane & vino ſacrificavit, dixitque: *Hoc facite in meam commemorationem*: *Quæ verba*, ait Concilium Tridentinum Seſſ. cit. cap. 1. *univerſa Eccleſia ſemper ita intellexit, ut Chriſtus per illa omnibus ſacerdotibus legem impoſuerit idem faciendi, quod ipſe fecit.* 2. Sacrificium Miſſæ ex inſtitutione Chriſti eſt memoriale, & repræſentatio ſacrificii cruenti in cruce: ſicut ergo in cruce ſanguis a corpore Chriſti ſeparatus eſt, & inde ſecuta mors Chriſti: ita ad id repræſentandum ſanguis in hoc ſacrificio debet, quantum eſt ex vi verborum, poni ſeparatim a corpore, & viciſſim. Quare dum Chriſtus in Emaus ſolum panem conſecravit, id fecit ex ſuprema ſua poteſtate, ſolum ut diſcipulos reficeret, & ab illis agnoſceretur. Quod autem Innocentius IV & VIII cum Norwegis diſpenſaverit, ut ob penuriam vini in ſolo pane conſecrarent, a Tournelyo aliisque communiter inter fabulas rejicitur.

691 Quod jam ad reliquas proprietates, & virtutem ſacrificii Miſſæ attinet, ſacrificium hoc eſt imprimis Latrevticum, & Euchariſticum; offertur enim Deo non ſolum in recognitionem ſupremi Dominii, ſed etiam in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis. Dein eſt Propitiatorium, quod quidem vel maxime negant novatores, ſed Prob. 1 ex Scriptura; nam quando Chriſtus hoc ſacrificium inſtituit, poſt conſecrationem calicis Matth. 26 v. 28 dixit: *Qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Apoſtolus ad Hebr. 5 v. 1 deſcribens præcipuum Sacerdotum officium ait: *Omnis Pontifex ab hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis.* Prob. 2 ex traditione Eccleſiæ, & auctoritate Patrum. S. Ambroſius Lib. 1 de offic. cap. 48 ait: *Offert ſe ipſum Chriſtus quaſi Sacerdos, ut dimittat peccata noſtra.* S. Cyrillus Hieroſolym. catech. 5 Myſtag. *Chriſtum pro noſtris peccatis mactatum*

tum offerimus. S. Augustinus quæst. 57 in Levit. *In multis sacrificiis, quæ pro peccatis offerebantur, unum hoc nostrum sacrificium significatur, in quo vera fit remissio peccatorum.* Et vero si sacrificia veteris legis a peccatis saltem legalibus, id est, ab immunditia legali mundarunt, cur a peccatis non mundet sacrificium, in quo ipse fons gratiæ, tanquam vera hostia sub symbolis Eucharisticis præsens immolatur, & in remissionem peccatorum offertur?

Denique sacrificium Missæ est etiam impetratorium; si enim valet ad placandum Deum & dimittenda peccata, cur non ab ipso poterit impetrare nova, & uberiora auxilia gratiæ, aliaque beneficia, quæ etiam per veteris legis sacrificia obtenta fuerunt, & per alias preces & vota obtineri possunt? *Per hoc sacrificium*, ait S. Cyrillus Hierosolym. catech. cit. *obsecramus Deum pro communi Ecclesiæ pace, pro tranquillitate mundi, pro regibus, pro militibus, pro sociis, pro ægrotis & afflictis, & in summa, pro omnibus, qui egent auxilio.* S. Chrysostomus Homil. 71 in Joann. *Pro infirmis, & terræ & maris, & universi orbis fructibus sacrificamus, quem morem semper observavit Ecclesia.* Concilium vero Tridentinum Sess. 22 Can. 3 definivit: *Si quis dixerit Missæ sacrificium non esse propitiatorium, vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit.* 692

Colliges 1. Sacrificium Missæ esse Propitiatorium & remissivum peccatorum ex opere operato, ita ut reatus pœnæ temporalis, quæ remissa culpa ordinarie adhuc luenda superest, remittatur immediate saltem ex parte; reatus culpæ vero mediate per modum impetrationis, quatenus videlicet infallibiliter impetrat gratias actuales saltem sufficientes, & pios quosdam animi motus, per quos peccator excitatur ad pœnitentiam, & suscipien- 693

da Sacramenta, quibus peccata immediate remittuntur. Ratio 1 partis est, quia hoc sacrificium vim dimittendi peccata habet ex ipsa institutione Christi; unde sicut virtus Sacramenti non dependet a privata conditione ministri; sed *Munda illa oblatio est*, inquit Tridentinum sess. 22 cap. 1, *quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest*, cum sit semper eadem res oblata, & idem offerens principalis. Quoad cætera tamen Missæ adjumenta, quæ virtutem habent ex opere operantis, uti orationes, Missa Sacerdotis mali utique minoris valoris est, quam Missa Sacerdotis boni & pii. Ratio secundæ partis est, quia sacrificium Missæ immediate & proxime non confert gratiam sanctificantem, nec culpa remittitur, nisi peccatum retractetur; hinc sicut ad Sacramenta mortuorum, sic ad sacrificium Missæ requireretur prævia aliqua dispositio, nec liceret sacrificare pro iis, quos scimus voluntarie hærere in peccatis: ergo solum impetrat gratias ad peccata per pœnitentiam delenda, ut explicat Tridentinum sess. 22 cap. 2.

694 Colliges 2. Sacrificium Missæ, quatenus dicit ipsam oblationem externam seu consecrationem, etiam esse ex opere operato impetratorium, nec dependere a probitate ministri. Quamvis autem potissimum valeat ad impetrandas gratias actuales, donum pœnitentiæ, aliaque beneficia spiritualia, licite tamen ac utiliter etiam offertur pro obtinendis beneficiis temporalibus, modo petantur ex honesto fine, & ad salutem animæ, ut supra ex Concilio Tridentino & SS. Patribus audivimus, & docent exempla veteris legis; nam 2 Reg. ult. v. 25 leguntur sacrificia oblata pro avertenda peste. 2 Machab. 3 v. 32 pro vita temporali Heliodori. 1 Esdr. 6 v. 10 pro vita Regis Darii & filiorum ejus. Nec obstat, quod ejusmodi beneficia temporalia

sæpe

ſæpe non obtineantur ; ſæpe enim ad ſalutem animæ nihil conferunt, ſed potius eſſent noxia. Adde, quod fructus ſacrificii perinde ac Sacramentorum multum dependeat a diſpoſitione illius, qui hunc fructum recipere cupit, eidem vero non raro ponit obicem, vel non ſatis conſtanter rogat. Sane ipſum ſacrificium crucis non continuo habuit ſuum effectum & oratio S. Stephani impetravit converſionem Pauli, non præſentem, ſed futuram tempore, quod Deo opportunum videbatur.

Cæterum ſicut in ſacrificio triplex eſt offerens, 695.
nempe Chriſtus, Eccleſia, & miniſter ſacrificans, ita fructus tripliciter dividi poteſt. Qui ex ſacrificio provenit, quatenus eſt a Chriſto, vocatur ſpecialis, & ſemper datur : qui ex illo provenit, tanquam ab Eccleſia, vocatur generaliſſimus, & etiam ſemper datur, quia Eccleſia ſemper eſt devota & grata Deo : qui vero ex eodem provenit, quatenus eſt a miniſtro, reſpondet ipſius devotioni & probitati, adeoque juxta diverſam diſpoſitionem diverſus eſt, & ſpecialiſſimus vocatur. Alii quia in diviſione fructus potius attendunt ad ſubjectum recipiens, paulo aliter loquuntur, & fructum generalem vocant illam portionem, quæ toti Eccleſiæ, & principaliter omnibus in Canone Miſſæ expreſſis advenit, nec a Sacerdote aliter applicari poteſt : ſpecialem dicunt portionem, quæ ipſi celebranti advenit, de qua probabilius etiam pro libitu diſponere nequit : mediam denique appellant partem, quam Sacerdos pro libitu poteſt applicare illis, pro quibus celebrat, idque etiam diviſim ita, ut uni applicetur gratiarum actio, alteri ſatisfactio, tertio impetratio, niſi videlicet Miſſa legatur pro ſtipendio, aut aliunde e. g. ex promiſſione detur obligatio, totum fructum, quantum fieri poteſt, uni applicandi.

Quæres.

696 Quæres. An valor sacrificii Missæ sit infinitus, vel tantum finitus. Resp. Si valor consideretur in actu primo & quoad sufficientiam est infinitus propter infinitam dignitatem personæ, quæ offertur, & principaliter offert. Si vero consideretur in actu secundo quoad applicationem & effectum, est finitus, sicut ipsum sacrificium crucis quoad hæc finitum fuit, quia Christus non voluit merita sua secundum totam latitudinem nobis applicare; hinc juxta praxim Ecclesiæ ad impetrandam eandem rem sacrificium Missæ sæpius iteratur, & Innocentius VIII, & Alexander VII prohibuerunt, ne Sacerdos accipiens plura stipendia pro totidem Missis celebrandis, debito suo per unum sacrificium ex prætextu, quod illius virtus sit infinita, satisfacere præsumat, simulque declaravit, eum, qui id præsumpserit, peccare contra justitiam, & teneri ad restitutionem. Ex quibus ulterius colligitur, quod fructus sacrificii saltem proveniens a Christo & Ecclesia, non tantum prosit singulis, quantum omnibus simul, sed minuatur pro numero eorum, pro quibus offertur. Aliter loquitur Layman de illo fructu, qui provenit a privatis offerentibus, & eorum devotione; hunc enim judicat extensive & syncategorematice esse infinitum, quia sicut privatæ ejusmodi oblationes sunt distinctæ, sic habent distinctos effectus, & fideles licet plures audiendo Missam, eidem inserviendo &c. sacrificium Deo offerant, ideo non existimant, singulos referre minorem fructum, quam si soli essent.

QUÆSTIO III.

In quorum honorem, & pro quibus Sacrificium Missæ possit offerri?

697 Cum sacrificium Missæ sit Latrevticum, omnes Catholici fatentur, quod soli Deo offerri possit,

possit, non item Sanctis, quibus proin nec altaria nec templa eriguntur, ut docet Concilium Tridentinum Sess. 22. cap. 3, & S. Augustinus Lib. 20 contra Faustum cap. 21. Pariter nemo Catholicorum docet, quod sacrificium Eucharistiæ possit offerri pro Sanctis in ordine ad remissionem culpæ aut pœnæ, vel in augmentum gloriæ essentialis; nam reatu culpæ & pœnæ sancti jam carent, eorum vero gloria essentialis augeri nequit. Unde quando SS. Patres dicunt sacrificium offerri pro Apostolis & Martyribus, vel in liturgiis petitur, ut sacrificium illis prosit ad gloriam, non est intelligendum, quod sacrificetur pro eorum salute, & augmento gloriæ essentialis, sed Sacerdos solum exorat gratiam ita sancte & pie offerendi sacrificium, ut coram hominibus inde Sanctis accedat gloria extrinseca, vel etiam gloria quædam intrinseca accidentalis, consistens in gaudio, quod ex actibus nostris in ipsos redundat. Denique ipsi admittimus, quod Missæ sacrificium per se & ex fine primario non sit institutum ad honorandos & invocandos sanctos, sed verum sacrificium fore, licet in illo nulla fieret Sanctorum memoria. Hinc in nostra liturgia Sancti directe tantum invocantur in Confessione generali ante introitum, & postea bis vel ter in aliquo versiculo, ipsa autem oblatio & collectæ tam publicæ quam secretæ omnesque Canonis orationes ad solum Deum diriguntur.

His tamen non obstantibus dogma Catholi- 698
cum est, sacrificium Missæ Deo licite, & laudabiliter offerri in memoriam & honorem Sanctorum pro eorum intercessione apud Deum obtinenda, adeoque Sanctos in Missa licite nominari & invocari. Prob. 1 ex antiquissimis liturgiis Jacobi, Clementis, Basilii, Chrysostomi, in quibus omnibus Sancti sæpius nominantur, & invo-

invocantur. In liturgia S. Basilii ante consecrationem dicitur: *S. Joannis Prophetæ, præcursoris & Baptistæ, SS. Apostolorum & omnium Sanctorum, quorum supplicationibus visita nos*: & post consecrationem: *Ut assiduas preces pro nobis tibi offerant.* In liturgia S. Chrysostomi: *Intercessionibus - - omnium Sanctorum misereatur nostri JEsus Christus.* 2. Auctoritate Patrum Cypriani, Epiphanii, Augustini, Cyrilli &c. apud Bellarmin. Lib. 2 cap. 8, qui omnes testantur in Missa Sanctos nominari, & eorum Patrocinium implorari. 3 Ratione, quia Sanctis ad majorem honorem cedit, si ipso Domino in sacrificio Missæ præsente nominentur, & pro beneficiis ac gloria ipsis collata Deo agantur gratiæ, ipsorum vero Patrocinium invocetur; cum enim revera pro nobis orare valeant, cur non æque in, quam extra Missam invocare illos liceat? audiamus Concilium Tridentinum sess. 22 can. 5: *Si quis dixerit imposturam esse Missas celebrare in honorem Sanctorum, & pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit, anathema sit.*

699 Pariter fidei dogma est, quod sacrificium Missæ recte & utiliter offerri possit pro animabus fidelium defunctorum, quæ in purgatorio detinentur, ut pluribus probavi in tractatu 2 de statu animæ post mortem, & constat tum ex Scriptura 2 Machab. 12 v. 43, ubi Judas Machabæus jussit offerri sacrificium pro defunctis militibus, tum ex perpetua traditione & praxi Ecclesiæ: *Cujus traditio est auctrix, consuetudo confirmatrix, fides observatrix*, inquit Tertullianus de corona militum, S. Chrysostomus vero Homil. 9 ad Antiochenos ait: *Non frustra hæc Apostolicis legibus sunt constituta, ut in verendis & tremendis Mysteriis memoria eorum fiat, qui decesserunt; noverant enim, hinc multum ad illos lucri accedere, multum utilitatis.*

S. Cy-

S. Cyrillus Hieroſolym. catech. 5 Myſtag. *Maximum credimus eſſe animarum juvamen, pro quibus offertur precatio ſancti illius & tremendi, quod in ara poſitum eſt, ſacrificii.* S. Ambroſius in orat. funebr. in obitu fratris ſui Satyri: *Tibi nunc omnipotens Deus innoxiam commendo animam, tibi hoſtiam offero; cape propitius & ſerenus fraternum munus ſacrificium Sacerdotis.* Conſentiunt reliqui Patres tam Græci quam Latini; hinc in antiqua Eccleſia ſemper pro hæreticis fuerunt habiti, qui negarunt offerri debere pro mortuis; Concilium vero Tridentinum Seſſ. 22 Can. 3. anathema dicit aſſerenti, *Sacrificium Miſſæ pro defunctis offerri non debere.*

At vero pro animabus damnatorum ſacrificium 700
Miſſæ offerri nequit, tum quia nec actu nec potentia amplius ſunt membra Chriſti, tum quia ſacrificium Miſſæ nec ad remiſſionem culpæ, nec ad remiſſionem pœnæ illis prodeſſe poteſt, alias multiplicatis ſacrificiis tandem ab omni pœna poſſent liberari; in inferno autem nulla eſt redemptio juxta illud Matth. 25. v. 41: *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum.* Hinc Can. pro obeuntibus 21 cauſ. 13 q. 2 ſtatuitur pro impiis, quos videlicet in peccato mortali obiiſſe conſtat, non eſſe offerendum, & Can. placuit 12 cauſ. 23 q. 5 non eſſe ſacrificandum pro iis, qui ſibi ipſis violentam mortem intulerunt. Ob eandem rationem S. Auguſtinus Lib. 1. de origine animæ, cap. 11 ait: *Salva fide Catholica & Eccleſiaſtica regula nulla ratione conceditur, ut pro non baptizatis cujuslibet ætatis hominibus offeratur Sacrificium corporis & ſanguinis Chriſti.* Imo Lib. 21 de civitate Dei cap. 24 docet, futurum, ut Eccleſia de reprobis adhuc viventibus non oraret, ſi certo ſciret, eos æterno excidio deſtinatos eſſe: *Sed quia de nullo,* inquit, *certa eſt, orat pro omnibus duntaxat hominibus inimicis ſuis in hoc corpore conſtitutis.*

Quare per ſe loquendo licitum eſt ſacrificium 701
Miſſæ offerre pro omnibus hominibus viventibus,

ſicut pro omnibus Chriſtus eſt mortuus, quia omnes ſunt capaces fructus propitiatorii aut ſaltem impetratori hujus ſacrificii, & de illis quidem, qui ſunt in Eccleſia, nullum eſt dubium, patetque ex Canone Miſſæ, in quo dicitur: *Offerimus pro omnibus orthodoxis, atque Catholicæ & Apoſtolicæ fidei cultoribus*. De catechumenis habetur in ordine Romano feria 4 poſt Dominic. 4 quadrageſimæ Miſſa ſpecialis, & quamvis Eccleſiam nondum ſint ingreſſi per baptiſmum, eam tamen aliquo modo ingreſſi cenſentur per fidem & deſiderium baptiſmi. Imo Tertullianus Lib. ad Scapulam ait: *Sacrificamus pro ſalute Imperatoris*, qui tunc Gentilis erat. S. Chryſoſtomus Homil. de Adam & Eva: *Sacerdotes publice orare pro infidelibus, hæreticis, Judæis &c.* pro quibus die Paraſceves etiam orat univerſa Eccleſia ob ſpecialem memoriam ſanguinis Chriſti, pro ſalute omnium effuſi. Quin etiam juxta hodiernam liturgiam Romanam in oblatione calicis dicitur: *Pro noſtra & totius mundi ſalute*, totius autem mundi partem valde notabilem faciunt Gentiles, ſchiſmatici, hæretici extra Eccleſiam conſtituti.

702 Dixi tamen per ſe loquendo, niſi videlicet ſpeciali lege ſit prohibitum, quemadmodum Innocentius III cap. a nobis 28 de ſent. excomm. prohibuit directe & expreſſe ſacrificium offerre pro hæreticis aliisque per ſententiam judicialem nominatim excommunicatis, quos Eccleſia in vindictam criminis a ſuis orationibus & ſuffragiis publicis excludit, prohibetque eorum nomina ad altare recitari. Poſſunt nihilominus fideles, & ipſe Sacerdos celebrans pro iis privatim orare, imo etiam pro hæreticis ſacrificium offerre indirecte, videlicet ſacrificando pro Eccleſia Catholica propaganda, munienda & purganda. Si dicas, S. Auguſtinus Lib. de orig. animarum cap. 9 ait: *Quis offerat ſacrificium corporis Chriſti niſi pro iis, qui ſunt membra Chriſti;*

&

& Serm. de Verbis Domini: *Potens est Christus etiam infirma membra sanare, dum tamen nimia impietate non præcidantur, sed hæreant corpori.* Respondeo, S. Doctorem in primo textu loqui de defunctis, qui ne quidem potentia amplius sunt membra Christi: in secundo textu utitur exaggeratione, & ostendit excommunicatos difficulter sanari.

Quæres: Quid intelligatur per Missas privatas, 703
& utrum sint licitæ. Resp. Quamvis absolute & proprie loquendo nulla Missa sit privata, quia in quavis minister publicus est, & ritu publico pro tota Ecclesia sacrificat, ut advertit Concilium Tridentinum Sess. 22 cap. 6, vocantur nihilominus aliquæ Missæ privatæ, idque in multiplici sensu. 1. Ratione loci privati, in quo celebrantur, quemadmodum apud Sozomeum Lib. 7 Hist. cap. 5 S. Gregorius Nazianz. in exigua cellula sacra fecisse legitur. 2. Ratione temporis, ita, ut publica dicatur, quæ diebus festis, privata, quæ feriatis celebratur, neque dubium est, quod antiquitus multi, & ipse S. Andreas quotidie sacrificaverint. 3. Ratione finis, quia pro aliquo homine particulari, vel negotio privato offeruntur, ut plerumque fit in Missis defunctorum, vel quæ celebrantur in honorem alicujus Sancti. 4. Ratione numeri & paucitatis eorum, qui intersunt, in quo sensu publica est e. g. Missa parochialis, ad quam populus pulsu companarum convocatur; privata, quæ pro arbitrio Sacerdotis habetur, uti fecit Theodoretus in cellula S. Marci, & Lucianus in carcere. 5. Privatæ dici possunt, quæ leguntur eadem die & in eodem templo præter unam; nam illa tantum solet esse publica & solemnis, quæ dicitur in altari summo, cæteræ privatæ; quales passim celebratas fuisse, satis multitudo altarium & Sacerdotum demonstrat. 6. Missa privata dici potest, in qua solus Sacerdos communicat, & hanc præcipue Lutherus aliique nova-

 rores

tores impugnant, illam ad invidiam vocantes Miſſam angularem.

704 Verum Concilium Tridentinum Seſſ. 22 Can. 8. anathematizat: *Si quis dixerit Miſſas, in quibus ſolus Sacerdos communicat, eſſe illicitas, adeoque abrogandas.* Nam 1, etſi nullibi expreſſe legatur, ejusmodi Miſſas privatas in veteri Eccleſia celebratas fuiſſe, id tamen ſatis colligitur ex eo, quia certum eſt, plurimos quotidie Sacerdotes eadem die, & in eodem etiam templo ſacrificaſſe, & tamen plurimi admodum raro, imo ſemel tantum in anno communicabant, ut teſtantur S. Chryſoſtomus Homil. 17 in Epiſt. ad Hebr. & S. Ambroſius Lib. 1 de Sacramentis cap. 5. Concilium Agathenſe anno 511 jubet omnes fideles ſacrificio Miſſæ ſingulis diebus Dominicis intereſſe, ter autem in anno communicare. Nannatenſe cap. 30 prohibet Presbyteris celebrare, niſi habeat ſaltem unum reſpondentem, & Toletanum XII Can. 5 reprehendit Presbyteros, qui Sacramentum offerentes ipſimet non communicabant; neutrum vero mentionem fecit de communione populi. Neque neceſſitas hujus communionis probari poteſt ex aliquo præcepto Divino, aut ex ipſa natura ſacrificii, cum ſacrificium totum ad Deum referatur, & illius fructus non ſolum a populo præſente & ſpiritualiter communicante, ſed etiam ab abſentibus percipi poſſit, ſicut oratio prodeſt ei, pro quo oratur, etiamſi ille omnino neſciat, quid agatur.

705 Dices 1. Quando Chriſtus ſacrificium Miſſæ inſtituit, Eucharistiam diſtribuit, dixitque Luc. 22 v. 19: *Hoc facite in meam commemorationem*: ergo non minus præcepit communionem populi, quam ipſius Sacerdotis. 2. Act. 2. v. 42 Synaxis Apoſtolorum deſcribitur per fractionem panis, & in omnibus liturgiis orationes poſt communionem dicuntur per modum gratiarum actionis in numero plurali. 3. S. Paulus 1 ad Cor. 11 v. 20 comparat

cœnam

cœnam Dominicam cum cœna privata, aitque, ubi cœna privata agitur, non celebrari cœnam Dominicam. Resp. ad 1, Conc. Ant. Dist. Conf. ergo Christus præcepit communionem populi, si aliqui sint, qui tempore & loco opportuno illam petant, Conc. Conf. secus, Neg. Conf. Neque enim Christus voluit, ut communio distribuatur indispositis, invitis, aut non petentibus; nec communio populi ad perfectionem & consummationem ipsius sacrificii pertinet, sicut communio Sacerdotis offerentis. Ad 2 eadem est responsio; nam ex actis Apostolorum solum probatur, quod synaxis aliquando cum dispensatione Sacramenti facta sit: gratiarum actio autem fit in numero plurali, non solum propter præsentes, qui sæpe in Missa vel reipsa vel spiritualiter communicant, sed etiam propter absentes, qui communicant alibi, cum quibus unum corpus sumus. Ad 3 S. Paulus non loquitur de Eucharistia, sed de convivio, olim in Ecclesia ad repræsentandam Domini cœnam & refrigerium pauperum institui solito, vel certe solum reprehendit cœnam illam, a qua aliqui præsertim pauperes excludebantur.

Dices 2. S. Chrysostomus Homil. 3 in Epist. ad Ephes. ait: *Frustra est quotidianum sacrificium, si nemo participet.* S. Basilius in Psalm. 115: *Non in latebris delitescens sacrificabo, sed publicum tibi exhibebo sacrificium.* Canone 10 Apostorum excommunicantur, qui finita Missa non accipiunt sacram communionem, quod Anacletus Papa Can. peracta 10 de consecr. dist 2 Apostolos statuisse, & Romanam Ecclesiam tenere affirmat. Resp. S. Chrysostomus tantum vult, quod Missæ privatæ sint frustraneæ, quatenus ordinantur ad communionem, non vero simpliciter, absolute, & quatenus ex fine primario ordinantur ad sacrificium, quod, ut alibi advertit, in veteri testamento Sacerdos vel

ſolus, vel ſaltem majorem partem ſumere debebat, in novo autem plus non accipit, quam populus; ſi videlicet aliqui ſint, qui velint communicare. S. Baſilius agit de ſacrificio ſchiſmaticorum, qui ab Eccleſia recedentes in ſuis conventiculis quaſi in occulto, non vero in publica Eccleſia Euchariſtiam celebrabant. Ex Canone Apoſtolorum ad ſummum ſequitur, quod populo olim præceptum fuerit, ut in Miſſa ſolemni communicet, non item quod Sacerdotibus fuerit prohibitum Miſſam facere, ſi populus non adſit, aut communicare nolit. Imo Concilium Antiochenum hunc Canonem ſolum explicat de illis, qui ob aliquam ſuperſtitionem ſacram communionem averſantur; Anacletus vero ſolos obligat Clericos, Epiſcopo diebus ſolemnibus ſacrificanti miniſtrantes, ut patebit legenti totam ipſius epiſtolam. Verum claudendus eſt annuus hic de Sacramentis tractatus, quem totum, ut Deus eidem benedicere dignetur, ſupremæ majeſtati in ſacrificium laudis & gratiarum actionis conſecro, ſimulque rogo, ut illum etiam acceptare dignetur in ſacrificium impetratorium pro gratia, & viribus ad reſidua Sacramenta in ſpecie ſequenti tractatu pro modulo explicanda.


O. A. M. D. G.



em, & in
e contra-
l pericu-
n concilii
s iterum
r, quia
alor ma-

is Sacra-
ſtitiſſent
, quibus
odarem,
nem, &
pta ſunt,
oportuit,
expone-
miſſa in
ontificio
liquibus
ngus vi-
us ſatis-
, quam
juris fa-
em, ali-
e hic
Dei


Biblioteka Jagiellońska
stdr0025076



MONSCHEIN
THEOLOGIA
DOGMATICO